Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Paul Hebenstreit

D. Joannis Pauli Hebenstreiti Systema Theologicum ...

[Pars Tertia,] Sectio Altera : Locos Theologicos De Sacramentis In Genere, Sacramentis Veteris Testament, Baptismo, Sacra Coena, Prædestinatione Et Reprobatione, Ecclesia, Ministerio Ecclesiastico, Magistratv Politico, Statv Domestico, Novissimis

Francofurti [et] Lipsiæ: Sumptu Henrici Christ. Crökeri, MDCCXVII.

https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325

Band (Druck) Freier Zugang



Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_0001
DFG

1569-3468 n. Ind
52.6.12.

F.h-3087(3.)

CLXIV 168

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1817789325/phys_0002
DFG

PARTIS TERTIÆ
AD
SYSTEMA
THEOLOGIÆ
HEBENSTREITIANVM
pertinentis
SECTIO ALTERA,
continens in se
LOCOS THEOLOGICOS
DE
SACRAMENTIS IN GENERE,
SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI,
BAPTISMO,
SACRA COENA,
PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE,
ECCLESIA,
MINISTERIO ECCLESIASTICO,
MAGISTRATV POLITICO,
STATV DOMESTICO,
NOVISSIMIS.

Francofurti & Lipsiæ,
Sumptu HENRICI CHRIST. CRÖKERI
Bibliop. Jenens. privil. M DCC XVII.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

LOCUS X.
DE
SACRAMENTIS IN GENERE.

Thes. I.

QUia Fides in Christum, Regeneratio, Conversio, Renovatio, & Opera vere Bona Deoque placentia non sunt humanarum virium, sed a DEO, ejusque Verbo & Sacramentis pendent, ac proinde Sacramenta nostræ beatitudinis causæ sunt, remotæ scilicet, ac mediatæ, eæque instrumentales (in quantum sunt organa, per quæ in nobis fides accenditur, confirmatur & conservatur;) ideo in tertia Theologiæ parte, quæ consequendæ beatitudinis media & principia exponit, & quidem post Theologicos de fide, regeneratione, conversione, renovatione, bonisque operibus Locos recte quoque de *Sacramentis* agitur.

Th. II.

Ante omnia autem ambiguitas, quæ in voce *Sacramenti* involvitur, hic submoven-

da, &, quo sensu vocabulum illud in negotio præsenti sumatur, ostendendum.

Th. III.

Videlicet apud priscos & profanos Latinæ Linguæ autores duæ potissimum significationes istius vocis animadvertuntur. Ea quippe notio (ut *Varro* Libr. IV. de Lat. Lingv. & *Vegetius* Libr. II. de re milit. cap. V. testantur) designat (1.) *juramentum*, præcipue *militare*, quo milites certo ritu & verbis præscriptis asseverabant, se fugæ aut formidinis causa non abituros, neque ex ordine recessuros. (2.) Illud ipsum vocabulum (teste *Varrone* l. c.) apud Latinos veteres denotat pecuniam a litigantibus eo fine depositam, ut lite finita victor suam integram recuperaret, victus vero suam amitteret.

§. 1. Vox Sacramenti, quæ a nomine *Sacer* originem trahit, ideo ad denotandum juramentum translata videtur, quod jusjurandum per rem sacram, nimirum per Numinis Divini invocationem, peragatur.

§. 2. Eadem illa vox ad designandam pecuniam a litigantibus depositam adhibita fuit, quod non tantum pignus istud in loco sacro deponeretur, sed & victi pecunia usibus sacris cederet.

Th. IV.

Th. IV.

Ecclesiastice Sacramenti vox tres significationes obtinuit. Sic quippe accipitur (1) pro quavis re sacra & secreta, (2) pro quocunque rei sacræ & cœlestis signo, (3) pro ritibus sacris, qui sunt visibilia media & organa, per quæ gratia Evangelica confertur aut obsignatur. Atque in præsenti, ubi Sacramenta accendendæ ac confirmandæ fidei causæ instrumentales dicuntur, Sacramenti vocabulum, non nisi in significatu Ecclesiæ proprio, & eo quidem ultimo, usurpatur.

§. 1. Sacramenti vox rem sacram & secretam in versione Scripturarum vulgata *Ephes. I, 9. cap. III. v. 9. 1. Tim. III, 16.* denotat. Illa enim versio vocem mysterii in locis citatis occurrentem, quæ de abstrusis religionis Christianæ doctrinis adhibetur, per *Sacramentum* reddit.

§. 2. Pro signo rei sacræ & coelestis vocabulum Sacramenti itidem in vulgata versione sumitur. Vox enim mysterii, quæ *Ephes. V*, 32. de mysticæ inter Christum & Ecclesiam conjunctionis signo adhibetur, per Sacramenti vocabulum vertitur. Atque hoc sensu eandem vocem Patres sæpius usurpant, quorum testimoniis *Reformati* abutentes Sacramentum proprie ac stricte dictum pro nudo signo venditant.

§. 3. Vox Sacramenti, in significatu ecclesiastico tertio accepta, in versione Bibliorum Latina non occurrit: Nec vero in Scripturis veteris ac novi Testamenti reperta est hactenus vox certa, quæ vocabulo illi in significatione ista usurpato exacte respondeat. Quanquam negandum non sit, Scripturam Sacram ritus illos sacros, quibus receptus in omnibus ecclesiis usus Sacramenti adpellationem tribuit, omnino tradere, &, qualiter a *DEO* instituti sint, quidque contineant & operentur, declarare.

§. 4. Manifestum igitur est, Scriptores Ecclesiasticos demum Sacramenti vocem ad ritus sacros, qui visibilia conferendæ aut obsignandæ evangelicæ gratiæ signa & media sunt, designandos transtulisse. Cujus rei primus occasionem dedit *Tertullian.* quippe qui in Libr. ad *Martyres*, & libr. de *Corona militis* actum illum, quo baptizandi *DEO* se devinciunt, & videliter ac strenue sub auspiciis ac vexillis Christi contra Diabolum se dimicaturos religiose promittunt, ob aliquam cum militari juramento analogiam Sacramentum adpellitavit. Hinc enim postea factum est, ut non solum totus baptismi ritus, verum etiam Sacra Coena Sacramentum diceretur.

§. 5. Ex hactenus dictis doctrinæ variæ deduci possunt. Scilicet 1. Sacramenti vocabulum eo sensu, quo hic usurpatur, adhibitum ἔγγραφον non est, cum neque in textu θεοπνεύσω (utpote qui Latinus non est) occurrat, neque alias in Scripturis

turis Veteris ac Novi Testamenti vox certa hactenus reperta sit, quæ vocabulo illi in significatione ista usurpato exacte respondeat. Quare non liquet, quo jure *Bellarminus* Lib. I. *de Sacram. in Genere* cap. VII. Sacramenti nomen eo sensu, quem in præsenti sustinet, acceptum ἔγγραφον dicat. Attamen nec *Carolstadio* suffragamur, qui Sacramenti vocem ex ea ratione, quod ἄγραφος sit, rejiciendam putavit. Nam si eam ob rationem vox illa explodenda esset, etiam vocabulum ὁμοούσιος ex ecclesiis & Theologorum Scholis proscribi deberet. II. Sacramenti vocabulum in eo sensu, quo hic accipitur, recte usurpant Ecclesiæ nostræ. Præterquam enim, quod talis usus nullibi interdicatur, nec quicquam incommodi secum trahat, veteris sane Ecclesiæ Doctores præeuntes habemus. Hinc III. audiendus non est ex *Socinianis Valentinus Smalcius*, qui *contr. Franz.* disp. XII. fol. 347. vocem Sacramenti, in illo, quo hic accipitur, significatu adhibitam, ex iis prorsus damnat rationibus, quod in *hac significatione sit barbara, vel saltim sacris literis incognita, ab hominibus vero otiosis, qui ceremoniis hujusmodi præter Scripturam aliquid superstitiosum aut etiam idololatricum ex parte tribuere non sunt veriti, ad tegendum dolum usurpata.* Quamvis enim Sacramenti vox in ea, qua hic accipitur, significatione apud priscos & profanos Latinæ Lingvæ autores non occurrat, tamen penes antiquos Ecclesiæ Latinæ Doctores, qui ipsam civitate & indigenatu donarunt, in isto significatu

adhibetur, atque adeo in illa ipsa acceptione non est simpliciter, omnique modo barbara. Nec vero eadem illa vox propterea, quod in præsenti significatu sacris literis incognita sit, eliminari hic debet. Alias enim nec in articulo de *DEO* voces προσώπου, οὐσίας, & ὑποστάσεως, quibus tamen in articulo isto vel primitiva ecclesia pie usa est, usurpari deberent. Constat quoque ex superius dictis, quod notio Sacramenti minime ab hominibus otiosis, qui aliquid superstitiosum aut idololatricum ceremoniis sacris tribuere non erubuerunt, ad tegendum dolum primitus in significatu præsenti usurpata fuerit. *Tertullianus* enim, qui usui & significatui nostro primus occasionem dedit, ad nullum tegendum dolum, nec quod baptismo superstitiosum aut idololatricum quid tribueret, se ad piam baptizatorum obligationem denotandam vocabulum illud adhibuit. Neque vero ullo comprobari pacto potest, subsequentium temporum Patres, qui baptismo pariter & S. Cœnæ Sacramenti appellationem tribuendi occasionem ex isto *Tertulliani* usu arripuerunt, ad aliquam incrustandam fraudem, & ut superstitiosi vel idololatrici quid ritibus sacris admiscerent, Sacramenti vocem de Baptismo & Sacra Cœna usurpasse.

Th. V.

Requiritur vero ad Sacramentum in sensu ecclesiastico, & proprie strictoque sic dictum, 1. ut sit *actio*, 2. ut sit actio in *oculos* incur-

incurrens, 3. ut sit actio *a Deo determinata* (seu in Scripturis sacris expresse mandata) 4. ut sit actio *circa elementum externum & visibile idque divinitus præscriptum* occupata. 5. Ut sit actio per quam *gratia Evangelica confertur*, aut *confirmatur* & obsignatur.

§. 1. Sacramentum esse actionem *in oculos incurrentem*, *Apologia Aug. Confess.* pag. 200. seq. sic edocet: *Sicut Verbum incurrit in aures, ut feriat corda, ita ritus ipse (qui est Sacramentum) incurrit in oculos, ut moveat corda.*

§. 2. *Per elementum externum & visibile* h. l. intelligitur corporeum & visibile signum, quod tractari potest actione externa, h. e. actione, per se ac ratione sui in externos aliorum hominum sensus incurrente.

§. 3. *Gratia Evangelica* (seu Gratia in verbo Evangelii promissa) denotat gratiam de remissione peccatorum, & beneficiis spiritualibus connexis (quæ sunt Adoptio in Filios DEI, Inhabitatio Spiritus Sancti, Hæreditas vitæ æternæ.) Gratia autem, quæ est de peccatorum remissione, & beneficiis spiritualibus connexis, h. l. idem est ac gratuitus DEI favor, quo ob solum Christi Meritum fide apprehensum credentibus peccata remittit, ipsosque remissis peccatis in filios adoptat, Spiritu S. replet, ac vitæ æternæ hæredes constituit.

§. 4. Idem igitur est, sive per actionem sacram, quæ Sacramentum vocatur, gratiam Ev-

angelicam conferri aut confirmari & obsignari ajas, sive remissionem peccatorum cum beneficiis spiritualibus connexis per actionem illam conferri aut obsignari doceas.

§. 5. *Gratiam* autem *evangelicam* & peccatorum remissionem Sacramenta non nisi per hoc *conferunt & obsignant*, quod fidem, qua gratiam DEI & peccatorum remissionem consequimur, excitant (h. e. efficiunt, aut fovent & roborant.)

§. 6. Gratiam evangelicam, & peccatorum remissionem *obsignare* h. l. idem est, quod de gratuito DEI favore, quo DEUS remittit peccata, atque adeo de obtenta peccatorum remissione homines certiores reddere.

§. 7. Eas conditiones, quæ in thesi traduntur, ad Sacramentum proprie ac stricte dictum requiri, inde probamus, quod in Scriptura Sacra iis ritibus sacris, quibus receptus in omnibus ecclesiis usus Sacramenti appellationem tribuit, quique omnium confessione vere & proprie sunt Sacramenta, scilicet Baptismo & Eucharistiæ, illa ipsa requisita assignentur. Consectamur hac probationis via *D. Martinum Chemnitium*, qui Part. II. Exam. Concil. Trid. pag. 14. scribit: *Baptismus & Eucharistia omnium confessione vere & proprie sunt Sacramenta: inde igitur colligemus, quæ tanquam substantialia requirantur, ut aliquid vere & proprie sit sacramentum. Hæc enim erit simplicissima & certissima demonstratio.* Ad Sacramentum igitur pro-

proprie ac stricte dictum requiri, ut sit *actio*, e. g. ex eo nunc demonstramus, quod Scriptura de Baptismi pariter & Eucharistiæ Sacramentis clarissime doceat, ipsa esse *actiones*. Omnia quippe verba præceptiva in Sacramentorum illorum institutione certam & determinatam actionem, tanquam id, in quo ipsa formaliter posita sint, imperant: Christus namque Baptismum sanciens *Matth. XXIIX, 19.* inquit: *Baptizate*; atque instituens Eucharistiam *Matth. XXVI, 26.* seqq. *Luc. XXII, 19.* ait: *Accipite, edite, bibite.* Quod Sacramenti requisitum urgemus sedulo propter *Pontificios*, qui Eucharistiam actionem esse pernegant, eam esse rem permanentem, atque extra usum quoque Sacramentum consistere contendentes.

Th. VI.

Minime vero ad Sacramenti proprie ac stricte talis requisita pertinet materia cœlestis proprie & usitate sic dicta, seu res cœlestis, formæ Sacramenti contradistincta, quæ cum elemento Sacramenti externo & sensibili sacramentaliter unitur, atque cum eo simul applicatur illis, qui Sacramento utuntur.

§. 1. *Loquimur de Sacramenti materia cœlesti.* In omni namque Sacramento rem cœlestem agnoscimus, cum quodvis Sacramentum, ipse et-

iam baptismus, tam cœlestem fructum (scil. collationem aut obsignationem gratiæ evangelicæ,) quam cœlestes causas, a quibus fructus ille dependet, (e. gr. DEUM trinunum, verbum DEI, Meritum Christi) habeat.

§. 2. Loquimur & in thesi de materia cœlesti *proprie & usitate* sic dicta. Illis enim Doctoribus, qui, terminum materiæ in significatu improprio & inusitato pro RE accipientes, in Baptismo, atque adeo in omni Sacramento materiam cœlestem statuunt, quoad rem non contradicimus, quanquam phrasin ipsam haud acceptemus.

§. 3. Ipsam vero thesin hocce probamus argumento: *Si in omnibus iis ritibus sacris, quibus receptus in omnibus ecclesiis usus Sacramenti appellationem tribuit, quique omnium confessione sunt Sacramenta vere & stricte sic dicta, materiam cœlestem deprehendimus, sequitur, quod ejusmodi materia ad Sacramenti proprie ac stricte dicti requisita non pertineat.* Consequentia per se evidens est: Antecedens vero ex eo patet, quod materia cœlestis in Baptismi Sacramento non occurrat, cum ostendi nequeat res cœlestis formæ baptismi contradistincta, quæ cum aqua sacramentalem unionem habeat, & cum ea hominibus, qui baptizantur, proprie loquendo adspergatur.

§. 4. Excipiunt hic nonnulli, *Verbum institutionis* esse baptismi materiam cœlestem, idque ex *Eph. V, 26.* ubi *Lavacro aquæ in Verbo* munda-

ri

ri dicimur probare satagunt. Sed vero tres potissimum rationes obstant, quo minus Verbum institutionis Baptismi materia cœlestis vocari queat. Quippe (α) Verbum illud est potius forma, quam materia baptismi. (β) Si Verbum institutionis est baptismi materia cœlestis, Verbum istiusmodi etiam Sacræ Cœnæ materia cœlestis erit; quod tamen falsum, cum in eucharistiæ Sacramento non nisi corpus & sanguis Christi materiæ cœlestis rationem obtineat. *Verbum esse partem in Baptismo materialem, & rem cœlestem, non asseveramus, quia sic etiam verbum in Eucharistia esset materia cœlestis*; recte scribit *Affelmannus* Disp. de Bapt. thes. III. (γ) Etsi Verbum institutionis aquæ baptismali, atque actioni tingendi aqua necessario conjungatur, dici tamen nequit, quod cum aqua sacramentaliter uniatur, illisque, qui sacro baptismatis rore perfunduntur, cum ea adspergatur. Nec vero verbum materiam Baptismi cœlestem esse, ex *Eph. V, 26.* solide probabis. Nihil enim aliud ibi significatur, quam quod Baptismus nos emundans non sit mera & nuda adsperso aquæ, sed ei adspersioni accedat Verbum, ut fiat integrum Sacramentum, ac salutare, per quod mundamur ac regeneramur, instrumentum. Hinc vero minime concludere licet, Verbum cum aqua sacramentaliter uniri, & cum ea homini, qui baptizatur, adspergi (quæ tamen conditiones ad baptismi materiam cœlestem exiguntur,) sed id saltem inde inferri potest, quod actio-

actionem tingendi aqua verbum ad esse baptismi determinet, atque adeo formæ habitudinem ad baptismi Sacramentum determinet.

§. 5. Alii excipiunt, cœlestem baptismi materiam esse sangvinem Christi, idque suum assertum probatum eunt (a) ex 1. *Joh.* I, 7. (ubi sangvine Christi mundari dicimur) ex *1. Petr.* I, 2. (ubi mentio fit ῥαντισμοῦ s. *adspersionis* sangvinis Christi) ex *Apoc.* I, 5. (ubi Christus nos a peccato per sangvinem suum lavasse perhibetur,) (b) ex eo, qvod sangvis Christi in baptismo utriq; præsens sit. Verum enim vero quamdiu non probatur, Christi sangvinem cum aqua baptismali sacramentaliter uniri, & cum ea hominibus adspergi, tamdiu negamus, sanginem Christi esse cœlestem baptismi materiam. Sane id non probant allatæ jam contradicentium rationes. Unde enim constat, 1. *Joh.* I, 7. *1. Petr.* I, 2. *Apoc.* I, 5. de lavacro proprie dicto & baptismo sermonem esse? Et fac, in locis illis agi de baptismo, non tamen exinde evinci potest, in baptismo nos lavari per sanguinem Christi aquæ baptismali sacramentaliter unitum: Per hoc enim sanguine Christi in baptismo mundamur, lavamur & perfundimur, quod in baptismo virtute & merito sang. Chr. a peccato liberamur. Ac licet negandum non sit, sangv. Christi tum ratione substantiæ tum ratione efficaciæ & meriti in baptismo præsentem esse, non tamen exinde inferre licet, sanguinem Christi esse materiam Baptismi cœlestem: Nec enim in Sacramentis a rei cœlestis præsentia

ad

ad mareriam cœleſtem conſequentia valet, quia alias plures forent baptiſmi cœleſtes materiæ, nempe DEUS Pater, ſpiritus ſanctus, Corpus Chriſti, ſanguis Chriſti, Verbum DEI. Cum igitur nulla demonſtrari ratione poſſit, Chriſti ſanguinem eſſe baptiſmi materiam cœleſtem, ipſe *B. Joh. Gerhardus* in Loc. de Baptiſm. §. 87. ſcribit: *Quamvis Chriſtus* Θεάνθρωπος *in Baptiſmo præſens ſit, ſuoque ſanguine, mediante fide, a peccatis nos abluat: tamen ſanguinem Chriſti non ſatis commode partem Baptiſmi materialem alteram dici poſſe, graviſſimi Theologi ſtatuunt: I. Quia in verbis inſtitutionis non fit expreſſa mentio ſanguinis Chriſti, ſicut in Euchariſtia. Jam vero de ſubſtantialibus partibus Sacramentorum judicandum eſt ex propria inſtitutionis ſede. II. Diſtincta ſunt quæſtiones de eſſentia Baptiſmi, ac de ejusdem efficacia. Prior quæſtio exponitur Matth. 28. v. 19. poſterior Marc. 16. v. 16. Ratione efficaciæ omnino ſit aſperſio ſanguinis Chriſti in Baptiſmo; interim tamen non poteſt ex eo inferri, quod proprie & accurate loquendo ſit pars materialis Baptiſmi altera. III. Ut excludantur* Παρὰσματα *adverſæ partis, quæ ſunt, Sacramenta quoad ſubſtantiam non differre, analogiam Sacramentalem aquæ & ſanguinis in Baptiſmo eſſe tantummodo* χετικὴν *& ſignificativam; Baptiſmum eſſe duplicem, interiorem unum, per ſanguinem Chriſti, & exteriorem per aquam: Item aquam Baptiſmi non eſſe regenerationis medium.*

§. 6. *Dannhauerus* Myſterioſoph. fol. 351. & *Scher-*

Scherz. Syst. L. XIV. §. 16. existimant, *Spiritum S.* eumque Solum, esse baptismi materiam cœlestem. Et *Scherzerus* hac sua sententia urget (1) quod *Joh.* III, 5. *ex aqua & spiritu renasci* dicamur, *particula vero EX non solum ratione aqua, sed & ratione Spiritus (nisi duplicem sensum literalem in eadem propositione violenter fingere velimus) materiam denotet.* Sed resp. EX isthoc loco nulla prosus ratione evinci potest, Spiritum Sanctum esse Baptismi materiam cœlestem. Namque (1) ibi non docetur, quod & quomodo aqua & Spiritus Sanctus ad ipsam Baptismi constitutionen concurrant, sed qua ratione ad regenerationem sive spiritualem nativitatem, quæ a Baptismi substantia tanquam effectus a causa realiter distincta est, se se habeant, manifeste ostenditur. Scilicet Salvator significat ibidem, quod Spiritus per aquam ad vitam æternam regeneret, seu quod Spiritus sit regenerationis, qvam per aquam tanquam per instrumentum operetur, causa efficiens principalis. Atque hoc modo verba Salvatoris *B. Jacobus Andreæ* Actorum Colloquii Mompelgart. pag. 444. 451. & *B. Ægidius Hunnius* Tom. I. opp. fol. 1021. interpretantur. Cæterum non doceri in citato loco, quomodo aqua & Spiritus ad baptismi ipsius constitutionem concurrant, non solum ex ipsis textus verbis adparet, sed & ex eo liquet, quod alias dici nequeat, nos *ex aqua* & Spiritu baptizari. Certe non ex aqua, sed aqua baptizamur, cum baptismus, utpote actio, causam materialem EX QUA non agno-

gnoscat, ipsaque aqua in ordine ad baptismum ut materia CIRCA QUAM se se habeat. (β) Cum Spiritus Sanctus & aqua baptismalis *Joh.* III, 5. ut duæ causæ efficientes, & quidem Spiritus ut principalis, aqua ut instrumentalis, describantur, particula ἐκ neque ratione Spiritus, neque ratione aquæ materiam denotat, sed utrobique causam efficientem significat, cujusmodi significationem etiam alias in Scripturis Sacris, e. gr. *Matth.* I, 18. & 20. 1. *Joh.* V, 1. obtinet. Objicit *Scherzerus* (2,) quod, *sicut panis Eucharisticus non est nudus panis, sed rei cœlesti unitus, ita aqua Baptismi non sit nuda aqua.* Resp. Non concedimus, quod aqua baptismi eo prorsus modo non sit nuda aqua, quo panis Eucharisticus non est nudus panis. Panis enim eucharisticus non est nudus panis, quod cum re quadam cœlesti, nempe cum corpore Christi, sacramentalem unionen habeat: Ast de aqua baptismali non asserimus, quod ob sacramentalem cum re cœlesti unionem non sit nuda aqua. Cæterum etsi largiamur lubentissime, aquam baptismi eo sensu non esse nudam aquam, quod in operando seu in regenerando Spiritui S. conjungatur, hinc tamen inferre minime licet, Spiritum Sanctum esse baptismi materiam cœlestem. Nec enim ad materiam Sacramenti cœlestem quæcunque cœlestis rei cum terrena materia conjunctio sufficit, sed (uti *Scherzerus* ipse l. c. pag. 363. fatetur) sacramentalis unio rei cœlestis & terrenæ requiritur; Alias enim tota quoque sacrosancta

Trini-

Trinitas, sangvis Christi, & Verbum, cum in operando & causando cum aqua baptismali conjungantur, cœlestis materia baptismi esset; id vero ipsi adversatur *Scherzero*, quippe qui solum Spiritum Sanctum pro baptismi materia cœlesti habet; *Scherzerus* (3) sic argumentatur: *Aqua in casu recto nos salvat 1. Petr. III, 21. Atqui nuda & rei salvanti non unita id non praestat. Ergo utriusque unionem effectus Sacramentalis postulat.* Resp. Licet aqua in salvando rei salvanti cœlesti, Spiritui Sancto unita sit, illa tamen unio non est Sacramentalis, (qualis unio ad materiam Sacramenti cœlestem requiritur,) sed est conjunctio, qualis inter agens principale & inter instrumentum in ordine ad unum eundemque effectum una indivisa actione producendum intercedit. *Scherzerus* (4) ita concludit: *Deus per aquam nos regenerat Joh. III, 5. mundat Eph. V, 26. & salvat Tit. III, 5. Ergo aqua est DEI instrumentum, & consequenter non ut separata, sed rei salvanti conjuncta & Sacramentaliter unita.* Resp. Licet verissimum sit, aquam esse Spiritus Sancti nos regenerantis, mundantis & salvantis instrumentum, atque adeo Spiritui Sancto in regenerando, mundando & salvando uniri, inde tamen non sequitur, quod Spiritui sancto sacramentaliter unita sit: Nec enim ab instrumenti cum agente principali in operando conjunctione unionem sacramentalem consequentia valet. *Scherzerus* (5) sic infert: *Ex aqua & Spiritu ita regeneramur, Joh. III, vers. 5. ut ex his duobus fiat*

unum

unum Baptisma, Eph. IV, 5. Atqui aqua & Spirit. non sunt unum & idem. Ergo sunt unita in unum, alias Baptismus fieret geminus quod ἀντιγεαφον. R. Negamus, ex aqua & spiritu fieri unum Baptisma. Sicut enim ex aqua & sangv. Chr. ex aqua & tota Sacro S. Trinitate non fit unum baptisma, licet in baptismo aqua & Christi sangvis, aqua & Trinitas ad unum regenerationis effectum producendum concurrant: ita nec dicendum est, unum baptisma ex aqua & Spiritu fieri. Certe ex *Eph. IV*, 5. id probari haud potest. Quando enim Apostolus, ibi in enarrandis unitatis Christianorum vinculis occupatus, unam fidem, unum baptisma esse scribit, nil aliud docet, quam quod, ut fidei una & eadem ratio est apud omnes, qui unquam vera & viva Ecclesiæ membra fuerunt, ita baptismi unam & eandem esse rationem apud omnes Christianos, cum in eo omnes CHRISTUM induant, omnes in hominem novum regenerentur, & vera ac viva Ecclesiæ membra fiant. Quo autem quæso, pacto ex hisce Apostoli assertis colligi potest, ex aqua & Spiritu fieri unum baptisma. *Scherzerus* (6) hocce profert argumentum: *Quicquid in Baptismo super nos effunditur, illud est ejus materia. Atqui & aqua Eph. V*, 26. *& ipse Spiritus Sanctus Tit. III*, 5. 6. *in ipso Baptismo super nos effunditur. Ergo & aqua & Spiritus Sanctus (illa quidem terrena, hic vero cœlestis) sunt materia Baptismi.* Resp. Aut in majore propositione de eo, quod proprie loquendo super nos effun-

ditur, aut de eo, quod sensu improprio super nos effundi dicitur, sermo est. Si illud? negatur major: Nam & fructus spirituales largissimi, qui tamen baptismi materia non sunt, in baptismo super nos improprie loquendo effunduntur. Sin hoc, negamus minorem. Ipse enim Spiritus sanct. utpote substantia prorsus incorporea & immaterialis, proprie effundi nequit. Hinc quando *Tit. III, 5. 6. Spiritus Sanctus super nos effundi* perhibetur, tota illa phrasis, ex Prophetarum scriptis *Esa. XLIV, 3. Joël. II, 28. Zach. XII, 10.* a Paulo petita, in sensu improprio accipitur, ut *effusionis* notio improprie indigitet suavissimarum rerum largitet & opulenter factam collationem seu communicationem, atque adeo totius propositionis apostolicæ ea sit sententia, quod suavissima spiritus sancti dona in baptismo nobis largiter communicentur.

§. 7. *B. Hülsemannus* Breviar. cap. X. Th. IIX. contra nostram in thesi ipsa declaratam doctrinam statuit, Verbum *Ephes. V*, 26. Spiritum *Joh. III, 5. 1. Cor. VI, 11.* Sanguinem *1. Joh. V, 6.* & totam sacro sanctam Trinitatem *Matth. XXIIX*, 9. ad materiam baptismi cœlestem referri, atque adeo ex dictis allegatis recte demonstrari, quod *Verbum*, *Spiritus*, *Sanguis*, & tota *Sacro Sancta Trinitas* simul & conjunctim materiam Baptismi cœlestem constituant. Verum enim vero Verbum, spiritum, & sanguinem ad materiam cœlestem referri non posse, in præcedentibus ostensum est. De Verbo sane ex *Ephes. V*, 26. ubi *lavacro*

vacro aquæ in Verbo mundari dicimur, illud non constat. Nihil enim aliud significatur ibi, quam Baptismum, quo tanquam aliquo lavacro a peccatorum sordibus mundamur, non esse meram & nudam aquæ aspersionem, sed affusioni aquæ in baptismo accedere Verbum, ut fiat integrum sacramentum, & salutare, per quod mundamur & regeneramur, instrumentum. Hinc vero concludere minime licet, Verbum cum aqua sacramentaliter uniri, & cum ac sub ea homini, qui baptizatur, proprie loquendo adspergi (quæ tamen conditiones ad baptismi materiam cœlestem exiguntur;) sed id saltem inde inferri potest, qvod Verbum actionem tingendi aqua ad esse baptismi & salutaris lavacri determinet, atque adeo ad baptismum formæ quasi habitudinem importet. Commonstravimus quoque in præced. §. 6. quod ex *Joh. III, 5.* probari non possit, spiritum sanctum ad baptismi cœlestem materiam referendum esse. Neque vero illud de spiritu sancto evinci potest ex *1. Cor. VI, 11.* ubi Paulus Corinthios ita alloquitur: *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis per nomen Domini Jesu, & Spiritum DEI nostri.* Ibi enim id edocet Apostolus, quod Corinthii a peccato liberati sint ablutione, sanctificatione, justificatione facta per Meritum Christi, & spiritus sancti operationem. Ast vero nulla plane ratione inde concludi poterit, spiritum sanctum esse baptismi materiam cœlestem, seu cum aqua sacramentaliter uniri, ut vi il-

lius unionis dici possit, quod, qui baptizantur, non tantum aqua sed & spiritu sancto proprie loquendo perfundantur. Et quod ad Christi sanguinem attinet, de eo ex 1. *Joh. V, 6.* ubi *Christus per aquam & sanguinem, non per aquam solum, sed per aquam & sanguinem venisse* dicitur, nullo comprobari pacto potest, quod ad cœlestem baptismi materiam pertineat. Illic enim Johannes non loquitur, præcise de aqua baptismali, verum de quacunque aqua, ut de Christo testante, e. gr. de aqua, ex qua Christus vinum produxit, de aqua ex latere Christi profluente; nec differit præcise de sanguine Christi, ut ratione substantiæ & efficaciæ ac virtutis in baptismo præsente, sed de sanguine Christi tum extra baptismum, tum ratione baptismi spectato, e. gr. ut in circumsione, aut per flagellationem, aut per crucifixionem, aut per lateris fossi vulnus ad generis humani redemtionem effuso, itemque ut in S. Cœna ad obsignandam peccatorum remisionem bibendus nobis porrigitur. Quæ vero, quæso consequentia est, si sic colligas: De Christo testata sunt in terris aqua & sanguis tum in baptismo, tum extra baptismum; ergo sangv. Chr. cum aqua in baptismi sacramento unionem habet, seu eam unionem, vi cujus fit, ut, qui baptizantur, non solum aqua, verum etiam sanguine proprie loquendo perfundantur? Hinc ipse *Hülsemannus* ea, quam in *Breviario* tradidit, sententia mutata Oper. posthum. fol. 467. *sanguinem Christi* negat *esse proprie materiam cœlestem Baptismi*,

smi, ob defectum omnis idonei testimonii, quod sive in verbis institutionis, sive alibi contineatur. Neque tandem *Matth. XXIIX, 9.* ubi baptismus in *nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti* peragi jubetur, Christus quicquam subinnuit, ex quo sequatur, totam Sacro-sanctam Trinitatem cum aqua baptismali sacramentaliter uniri, ut, qui baptizantur, tota sacro-sancta Trinitate simul cum aqua proprie loquendo perfundantur. Namque (ut *B. Gerhardus* Tom. IV. L. de Baptism. cap. IV. sect. II. § 82. docet) hic est verborum Baptismi sensus: *Ego minister Verbi non meo nomine aut privato ausu vel arbitrio baptizo, sed mandato, autoritate, institutione atque ordinatione, adeoque nomine & loco Christi, summi Ecclesiæ Pontificis, Mediatoris & Salvatoris nostri unici, baptizo te, hoc est, aqua verbo DEI sanctificata te perfundo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, hoc est, mandato & invocatione veri DEI, unius in essentia ac trini in personis, videlicet Patris, Filii & Spiritus Sancti, illum oro, ut in gratiam te recipiat, peccata tibi remittat, & salutem æternam conferat, ac vere testificor, te in gratiam a DEO Patre recipi, sanguine Filii mediatoris a peccatis ablui, & Spiritu ad vitam æternam te regenerante ac renovante obsignari, ac scias, te εἰς ὄνομα in nomen unius veri DEI baptizari, i. e. obligari ad illius agnitionem, invocationem ac cultum.* Qua vero, quæso, ratione ex hocce verborum istorum sensu colligi potest, sacro sanctam Trinitatem cum aqua sacramentaliter

uniri, ut, quotquot baptizantur, cum & sub aqua Trinitate sacro-sancta perfundantur. Quin imo si vel maxime ex *Hülsemanni* Oper. posth. fol. 468. obtendas, τὸ *in nomine Matth. XXIIX, 19.* non tantum mandatum & autoritatem instituentis, sed & *ejus rei, in cujus nomen baptizamur, realem in baptisatum collationem*, seu *incorporationem baptisati in baptisantem principalem* denotare, non tamen inde probaveris solide, totam sacro sanctam Trinitatem esse baptismi materiam cœlestem. Unusquisque enim judicio pollens non potest non confiteri, nullam plane argumentationi consequentiam subesse, si quis ita concludere sustineat: *In eum, qui baptizatur, tota Sacro-Sancta Trinitas realiter confertur, seu is, qui baptizatur in totam Trinitatem incorporatur: Ergo ille, qui baptizatur, tota sacro-sancta Trinitate una cum aqua proprie loquendo perfunditur.*

§. 8. Quod si igitur nec Verbum, nec Spiritus, nec Sangvis, nec Sacro-Sancta Trinitas ad Baptismi cœlestem materiam reduci potest, profecto ea omnia simul & junctim (quod *Hulsemannus* in *Breviar.* cap. X. Thes. VIII. statuit) materiam baptismi cœlestem constituere nequeunt.

§. 9. Ex hactenus dictis sole meridiano clarius est, ex Scripturis nulla demonstrari ratione posse, quod materia cœlestis proprie ac stricte sic dicta in baptismi Sacramento detur, atque adeo *B. Joh. Musæum* idcirco, quod in der Ausführl. Erkl. pag. 679. seqq. rem quidem cœlestem in baptismo

statue-

statuerit, cœlestem autem Sacramenti illius materiam tradere sit veritus, erroris alicujus a D. *Scherzero* Systema. Loc. XV. §. XVI. p. m. 364. sine causa accusari. Id quod ipse hic *Scherzerus* veritatis vi subactus tandem agnovit, quando in *Breviar. Hülsemanni enucleato*, ubi pro baptismi materia cœlesti magnopere disputat, pag. 588. scribit: *Materiæ cœlestis vox h. l. non in ἀκριβείᾳ Philosophorum, sed in Latitudine quadam pro RE cœlesti accipitur. Stricte enim loquendo neque Spiritus Sanctus, neque Verbum, neque S. S. Trinitas causa materialis esse aut dici potest. Igitur per materiam REM intelligemus.*

§. 10. Quod si autem Baptismi, quippe qui omnium confessione est Sacramentum vere ac proprie sic dictum, materia cœlestis certo asseri nequit, profecto ad Sacramenti proprie ac stricte sic dicti requisita materia ejusmodi haud pertinet. Atque hoc ipsum est, quod in thesi nostra diserte docemus.

Th. VII.

Cæterum ex Thesi V. antecedente liquidissime constat, *Confirmationem baptizatorum, Matrimonium, Poenitentiam, Ordinem Unctionem extremam*, (quæ omnia *Pontificii* pro Sacramentis vere & proprie sic dictis habent) proprie & stricte loquendo non esse Sacramenta, seu non esse ejusdem rationis ac

quidditatis cum iis ritibus, qui omnium confessione vere & proprie sunt Sacramenta, nimirum cum Baptismo & Eucharistia.

§. 1. Quamvis *nemo vir prudens* (ut ipsa *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 202. judicat) *de numero aut vocabulo Sacramentorum magnopere rixetur, si tamen illæ res retineantur, quæ habent mandatum DEI & promissiones*, non tamen per *Pontificiorum* anathemata eo nos adigi patimur, ut omnes illas actiones aut res, quas Pontificiorum regnum pro Sacramentis vere ac proprie dictis, & quæ ejusdem cum baptismo & cœna Dominica rationis sint, agnoscendas decernit, pro talibus Sacramentis habeamus, iisque effectus spirituales tribuamus.

§. 2. *Confirmatio baptizatorum* apud Pontificios est ejusmodi ritus, quo homo baptizatus in fronte ungvento quodam, ex oleo olivæ & balsamo, certa proportione mixtis, confecto, & singulis annis certa anni die ab episcopo certis exorcisandi & benedicendi formulis consecrato (quod communiter *chrisma* vocant) ab episcopi pollice ad figuram crucis ungitur, additis solennibus illis verbis: *Signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.*

§. 3. Per *Ordinem* pontificii intelligunt sacram (ut loquuntur) ordinationem, h.e. solennem & religiosam ministrorum ecclesiæ consecrationem, quæ manuum impositione & instrumentorum

rum porrectione peragi solet. Videlicet in ordinatione sacerdotum *patena* cum *hostia*, & *calix* cum *vino*; in ordinatione Subdiaconorum *liber Epistolarum* & *calix vacuus*; in ordinatione ostiarii *claves*; in ordinatione lectoris *liber lectionum*; in ordinatione exorcistæ *liber exorcismorum & adjurationum*; in ordine acoluthi *cantelabrum* cum *candela extincta*, & *urceolus vacuus*, penes *Pontificios* porriguntur.

§. 4. *Extrema unctio* Pontificiis est ritus, quo homo ægrotus, qui in agone constitutus esse videtur, oleo ab episcopo certa anni die certis adhibitis exorcismis consecrato secundum septem corporis membra (quæ sunt oculi, aures, nares, os, manus, renes & pedes) a presbytero ungitur, additis illis solennibus verbis: *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid oculorum, aurium &c. vitio deliquisti, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Atque ritus ille ideo dicitur unctio *extrema*, quod, ut *Becanus* Theol. schol. part. III, tr. cap. XXVII. ait, *in extremo periculo vitæ adhibeatur.* Illa ipsa unctio consvevit etiam appellari sacramentum *exeuntium*, quia iis in Papatu applicatur, qui *in exitu vitæ constituti videntur.* Exorcisatio autem, qua adhibita oleum in extrema unctione occurrens consecrari solet, hunc in modum concipitur: *Exorcizo te immundissime Spiritus, omnisque incursio Satanæ, & omne phantasma, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, ut recedas ab hoc oleo, ut possit*

effici unctio spiritualis ad corroborandum templum DEI vivi.

§. 5. *Confirmationi*, *Ordini*, & *Extremæ unctioni*, nec non *Matrimonio* atque *Pœnitentiæ* rationem & appellationem sacramenti vere ac proprie sic dicti tanta animi contentione *Pontificii* tribuunt, ut eum, qui aliter sentit, anathemate percutiant.

§. 6. Nimirum non solum in *Catechis.* Trid. de *Confirm. Sacram.* cap. V. p. 179. 180, docent, quod *Confirmatio baptizatorum* gratiam Baptismi confirmet, imo augeat, verum etiam in *Concil. Trid.* Sess. VII. can. I. & II. speciali anathemate feriunt, *si quis dixerit*, *confirmationem baptizatorum non esse verum & proprium sacramentum.*

§. 7. Quod ad *ordinem* attinet, in *Concil. Trid. Sess.* XXIII. cap. III. statuunt, *neminem dubitare debere*, quin *ordo sit vere & proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis*, atque *can.* III. anathema decernunt, si quis istud negaverit.

§. 8. Similiter in *Concil. Trid.* Sess. XIV. non tantum *Extremam unctionem* tanquam vere & proprie dictum Novi Testamenti Sacramentum, quod conferat gratiam Spiritus Sancti, reliquias peccati abstergat, fiduciam in anima ægroti excitet, ad resistendum felicius tentationibus dæmonis, *præfat. doctrinæ de Sacr. Extr. unct. & cap. I. & II.* commendant, verum etiam hæc omnia cap. I. II. III. sub anathemate definiunt,

§. 9. Docent quoque in *Concil. Trid.* Sess. XXIV.

XXIV. §. II. & III. *matrimonium esse vere & proprie unum ex septem legis Evangelicæ Sacramentis a Christo Domino institutum, & conferre gratiam, quæ naturalem conjugum amorem perficiat, conjugesque sanctificet*, atque *Can.* I. anathema esse jubent, si quis hæc negaverit.

§. 10. Denique in *Concil. Trid. Sess.* XIV. *Can.* I. anathema denunciant, *si quis dixerit, in Catholica Ecclesia pœnitentiam non esse vere & proprie sacramentum.*

§. 11. Ast *Protestantes* evibratis Pontificiorum anathematum fulminibus a veritatis professione se dimoveri non fiunt, sed *Confirmationem, Ordinem, Extremam unctionem, Matrimonium*, & *Pœnitentiam* proprie ac stricte sic dicta Sacramenta esse, ex rationibus solidis inficiantur. Quippe I. *Confirmatio* nec mandatum DEI, nec externum & visibile elementum divinitus præscriptum, nec promissionem gratiæ evangelicæ habet. II. *Ordo* nec promissionem gratiæ evangelicæ habet, nec continet externum & visibile elementum a DEO institutum. III. *Extrema unctio* neque est a DEO mandata, neque promissionem gratiæ Evangelio propriæ habet, neque elementum externum ab ipso DEO ordinatum continet. Hinc *Augustana Confessionis Apologia* pag. 201. præclare scribit: *Confirmatio & extrema unctio sunt ritus accepti a Patribus, quos nec Ecclesia quidem tanquam necessarios ad salutem requirit, quia non habent mandatum DEI. Propterea non est inutile hos ritus discerne-*

re

re a superioribus, qui habent expressum mandatum DEI, & claram promissionem gratiæ. IV. *Pœnitentia* non continet externum & visibile elementum a DEO ordinatum, quo mediante gratia evangelica homini conferatur aut obsignetur. V. *Matrimonium* neque est actio (cum sit societas seu status quidam,) neque habet elementum externum a DEO institutum, neque est organon, per quod gratia Evangelica confertur, aut confirmatur & obsignatur. Quo pertinet, quod laudata *Apologia* pag. 202. inquit: *Matrimonium habet mandatum DEI, habet & promissiones, non quidem proprie ad novum Testamentum pertinentes sed magis pertinentes ad vitam corporalem. Quare si quis volet Sacramentum vocare, discernere tamen a prioribus illis debet, quæ proprie sunt signa novi testamenti, & sunt testimonia gratiæ & remissionis peccatorum.*

§. 12. *Bellarminus* Tomo III. Controversiarum Libr. II. cap. XXIV. *& Becanus* in Theol. Scholast. P. III. tr. II. cap. XIV. XXVI. qu. I. cap. XXVII. qu. II cap. XXIX. qu. I. cap. XLIV. qu. IV. omnem movent lapidem, ut de *Confirmatione, Pœnitentia, Extrema unctione, Ordine & Matrimonio* ex scriptura sacra probent, quod habeant, mandatum, & gratiæ promissionem, ac constent ritu externo divinitus instituto. Sed ex nostratibus Theologis eas, quas nominati jam Doctores Pontificii protulere, rationes in *Theol. Memor.* Loc. VIII. pag. 649. seqq. accuratissime examinavit *B. Valen-*

Valentinus Veltbemius, præceptor & anteceſſor noſter in academia Jenenſi deſideratiſſimus, cujus ſingularem ἀκρίβειαν & inſignia merita laude ſemper maxima ſum proſecutus.

Th. VIII.

Non ſolum autem *Confirmationem*, *Ordinem*, & *Extremam unctionem* ob requiſitorum ſubſtantialium defectum pro Sacramentis proprie ac ſtricte ſic dictis non agnoſcimus, verum etiam ritus illos, prout in Papatu traduntur & celebrantur, ob eas quas in ſua ſubſtantia continent, ſuperſtitiones, aut propter inſignes, quos involvunt, errores in eccleſia plane non tolarandos putamus.

§. 1. Ingens ſane error & ſuperſtitio eſt, ſi traditionibus humanis, ſeu meris hominum inventis ſupernaturales ac ſpirituales effectus tribuas: Jam vero de *Confirmatione*, quippe quæ omni mandato DEI deſtituitur, atque ab hominibus excogitata eſt, *Pontificii* prædicant, quod non ſolum confirmet, ſed etiam augeat gratiam baptiſmi; nec non *extremam unctionem* commendant ut Sacramentum, quod conferat gratiam Spiritus ſancti, reliquias peccati abſtergat, fiduciam in anima ægroti excitet ad reſiſtendum felicius tentationibus dæmonis. Sic & uterque ille ritus continet elementum externum, ſuperſtitioſis & cum manifeſto divini nominis abuſu conjunctis exorciſandi ac benedicendi formulis conſecratum. §. 2.

§. 2. Quod ad illum, quem *Pontificii* itidem inter sacramenta referunt, *Ordinem* attinet, is ex ista causa rejiciendus est, quod contineat in se inaugurationem ad sacerdotium proprie dictum, quod pro populo sacrificet proprie loquendo, & mereatur aliis remissionem peccatorum. Nullum enim aliud Novi Testamenti sacrificium proprie dictum præter sacrificium Christi in cruce morientis datur, nec propter ulla reliqua sacrificia, sed propter illud unum Christi sacrificium fide apprehensum homines justificantur, seu peccatorum remissionem consequuntur. Quo circa *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 201. egregie & exquisite scribit: *Sacerdotium intelligunt adversarii non de ministerio verbi & Sacramentorum aliis porrigendorum, sed intelligunt de Sacrificio, quasi oporteat esse in Novo Testamento Sacerdotium simile Levitico, quod pro populo sacrificet, & mereatur aliis remissionem peccatorum. Nos docemus, sacrificium Christi morientis in cruce satis fuisse pro peccatis totius mundi, nec indigere præterea aliis sacrificiis, quasi illud non satis fuerit pro peccatis nostris. Ideo justificantur homines non propter ulla reliqua sacrificia, sed propter illud unum Christi sacrificium, si credant, illo sacrificio se redemtos esse. Ideo sacerdotes vocantur, non ad ulla sacrificia velut in Lege pro populo facienda, ut per ea mereantur populo remissionem peccatorum, sed vocantur ad docendum Evangelium, & sacramenta porrigenda populo. Nec habemus nos aliud sacrificium, simile Levitico, sicut*

satis

satis docet Epistola ad Ebræos. Si autem ORDO *de ministerio verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus* ORDINEM *Sacramentum* (in latiori, scilicet significatu.) Nam ministerium verbi habet mandatum DEI, & habet magnificas promissiones.

Th. IX.

DEUS est *causa efficiens principalis* Sacramentorum vere ac stricte sic dictorum (h. e. DEUS *sua autoritate certas actiones aut certos ritus tanquam media gratiæ celebrari jussit, ac quomodo & qua ratione ritus illi celebrari debeant, determinavit, itemque sua autoritate iisdem ritibus promissionem gratiæ evangelicæ addidit, ac porro sua autoritate, propriaque ac sufficiente virtute eos tanquam organa ad gratiam evangelicam conferendam aut obsignandam elevavit, ac etiamnum elevat.*)

§. 1. Quando DEUS certam actionem, aut certum quendam ritum tanquam medium gratiæ celebrari jussit, hoc ipso fuit Sacramenti causa efficiens quoad *exercitium actus:* Sic enim præcise exercitium actus sacramentalis præcepit. Quatenus autem determinavit, quomodo & qua ratione actus ille celebrari debeat, Sacramenti fuit causa efficiens quoad *speciem* actus: Ita enim disposuit de iis, quæ ad speciem, h. e. ad rationem & substantiam actus sacramentalis pertinent.

§. 2.

§. 2. Ipsam thesin hocce argumento demonstramus: *Quicunque solus sua & propria autoritate media illa, per quæ gratia evangelica conferatur aut obsignetur, definire, sua & propria autoritate gratiam evangelicam promittere, & sua propriaque ac sufficiente potentia actiones quasdam tanquam organa ad gratiam evangelicam conferendam aut obsignandam elevare potest, is est Sacramentorum causa efficiens principalis* (seu is est agens illud, quod sua autoritate certas actiones, aut certos ritus, tanquam media gratiæ, celebrari jussit, ac quomodo & qua ratione ritus illi celebrari debeant, determinavit, itemque ritibus istis promissionem gratiæ evangelicæ addidit, ac porro eosdem illos ritus tanquam organa ad gratiam evangelicam conferendam aut obsignandam elevavit, ac etiamnum elevat.) *Atqui solus DEUS sua & propria autoritate media illa, per quæ gratia evangelica conferatur aut obsignetur, definire, sua & propria autoritate gratiam evangelicam promittere, & sua propriaque ac sufficiente potentia actiones quasdam tanquam organa ad gratiam evangelicam conferendam aut obsignandam elevare potest. Ergo DEUS est Sacramentorum causa efficiens principalis.* Major propositio ex eo liquet, quod actus, quia necessario præsupponit potentiam, ab eo dependeat, quod solum potentia actum exercendi pollet. Minor exinde patet, quod solus DEUS sit autor gratiæ evangelicæ ac solus vim infinitam habeat, solus vero autor gratiæ evangelicæ media

illius

illius gratiæ ſua & propria autoritate definire, eamque gratiam ſua & propria autoritate promittere valeat, atque is ſolus, qui infinita virtute ſolus pollet, actiones quasdam tanquam organa ad gratiam evangelicam conferendam aut obſignandam elevare poſſit.

Th. X.

Et quidem *DEUS Trinunus* eſt Sacramantorum cauſa efficiens principalis.

Si enim DEUS ſua autoritate certos ritus, tanquam media gratiæ, celebrari juſſit, ac quomodo & qua ratione ritus illi celebrari debeant, externe determinavit, itemque ritibus iſtis promiſſionem gratiæ evangelicæ addidit, ac porro eosdem illos ritus, tanquam organa, ad gratiam evangelicam conferendam aut obſignandam elevavit, ac etiamnum elevat, certe ab omnibus tribus divinitatis perſonis illæ mandandi, inſtituendi, promittendi & elevandi actiones dependent, ſeu omnes tres divinitatis perſonæ ſunt Sacramentorum cauſa efficiens principalis: Omnes enim divinæ illæ actiones habent ſe per modum actionum DEI ad extra, cujuſmodi ſane actiones ſunt indiviſæ.

Th. XI.

Cauſa impulſiva Sacramentorum (h. e. illud, quod DEUM, ejusque voluntatem movet, ut Sacramenta mandare & inſtituere vellet, ac mandaret reapſe, & inſtitueret,) eſt

cum interna, tum externa: Interna est *DEI bonitas* seu misericordia; externa vero est tum *nostra infirmitas*, tum *Christi Meritum*.

§. 1. Quod DEUM ad mandanda & instituenda Sacramenta ipsius *bonitas* seu *misericordia* moverit, argumentis liquidissimis demonstratur. Omne quippe divinum in nos collatum beneficium ex bonitate ac misericordia DEI promanat; Atqui Sacramentorum institutio est insigne Numinis beneficium, cum Sacramenta sint efficacia gratiæ Evangelicæ conferendæ aut obsignandæ media. Omne quoque illud, quod DEUS ad nostram infirmitatem sublevandam facit, ex divina bonitate ac misericordia oritur: DEUS autem instituit Sacramenta ad nostram sublevandam infirmitatem, siquidem, cum homines ex infirmitate sua de promissionibus evangelicis facile dubitent, nuda Evangelii revelatione non fuit contentus, sed signis externis confirmare voluit, quod de salute nostra in Verbo docetur. Vid. *B. Gerhardus* L. de *Sacram.* §. 1, 2.

§. 2. DEUM nostra infirmitate commotum instituisse sacramenta, vel inde liquet, quod DEUM infinite bonum ac misericordem ad faciendum id, quod nostræ miseriæ ac indigentiæ adjuvandæ causa præstat, hæc ipsa nostra miseria & indigentia moveat.

§. 3. Quod DEUS Christi Merito impulsus Sacramenta instituerit, patet inprimis ex *Eph. I, 3.* ubi

3. ubi *DEUS omni benedictione spirituali in Christo* (h. e. propter Christum, ejusque Meritum) *nobis benedicere* dicitur. Si enim propter Christi Meritum omnem benedictionem spiritualem accipimus, DEUS quoque propter illud Meritum Sacramenta instituit. Sacramenta enim, cum sint organa & media conferendæ aut obsignandæ gratiæ evangelicæ, ad spiritualem benedictionem omnino pertinent.

Th. XII.

Sicut igitur DEUS Trinunus est Sacramentorum causa efficiens principalis: ita dantur personæ, quæ DEO, ut Sacramentum in Ecclesiam primum introduceretur, ministerium præbuerunt, atque Sacramentum jam institutum dependenter ab autoritate divina, & exacte juxta DEI institutionem in usu constituerunt: vel alterum saltem ministerialem actum, nempe Sacramenti administrationem divinæ institutioni conformem obierunt, aut obeunt. Cujusmodi personæ Sacramentorum causa efficiens *minus principalis* vocari solent.

§. 1. E. gr. Circumcisionis causa efficiens minus principalis erat Abraham, tum quatenus tanquam minister promulgandæ divinæ institutionis DEO præbebat ministerium, ut Sacramentum

illud in ecclesiam primum introduceretur, tum quatenq circumcisionis actum juxta Dei institutionem primus exercebat: Patriarchæ vero succedentes, ac postea Sacerdotes Levitici eatenus circumcisionis causa efficiens minus principalis erant, quatenus dependenter a divina autoritate, atque juxta institutionem DEI circumcisionem peragebant. Sic & Sacramenti *paschatis* causa efficiens minus principalis Moses & Aaron erant, quatenus tanquam ministri promulgendæ institutionis divinæ DEO ministerium præbebant, ut sacramentum illud in ecclesiam Israeliticam primum introduceretur: Israelitici vero Patresfamilias, ac postea Levitæ ejusdem sacramenti causa efficiens minus principalis erant, in quantum divina autoritate, & juxta institutionem DEI, tanquam superioris, illud administrabant.

§. 2. Pari ratione Apostoli fuere causa efficiens minus principalis *baptismi*, quatenus tum Christo Domino ut publicandæ divinæ institutionis ministri servierunt, ut baptismus in ecclesiam Novi Testamenti primum introduceretur, tum dependenter ab autoritate Christi, & juxta ejus institutionem baptizarunt.

Thes. XIII.

Nemini autem, nisi ministro Ecclesiæ, Sacramenta Novi Testamenti ordinarie administrare licet: prout etiam in Vet. Test. Sacramentum circumsionis ordinarie soli sacrorum

crorum ministri ac Doctores ecclesiæ in usu constituerunt.

§. 1. Quod ad Veteris Testamenti Sacramenta attinet, loquor præcise de *Sacramento circumcisionis*. Nam Patres familias sacramentum Paschatis, cum primum in Ægypto celebrandum esset, promiscue administrarunt, & postea, instituto sacerdotio Levitico, agnum paschalem si non mactarunt (de quo adhuc disputatur,) tamen asarunt & comederunt.

§. 2. Cæterum, instituto sacerdotio Levitico, sacerdotes Levitæ, utpote cæteras quoque ministerii ecclesiastici partes ex institutione divina sibi vendicantes, sacramentum circumcisionis ordinarie exercuerunt, atque ante illud sacerdotium Patriarchæ, non tam ut capita familiarum, sed magis ut ministri sacrorum, quisque in ecclesia domus suæ, hoc ipsum sacramentum ordinarie administrarunt.

§. 3. Quod autem nemini, nisi ministro ecclesiæ Sacramenta Novi Testamenti ordinarie administrare licitum sit, liquet inprimis ex 1. *Cor.* IV, 1. ubi ministri ecclesiæ vocantur οἰκονόμοι μυστηρίων Θεοῦ, *dispensatores mysteriorum DEI* (h. e. Verbi & Sacramentorum verbo annexorum, quæ dicuntur *mysteria*, quod arcanorum de salute nostra consiliorum DEI signa & pignora sint) Quod si enim Laicis quoque facultas ordinarie administrandi Sacramenta conveniret, non posset solis ec-

cleſiæ Doctoribus œconomorum ſeu diſpenſatorum iſtorum Titulus peculiariter tribui.

Th. XIV.

Uti autem extraordinarie & in neceſſitatis caſu circumciſio a Laicis & fœminis recte peracta fuit: ita etiam in N. T. baptiſmum extraordinarie & in neceſſitatis caſu adminiſtrare Laico aut fœminæ conſenſum eſt.

§. 1. Quod circumciſione extraordinarie & in caſu neceſſitatis fungi licitum fuerit fœminis, manifeſtum eſt ex *Exod. IV, 26.* ubi ſubinnuit Moſes, DEUM circumciſionem filii a fœmina Zippora adminiſtratam per hoc approbaſſe, quod plagam, quam propter intermiſſum circumciſionis actum alias illaturus erat, benigne remiſerit.

§. 2. Quod ſi igitur circumciſio a fœmina in caſu neceſſitatis licite peracta fuit, profecto etiam fœminæ aut Laico in iſtiuſmodi caſu baptiſmum adminiſtrare licet: Baptiſmus enim in locum circumciſionis ſucceſſit, & æque ac circumciſio eſt Sacramentum initiationis, mediumque, quo homines divino fœderi inſeruntur.

§. 3. Singulari autem ſtudio neceſſitatis caſum (quod ad Sacramenta Novi Teſtamenti attinet) ad *Baptiſmum* in theſi noſtra reſtrinxi. Nec enim in Sacræ Cœnæ, ſed in Baptiſmi Sacramento neceſſitatis caſus locum habet. Quippe neceſſitatis

sitatis casus h. l. dicitur casus, in quo periculum est, ne absque illo Sacramento, sine quo homo ordinaria via regnum cœlorum ingredi nequit, aliquis moriatur, antequam minister ecclesiæ Sacramentum administraturus accersitur. At vero licet Christus *Joh. III, 5.* testatus sit, *non posse* homines *introire in regnum DEI, nisi ex aqua & Spiritu nati fuerint*, tanta tamen necessitas de Sacra Cœna nullibi in Scripturis asseritur, cum nusquam in literis sacris legatur: *Nisi quis ad Eucharistiam accesserit, non poterit ingredi regnum cœlorum*, Certe dictum *Joh. VI, 53. Nisi ederitis carnem meam, & biberitis meum sanguinem, non habebitis vitam*, de spirituali, non sacramentali manducatione agit.

§. 4. Quod si autem in Sacramento Cœnæ casus necessitatis locum non invenit, nullo sane tempore, ac nullo casu per Laicum vel Laicam fidelem Sacramentum illud administrari debet. Unde nec Laico concedendum, ut alicui S. Cœnam porrigat, etiam si homo fidelis vel morti proximus, vel alio in Loco ac casu, quo Ecclesiæ minister haberi non potest, constitutus eam anxie desideret. Cæterum homines in istiusmodi casu Sacram cœnam expetentes docendi sunt, quod hujus Sacramenti non sit tanta necessitas, quanta est baptismi, atque adultis, Sacram Cœnam alias non contemnentibus, manducatio spiritualis ad salutem sufficiat: &, si homines isti Cœnam exposcere nondum desinant, monendi sunt de periculis aliarum tentationum, quæ suboriri possent, si Sacramen-

tum ab alio, citra vocationem legitimam, adeoque dubia mente & eventu, administretur. Vid. omnino *B. Bajerus* noster in *Comp. Theol. Posit.* P. III. cap. XI. §. IV. not. (c) Quamvis vero Laico non permittatur, ut eo casu, quo ecclesiæ minister haberi nequit, cœnam moribundo administret; permittitur tamen, ut dictis Scripturarum solatii plenis piisque precibus ipsum erigat, fidemque in eo per Verbum excitet ac confirmet.

Th. XIII.

Non autem ex parte ministri ecclesiæ, qui Sacramenta administrat, probitas vitæ aut dignitas ad Sacramenti valorem seu efficaciam requiritur.

§. 1. *Non admit Sacramentis efficaciam, quod per indignos tractantur:* inquit *Augustana Confessionis Apologia* Art. VII. p. m. 150. Quo respicit ipsa *Augustana Confessio* art. VIII. ubi ait: *Licet uti Sacramentis, quæ per malos administrantur.*

§. 2. Thesis & assertio nostra duabus nunc rationibus comprobatur. Videlicet (α) minister ecclesiæ, cum Sacramentorum non nisi causa efficiens minus principalis sit, Sacramento, quod tractat, non largitur efficaciam, sed tantum id, tanquam medium & organon, quod ex sola DEI elevantis virtute operatur, in usu constituit. Quomodo ergo Sacramentorum valor & efficacia a dignita-

gnitate ac qualitate ministrorum ecclesiæ dependebit? (β) Si dignitas & probitas Ministri ecclesiæ non requiritur ad Verbi prædicati valorem & efficaciam, sane nec illa ministrorum qualitas ad Sacramentorum efficaciam exigitur. Verbi enim & Sacramenti hic eadem est ratio, cum sicut Verbum, ita etiam Sacramentum sit organon gratiæ, quod per ministros ecclesiæ tractatur, & in usu constituitur. Dignitatem autem ministrorum ecclesiæ ad Verbi prædicati efficaciam haud requiri, clarissime liquet. Quippe Christus flagitiosissimos etiam Doctores, quatenus dogmata Verbi DEI consentanea proferunt, audiendos præcepit, quando *Matth. XXIII, 2. 3.* servare & facere jussit, quæcunque Scribæ & Pharisæi in cathedra Mosis sedentes (qua tales, seu quatenus in cathedra Mosis sedebant, & Verbum ex Mose ac Prophetis prælegebant) servare & facere jusserant: Non autem Christus Doctores vitiis tam enormibus coinquinatos audire haud fuisset jussurus, si illud, quod prædicant, Verbum valorem nullum, nullam efficaciam exereret. Sic & quando Apostolus, *quovis modo sive in speciem* (h. e. per prætextum, quo Doctores suæ ambitioni Christum prætexunt, & propter Christum se laborare jactitant, cum tamen privatam duntaxat gloriam aucupentur,) *sive sincere* (h. e. animo sincero & integro) *Christum annunciari*, *Philipp. I, 18.* perhibet, hoc ipso significat, a Doctoribus ecclesiæ, qualescunque sint, & quibuscunque moribus præditi, Evangelium pro-

moveri, dummodo vera sint, quæ de Christo proferunt, atque adeo Verbum etiam per improbos prædicatum efficax esse, atque DEUM etiam per vitiosos ministros præclarum opus efficere.

§. 3. Nos *Protestantium* vestigia secuti thesin hucusque demonstratam opposuimus *Donatistis* & *similibus*, qui (ut *Augustana Confessio* art. VIII. loquitur) *negabant licere uti ministerio malorum in ecclesia*, & *sentiebant ministerium malorum inutile & inefficax esse*. Scilicet *Donatistæ* (ab *Augustino Tom. VII.* Opp. ex professo refutati,) eosque affectati *Anabaptistæ* (de quibus videatur *Embdanum Colloquium*) Sacramentorum efficaciam a sanctitate & dignitate ministrorum dependere docuerunt. Cujus erroris divulgandi occasionem sumserunt ex doctrina *Cypriani*, & aliorum ei adstipulantium ecclesiæ Africanæ episcoporum, qui ab hæreticis baptizatos rebaptizandos ac proinde baptismum ab hæretico administratum inefficacem esse contendebant. Hanc enim opinionem a se revocatam *Donatistæ* longius extendebant ad quosvis indignos ministros, etiam eos, qui non legitime ordinati, vel alias enormibus peccatis contaminati erant.

Th. XIV.

Neque ad Sacramentorum integritatem aut valorem requiritur, ut sacrorum minister vel illo tempore, quo Sacramentum admi-

administrat, vel paulo ante, directe intendat per Sacramentum conferre fructum & effectum ejus, nempe Gratiam DEI & remissionem peccatorum.

§. 1. Aliud est, intentionem conferendi fructum Sacramenti in administratione Sacramentorum esse necessariam sacrorum ministro, seu (ut *Bellarminus* Lib. I. de *sacramentis* cap. XXVII. loqui amat) *necessariam* esse in administratione sacramentorum *necessitate præcepti:* Aliud, intentionem illam in Sacramentorum administratione *necessariam* esse ad Sacramentorum integritatem aut valorem, seu *necessariam* esse *necessitate sacramenti.* Necessitatem prioris modi statuimus, cum inter officia ministro ecclesiæ jure divino præcepta sit, in administratione Sacramenti animo præsentissimo, attento, pio, devoto esse, atque adeo de fructu per hoc Sacramentum conferendo cogitare; Necessitatem autem posterioris modi negamus.

§. 2. Thesis nostra iisdem fere rationibus, quibus thesis proxime antecedens, demonstratur. Nimirum (α) Sacramenta perfectionem & efficaciam suam unice habent ab institutione ac voluntate DEI, qui non tantum determinavit ea, quæ ad substantiam & integritatem Sacramentorum pertinent, sed & ut agens principale Sacramenta tanquam organa ad producendum effectum supernaturalem elevat. Ergo propter intentionis, qua mini-

minister effectum Sacramentorum conferre intendit, defectum nihil sacramentorum perfectioni aut valori decedit. (β) Si intentio, qua minister ecclesiæ fructum Verbi auditoribus conferre intendat, ad Verbi prædicati perfectionem & valorem non requiritur, sane nec intentio, qua minister fructum & effectum Sacramenti conferre serio velit, ad Sacramenti perfectionem & efficaciam necessaria erit: Verbi enim prædicati & Sacramentorum hic eadem est ratio. Intentionem autem, qua ecclesiæ Doctor Verbi fructum largiri auditoribus intendit, ad Verbi prædicati perfectionem & efficaciam non requiri, itidem ex *Philipp. I, 18.* luculente adparet. Quando enim Apostolus testatur, *quovis modo, sive in speciem, sive sincere, Christum annunciari*, hoc ipso subinnuit, a Doctoribus ecclesiæ veritatem eloquentibus, qualescunque intentionem habeant, Evangelium promoveri, atque adeo Verbum, etiam ab iis, qui Verbi fructum auditoribus conferre non intendunt, prædicatum, verum, perfectum & efficax DEI Verbum esse, ac DEUM etiam per Doctores fructum Verbi non intendentes salutare opus perficere.

§. 3. Hinc illud ipsum, quod in thesi nostra docemus, ipsi tandem statuunt *Pontificii*. Diserte enim *Gvilielmus Estius* in suis *in IV. Libros sententiarum commentariis* tom. IV. *parte priori* §. 23. scribit: *Non ideo, quia minister particulari sua intentione excluſum vult sacramenti effectum, reve-*

revera excluditur, quia divino operi vim suam adimere non potest, quidquid demum sit, quod in particulari intendit, modo adsint ea omnia, quæ ex institutione divina necessario requiruntur, quomodo & medicamentum aliquod efficax curabit ægrotum, qualiscunque fuerit medici porrigentis intentio. Sicut autem non impedit effectum sacramenti infidelitas animo inclusa, ita nec verbo expressa, quamdiu forma & significatio verborum non mutatur, & cætera adsunt. Et quando *Tridentinum Concilium* Sess. VII, can XI. anathema dicit, *si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt & conferunt, non requiri intentionem, saltem faciendi quod facit Ecclesia*, id *Bellarminus* Lib. I. de *Sacrament.* cap. XXVII. & XXIIX. in respectu non ad *finem* sed ad *substantiam* sacramenti, dictum perhibet. Idem cum *Estio* & *Bellarmino* docent *Becanus* Theol. Schol. Part. II. Tomo posteriore, tr. II. cap. V. qu. 3. concl. 2. §. 7. *Hugo de Sancto Victore* Libr. II. de Sacram. p. VI. cap. 13. *Angelus* de *Clavasio* Summ. de casibus Consc. tit. *baptismus*, sect. V. n. 7.

Th. XV.

Neque vero ad Sacramentorum integritatem aut efficaciam requiritur, ut minister ecclesiæ eo tempore, quo administrat Sacramentum, intendat Sacramentum administrare vel saltem in confuso facere id, quod facit ecclesia.

§. I.

§. 1. Hic quoque probe observandum, quod aliud sit, intentionem Sacramentum administrandi ministro ecclesiæ in ipso administrationis actu necessariam esse; aliud, intentionem eandem in ipso administrationis actu ad Sacramenti integritatem aut valorem necessariam esse: Illam quippe necessitatem docemus, cum minister ecclesiæ, dum administrat Sacramentum, animo præsentissimo, attento & devoto esse, atque sic de sacramento administrando, vel saltem faciendo eo, quod facit ecclesia, cogitare debeat: hanc vero negamus, cum *B. Carpzovio* ex ejus Isagog. in Libb. Symbol. cap 315. seq. docentes, *hoc nihil vel demere vel addere Sacramento, quomodo de Sacramento æstimet minister, & quo ejus mens in administratione feratur.*

§. 2. De nostræ theseos veritate liquidissime constat. Si enim ad integritatem aut efficaciam Sacramenti requiritur, ut minister ecclesiæ, dum Sacramentum administrat, administrare illud, vel saltem facere, quod facit ecclesia, vere ac proprie loquendo intendat, is profecto, qui usus est Sacramento, de eo certus esse nequit, quod verum perceperit Sacramentum, aut fructum Sacramenti fuerit adeptus. Fieri enim potest, ac non raro contingit, ut minister ecclesiæ in ipsa Sacramenti administratione reapse non intendat administrare Sacramentum, vel facere saltem, quod ecclesia facit, sed animus ejus plane alienis cogitationibus distrahatur,

§. 3.

§. 3. *Pontificii*, qui in *Concil. Trident. Sess.* VII. *can.* XI. ad integritatem Sacramenti requirunt, ut minister eo tempore, quo administrat Sacrament., intentionem habeat administrandi Sacramentum, aut certe faciendi, quod facit Ecclesia, ad nostrum hoc argumentum excipere solent, illum quoque ministrum, cujus animus in ipso administrationis Sacramentorum actu alienis plane cogitationibus distrahitur, Sacramentum administrandi, vel saltim in confuso faciendi, quod facit Ecclesia, intentionem in ipsa administratione habere, non quidem intentionem *actualem*, tamen *virtualem* (h. e. actu non intendere, nec serio velle administrationem Sacramenti, propter aliquam mentis evagationem, tamen paulo ante actu intendisse ac voluisse, & in virtute actualis illius intentionis fieri operationem.) Vid. *Bellarminus* Libr. I. de *Sacram.* cap. XXVII. & *Becanus* l. c. quæst. 2. & 4. Verum enim vero virtualis illa, quam *Pontificii* hic comminiscuntur, intentio vere & proprie loquendo non est intentio. Intentio enim, vere ac proprie sic dicta, est actus, quo voluntas jam in objectum ab intellectu cognitum revere tendit, idque vult serio ut efficiendum aut obtinendum. Jam vero rei intentio virtualis in eo consistere dicitur, quod voluntas agentis in rem aliquam revera jam non tendat, nec jam serio velit eam ut efficiendam aut obtinendam, sed eam paulo ante voluerit, & in præcedentis illius intentionis virtute operatio fiat. Quod si igitur minister ille, cujus ani-

animus in ipso administrationis actu alienis plane cogitationibus distrahitur, non actualem Sacramentum administrandi, sed virtualem intentionem habet, sane eo tempore, quo Sacramentum administrat, Sacramenti administrationem vere ac proprie loquendo non intendit. Pertinet huc, quod *B.* noster *Bechmannus* in *Theol. Polem.* Loc. XII. *Controv.* I. *sect.* II. §. 1. scribit: *Si requiritur intentio virtualis ad Sacramentum, non vero actualis, sequitur, intentionem non requiri, Consequentia probatur, quia intentio virtualis revera non est intentio.*

§. 4. Patet autem ex hactenus dictis, *Pontificios* ad integritatem Sacramenti requirere, ut ministri, dum Sacramentum conferunt, habeant administrandi Sacramentum, aut saltem faciendi, quod facit Ecclesia, intentionem, & eam quidem vel *actualem*, vel *virtualem*. Quando enim concilii *Tridentini* Patres I. c. anathema dicunt, *si quis dixerit, in ministris, dum sacramentum conficiunt & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia*, ad illud *Tridentinæ synodi* effatum declarandum I. c. *Bellarminus* monet, non tantum *actualem* sed & *virtualem* intentionem sufficere. Idem *Becanus* l. c. concluſ. I. statuit, ad communem Doctorum Scholæ consensum una provocans.

§. 5. Atque nunc, ubi de *Pontificiorum* sententia ac mente nobis liquidius constat, ex ipsis eorum hypothesibus contra illam in *Concilio Trideno*

Tridentino traditam doctrinam, quod *in ministris, dum Sacramenta conferunt, requiretur intentio saltem faciendi quod facit Ecclesia*, fortissimum argumentum petere licet. Nimirum si ad sacramenti integritatem sufficit, si minister in ipso administrationis actu intentionem virtualem sacramentum administrandi, vel saltem faciendi quod facit Ecclesia, habeat, sequitur, ad sacramenti integritatem non requiri intentionem. Intentio enim virtualis non est vera & realis intentio.

§. 6. Miramur autem vehementer, ex nostratibus Theologis *B. Velthemium*, cujus acumen & præclara merita magnopere alias deprædicamus in *Theol. Memor.* Loc. VIII. p. m. 737. in eam prolabi sententiam, ut *intentionem virtualem ad Sacramenti administrationem prorsus necessariam* esse doceat. Sæpissime enim in ipso administrationis actu adest *actualis*, ut vocatur, intentio, virtuali intentioni opposita, cum illi ministri qui juxta officii sui regulas in administratione sacramentorum animo præsentissimo, attento, pio & devoto sunt, actu intendant administrationem Sacramenti, & serio velint secundum voluntatem & institutionem Christi Sacramentum administrare. Quod si igitur intentio actualis, quæ virtualem prorsus excludit, in ipso administrationis actu sæpissime adest, qua, quæso, ratione ad Sacramenti administrationem intentio virtualis prorsus necessaria erit?

Th. XVI.

Quamvis vero ad integritatem & valorem Sacramenti minime requiratur, ut minister eo temporis articulo, quo administrat Sacramentum, intendat Sacramentum administrare, vel saltem facere, quod facit Ecclesia, vera tamen & realis intentio ritum illum, qui in se est Sacramentalis, celebrandi, vel saltem actu externo faciendi, quod facit ecclesia, cujusvis Sacramenti exercitium necessario in ministro antecedit.

§. 1. Annon enim minister ecclesiæ, quando ad Sacramentum administrandum vocatur & accersitur, ea intentione accedit, ut ritum illum, qui in se est Sacramentum, administret, vel saltem actu externo faciat, quod facit Ecclesia?

§. 2. Argumentamur porro hunc in modum: *Quicunque actus non est actus fortuitus & casualis, ille fit ex agentis intentione. Atqui Sacramenti administratio non est actus fortuitus & casualis. Ergo fit ex hominis Sacramentum administrantis intentione.* Uti major propositio evidens est, ita de minoris veritate nemo dubitabit.

Th. XVII.

Materia Sacramentorum plane non datur, si sermo sit de materia EX QVA, stricte sic dicta.

Nihi-

Nihil enim materiam taliusmodi habet, nisi sit substantia ex materia & forma composita. At vero Sacramentum non est substantia ex materia & forma conflata, sed est actio, non quidem simplex actio, sed aggregatum quid ex pluribus ad se invicem ordinatis actionibus, certe ex sensibili circa elementum sensibile occupata actione, atque ex ea, qua Verbum institutionis profertur, & ad sensibilem circa elementum externum occupatam actionem simul adhibetur, operatione; prout e. gr. Sacramentum baptismi non est substantia, sed actio complexa, quæ ex ablutione per aquam, & ex sensibili S. S. Trinitatis, DEI Patris, & Filii & Spiritus Sancti invocatione aggregatur.

Th. XVIII.

Si per Sacramenti *materiam* intelligitur *materia* CIRCA QUAM seu objectum, tunc Sacramenti materia non tantum est elementum quoddam visibile & externum, divinitus ad hanc vel illam Sacramenti speciem ordinatum, verum etiam homo, cui Sacramentum applicatur.

§. 1. Sacramentum enim, utpote actio quædam sacra, non solum circa elementum illud externum sed & circa hominem, cui applicatur Sacramentum, occupatum est.

§. 2. Et quidem elementum externum ac visibile est sacramenti *objectum reale* (h. e. ens per-

sonæ contradistinctum, circa quod actio sacramentalis occupatur;) homo autem, cui Sacramentum applicatur, est *Objectum Personale* (h. e. persona, circa quam Sacramentalis actio versatur.) E. gr. Baptismi objectum reale est aqua vera & naturalis, qua homo, dum baptizatur, perfunditur; personale autem est homo, qui baptizatur. Sic & Sacramenti Cœnæ objectum reale sunt materia terrena (panis & vinum,) & materia cœlestis (Corpus & sanguis Christi,) quatenus in sacramento Cœnæ reapse accipiuntur; *personale* autem sunt homines materiam terrenam juxta & cœlestem accipientes, cum circa eos idem illud Sacramentum, ut actum distributionis involvit, occupetur.

Th. XIX.

Quod si materia sumatur pro eo, quod est rei *materiale* (h. e. pro concepru rei primo communi ac generico, qui ad plura specie distincta indifferens est, & ad esse talis vel talis rei aliunde determinatur & restringitur,) materia Sacramenti est sensibilis circa elementum sacramenti proprium occupata actio, si absolute & in se, sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine, consideretur.

§. 1. Illa enim actio, modo jam jam commemorato spectata, sacramento & actionibus aliis, quæ non sunt sacramentum, cummunis est, atque adeo

adeo ad sacramentalem & non-sacramentalem actionem indifferens, aliunde autem, nempe per plenam ad institutionem DEI habitudinem, determinari restringique potest ad esse sacramentalis actionis. E. gr. Sacramenti circumcisionis materiale erat amputatio præputii *in se* spectata, cum sub hac ratione indifferens esset ad sacramentalem & non-sacramentalem actionem, & per plenam ad institutionem DEI habitudinem in esse actionis sacramentalis, & quidem sacramenti circumcisionis, formaliter constitueretur. Sic & materiale sacramenti Agni Paschalis constituebant actus varii circa agnum integrum & vitio carentem, masculum & unius anni, occupati, & absolute ac in se spectati, nempe segregatio de grege, mactatio & assatio, denique aspersio sanguinis ad superliminare & postes ædium, si absolutæ & in se considerentur: Illi enim actus communes erant, ac esse poterant actionibus aliis non sacramentalibus, & per omnimodam ad institutionem DEI habitudinem ad esse Sacramentalis actionis, quæ sacram. agni Paschalis nuncupatur, determinabantur.

§. 2. Loquor autem de eadem illa actione, *ut absolute & in se, sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine* consideratur. Illa ipsa enim actio, si una cum annotata plena ad divinam institutionem habitudine consideretur, (hoc e. si spectetur, ut est a DEO instituta, & juxta institutionem divinam, atque adeo etiam adhibito Verbo institutionis, plene exercita) non est saltem Sacra-

menti materiale, sed tota ejus ratio formalis, seu tota ipsius substantia & essentia.

§. 3. Recte igitur *Vazquezius* 3. P. *Thom.* Disp. CXLI. c. I. cum multis aliis *Scholasticis* statuit *materiam Baptismi non esse aquam, sed usum illius, hoc est, ablutionem.* Materiæ enim appellatione intelligit *materiale*, seu conceptum rei essentialem genericum, qui scilicet per se indifferens est ad res specie distinctas, aliunde autem ad esse talis vel talis rei determinatur: Aſt vero aqua non potest dici baptismi conceptus essentialis genericus, cum baptismus in se & essentialiter sit actio, quæ non est substantia, repugnet vero, substantiam (cujusmodi ens utique est aqua) esse actionis alicujus conceptum essentialem genericum, qui de actione in casu recto ac proprie loquendo prædicatur. Cæterum ablutio recte vocatur baptismi *materiale*: Ista enim actio, præcise & in se spectata est baptismi conceptus essentialis genericus, qui per se indifferens est ad vulgarem & sacramentalem actionem, aliunde autem seu per hoc, quod exacte juxta institutionem Christi suscipitur, ad esse baptismi determinatur.

§. 4. Liquet autem ex hactenus dictis, eam *Scholasticorum* doctrinam, etiam a *B.* nostro *Bajero* in *Theol. Pos.* p. III. c. VIII. §. VII. receptam, quod *ablutio baptismi materia* sit, a *B. Scherzero* in *Elucid. Brev. Hülsemann.* cap. X. p. m. 487. inter ineptias & nugas absque ratione solida referri. Objicit quidem laudatus hic Theologus, *vel tyra-*

tyronem intelligere quod actio circa materiam non sit ipsa materia, e. gr, actio sutoris circa corium non sit ipsum corium; sed vel tyronibus in promtu est solutio. Nimirum licet actio circa materiam non sit illa ipsa materia, circa quam occupata est, potest tamen alio quodam respectu ac modo actionis ut ad certam speciem determinatæ materia esse, quatenus nempe *materia* conceptum rei materialem seu genericum denotat: prout e. gr. actio mactandi & asfandi agnum, absolute & in se spectata, licet non esset ipse agnus, Sacramenti tamen agni Paschalis conceptus materialis fuit. Pari igitur ratione, licet ablutio non sit ipsa aqua & baptismi materia circa quam, attamen baptismi *materiale* est, seu conceptus essentialis communis ac genericus.

Th. XX.

Inde vero, quod materia Sacramenti tum pro ejus materia circa quam, tum pro materiali sumitur, Theologi quidam cum *Scholasticis* elementum sacramenti proprium, præcise & in se spectatum, vocant Sacramenti materiam remotam, actionem vero circa elementum illud occupatam, si in se, & omni ad divinam institutionem habitudine præcisa consideretur, *materiam* Sacramenti *proximam* adpellitant.

§. 1. Ex Scolasticis *Amicus* Tom. VII. Disp. XI. de Bapt. sect. II. n. 28. scribit: *Aqua est*

materia remota, ablutio est materia proxima. Et *Tannerus Tom.* IV. Disp. IV. de Bapt. q. I. dub. II. n. 48. ait. *Materia proxima baptismi est ablutio illius, qui Baptismum susceperus est.*

§. 2. Quando autem inter sacramenti materiam remotam & proximam distingvitur, distinctio inter materiam remotam & proximam (uti vulgo solet) non applicatur materiæ EX QVA, ut materia remota vocetur materia ex qua, inter quam & inter materiatum alia materia ex qua intercedit, & materia proxima dicatur materia ex qua, inter quam & inter materiatum alia materia ex qua non intercedit: Nec enim sacramentum sui materiam ex qua agnoscit; sed materia remota in ea sumitur latitudine, qua denotat materiam, inter quam, & inter id, cujus est certo sensu materia, intercedit aliud quid materiæ appellationem quocunque modo habens, materia vero proxima designat materiam, inter quam & inter id, cujus certa ratione est materia, non intervenit aliud quid materiæ appellationem sustinens. Atque hoc sensu elementum sacramenti proprium, præcise & in se spectatum, recte vocatur Sacramenti materia remota, actio vero circa illud elementum occupata, si in se, & habitudine ad divinam institutionem præcisa consideretur, sacramenti materia proxima. Quippe e. gr. inter aquam, quæ est baptismi materia (quatenus denotat materiam circa quam) & inter baptismum aliquid intercedit, quod baptismi materia eo sensu,

quo

quo materia conceptum rei communem ac genericum denotat, appellatur, nempe ablutio: Nec enim aqua habet rationem materiæ in baptismo, nisi quatenus actioni certæ, videlicet ablutioni, subest, & per eam tractatur; ast inter ablutionem & inter baptismum nihil amplius intercedit, quod baptismi materia nuncupetur.

Th. XXI.

Dici alias potest, quod elementum externum, præcise & in se spectatum, sit Sacramenti materia *remota*, elementum vero, ut certæ actioni subest, & per eam tractatur, sit Sacramenti materia *proxima*.

§. 1. Nec enim elementum externum actu habet rationem materiæ in sacramento, nisi quatenus certæ actioni subest, & per eam tractatur.

§. 2. Hinc e. gr. aqua, in se spectata, est baptismi materia remota, aqua vero, ut per actum ablutionis homini baptizando applicata, est baptismi materia proxima. Recte *B. Scherzerus* in *Elucid. Breviar. Hülsemann.* cap. X. pag. 572. scribit: *Aqua extra ablutionem, v. g. quando adhuc in vase, nondum est materia proxima baptismi, quia nondum adhibetur ad baptizandum. Quamdiu enim non funditur aqua in baptizandum, & quæ remanet a peracto baptismo, non potest esse materia, nedum proxima, baptismi. Unde si asinus eas guttas Jordanis, quibus corpus Christi ablutum ac baptizatum est, bibisset, non bibisset tamen materiam proximam baptismi.*

Th. XXII.

FORMA Sacramenti non datur, si formæ notio significet alteram partem constitutivam compositi, quæ cum materia EX QUA stricte sic dicta unitur.

Uti enim sacramentum materiam EX QUA non habet, ita nec sui formam modo jam commemorato sumtam agnoscit.

Th. XXIII.

Sicut autem quævis res suam habet formam, quatenus formæ vox pro ratione formali sumitur, ita etiam Sacramentis eo modo forma tribuenda est.

Th. XXIV.

Et quidem Sacramenti FORMA *partis* (h. e. id, quod non tantum in Sacramento concipitur primo, & ad intrinsecam ejus rationem pertinet, verum etiam conceptum Sacramenti genericum, (qui est sensibilis circa elementum sensibile occupata actio, quatenus in se & absolute consideratur ad esse Sacramenti determinat,) est certa actionis istius ad institutionem divinam habitudo.

§. 1. Habitudo illa, quam Sacramenti *Formam* vocamus, in eo consistit, quod sensibilis ista actio a DEO instituta, & exacte juxta divinam institu-

ſtitutionem, atque adeo etiam adhibito inſtitutionis Verbo ſuſcepta eſt.

§. 2. Verbum inſtitutionis, quo adhibito cenſemus demum id agere, quod a DEO inſtitutum eſt, vocatur quoque Verbum *mandati* aut *præcepti*, quia omnis divina inſtitutio (ut jam in præced. Loco Theolog. demonſtratum dedimus) formaliter & ſua natura præceptum, certe quoad ſpeciem actus, importat.

§. 3. Id ipſum Verbum certo reſpectu ad Sacramentum ſe ſe habet ut ejus *cauſa efficiens* QUA, & quidem ut cauſæ efficientis QUÆ, nempe DEI Trinunius *cauſalitas*. Scilicet Verbum illud eſt cauſæ efficientis QUÆ Sacramentor. cauſalitas, quatenus Deus per ipſum ea, quæ ad naturam & ſubſtantiam ſacramenti pertinent, determinavit.

§. 4. Verbum inſtitutionis diſtingvi ſolet a *Verbo promiſſionis*, h. e. a Verbo, quod præciſe gratiam evangelicam conferendam aut obſignandam promittit: prout e. gr. in Sacramento Baptiſmi Verbum inſtitutionis *Matth. XXIIX*, 19. extat, & ita habet: *Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*; Verbum autem promiſſionis *Marc. XVI, 16.* continetur, & huc redit: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit*.

§. 5. Atque verbum illud, quod ſenſibili circa elementum ſenſibile occupatæ actioni neceſſario in Sacramento addendum venit, eamque ad eſſe Sacramenti determinat, eſt Verbum Inſtitutionis, non autem verbum promiſſionis *præciſe* tale,

ſeu

seu ut præcise promissionem gratiæ importat. Quando enim contingit, ut Verbum institutionis promissionem gratiæ implicite in se contineat, tunc Verbum promissionis adhibetur simul in sacramento ad actionem externam circa elementum occupatam, non quidem præcise, ut est Verbum promissionis, seu ut præcise promissionem gratiæ importat, sed in quantum Verbi mandati seu institutionis partem constituit, aut implicite in eo continetur. E. gr. quando Verbum baptismi: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, hoc quoque effatum (explicante sic *Gerhardo L.* de *Baptism.* §. 82.) involvit: *Vere testificor, te in gratiam a DEO Patre recipi, sanguine Filii mediatoris a peccatis ablui, & Spiritu S. ad vitam æternam regenerante ac renovante obsignari*, sic sane in se verbum promissionis continet: Hoc vero promissionis verbum in baptismi actu adhibetur, non quatenus *præcise* est Verbum promissionis, sed in quantum verbi institutionis partem constituit, atque in eo continetur.

§. 6. Communiter statui solet, quod sacramenti *formale*, ejusdem materiali contradistinctum, (seu Sacramenti *Forma partis*) sit Verbum institutionis, actioni circa elementum sensibile occupatæ addendum. Sed hæc sententia, si penitius paulo expendatur, haud meretur applausum. Contingere enim potest, ut actio circa elementum externum divinitus institutum occupata exerceatur, verbumq; institutionis simul adhibeatur ac recite-

citetur, nec tamen Sacramentum adsit. Cum enim (ut *Sozom.* L.II. Hist. Eccl. l. XVII. & *Ruffinus* in X.L. Euseb. c.XIV. narrant) Athanasius, dum puer adhuc in litore maris ludebat, se fingeret episcopum, ac more episcopi ludentes pueros tingeret, ad unumquemque dicens, *Ego baptizo te in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti*, hoc Athanasii factum non erat baptismus, licet ad ablutionem aqua facta Verbum institutionis adhiberetur. Et quando parens aliquis filium adultum ad balnea ducit, eumque immergens ait: *Baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*, tota hæc actio non est baptismus, etsi ad ablutionem Verbum institutionis accedat. Hinc vero prorsus manifestum evadit, verbum institutionis accurate loquendo non esse Sacramenti formam seu rationem formalem: Posita enim formali ratione ponitur res ipsa. Cæterum tum Athanasii factum, tum illa parentis filium ad balnea ducentis actio est non Sacramentum ob formæ sacramentor. defectum. Nec enim ejusmodi actiones, cum DEUS baptismum ad istos ludicros & vulgares usus non institutioni divinæ exacte conformes sunt, seu juxta divinam institutionem suscipiuntur.

Th. XXV.

Sacramenti FORMA *totius* (h. e. tota Sacramenti ratio formalis, seu tota natura & substantia (consistit in actione sensibili circa elementum externum & visibile divinitus insti-

institutum occupata, atque ad conferendam aut obsignandam gratiam a DEO ordinata, quæ juxta divinam institutionem, atque adeo adhibito simul institutionis Verbo, suscipitur.

Hic enim Sacramenti conceptus tum essentialem ac genericum, (qui est actio sensibilis circa elementum externum occupata) tum essentialem proprium & specificum (qui est actionis illius habitudo ad divinam institutionem, seu exacta cum divina institutione conformitas) in se includit.

Th. XXVI.

Subjectum Sacramenti (h. e. id, cujus bono institutum est Sacramentum, & cui proinde applicari debet) sunt homines carnaliter nati ac viventes.

§. 1. Subjectum illud eo respectu, quatenus est id, cui sacramenti *Finis cujus* efficiendus est vel acquirendus, dicitur sacramenti *FINIS CUI.*

§. 2. Idem illud subjectum vocatur sacramenti *Objectum*, si consideretur ut persona, cui sacramentum reipsa applicatur, seu circa quam sacramentalis actio ad conferendam aut obsignandam gratiam evangelicam occupata est.

§. 3. *Homini* autem *soli* applicanda sunt sacramenta. Cui soli enim acquiritur sacramentorum finis (absolute ac sine additamento sic dictus,

ctus, seu finis *CUJUS*,) ei soli sacramenta sunt applicanda, (quia alias vanus & inanis esset sacramentorum usus.) Atqui solis hominibus Sacramentorum finis acquiritur, cum gratia Evangelica non nisi hominibus conferatur aut obsignetur.

§. 4. Minime vero *fœtibus in utero matris adhuc constitutis* Sacramenta applicanda sunt. Deficit enim mandatum DEI. Hinc diximus in thesi nostra, Sacramenti subjectum esse homines *natos*.

§. 5. Nec *mortuis* hominibus Sacramenta applicari debent. Sacramenta namque non nisi iis applicanda sunt, qui sacramentis tanquam mediis gratiæ juvari adhuc queunt: Alias enim per se vanus esset sacramentorum usus. Aſt homines mortui sacramentis non possunt juvari, cum non amplius in via salutis sint, sed vel beati, vel damnati.

§. 6. Nec vero *Christi bono* instituta fuere sacramenta. Qui enim sacramentis haud indiget, ejus bono sacramenta non sunt instituta: Atqui Christus, cum ab omni prorsus peccato immunis sit, non habuit opus mediis gratiæ. Hinc in thesi nostra asseruimus: Sacramenti subjectum esse homines *carnaliter* natos. Quod si hic excipias forte, Christum usum fuisse quibusdam sacramentis, respondemo nos, factum id esse non ob indigentiam aliquam, aut ob propriam Christi infirmitatem, sed per eam dispensationem, qua alias ea,

quæ

quæ ad homines infirmos pertinent, illorum bono Christus libere suscepit.

§. 7. Atque ex hactenus dictis manifeste adparet, quod neque aliud quoddam ens præter hominem, neque fœtus in utero matris adhuc constitutus, neque CHRISTUS, neque homo aliquis mortuus sacramentorum *subjectum* commode dici possit. Subjectum enim sacramenti vocatur persona, cujus bono sacramentum institutum est, & cui applicari debet: Jam vero præter hominem nullius alterius entis bono sacramenta instituta sunt; fœtui in utero matris sacramenta non debent applicari; & Christi bono ea non sunt instituta.

§. 8. Cum igitur (uti in §. 3. probatum dedimus) *soli homini* applicanda sint sacramenta, merito *Protestantes* prorsus rejiciunt damnantq; eum *Pontificiorum* ausum, quo illi (ut ipse *Postillator discipulus* serm. 17. de *Sanctis* testatur) campanis, aliisque rebus tam inanimatis, quam animatis, sed irrationalibus, quasi cum hoc effectu, ut sint immunes a potestate satanæ, terreant dæmones, coerceant tempestates, &c. baptismum impertiri haud erubescunt, atque (ut *Johannes Lugo* ad q. LXIIX. *Art. IX. Dub. difficult.* 2. contendit) rerum istarum ablutiones, in nomine *Patris*, *Filii* & *Spiritus Sancti* factas, univoce & veri nominis baptismos esse statuunt. Videatur hic ex nostratium scriptis *B. Dannhaueri Hodomoria Spirit. Papist. T. II.* pag. 514. seqq. cumprimis vero

vero Script. Germ. de *Cauſis recuſati Concilii Trid.* Stattl. Ausführung &c.) p. m. 124. ſeqq. *Bellarminus* equidem Libr. IV. de Rom. Pontif. cap. XI. & *Guil. Bailius* in Catech. Controv. Tract. II. p. 17. ablutionem, qua aqua in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti velut ad effectum aliquem ſupernaturalem campanis aliisque rebus irrationalibus affunditur, non tam baptiſmum, quam benedictionem aut conſecration. vocari debere profitentur, ſed adhuc omnis iſtiusmodi ablutio execrabilis eſt. Præterquam enim, quod aſperſio iſta deteſtabilem nominis divini abuſum importet, vaniſima ſane ſuperſtitio eſt, ſi quis actioni alicui, veluti ſacræ, citra Verbum & promiſſionem DEI effectus ſupernaturales adſcribat. Atqui nuſpiam in Verbo ſuo promiſit DEUS, campanas, aliasve irrationales res conſecratas terrendi dæmones, ac tempeſtates cohibendi vim habituras.

Th. XXVII.

REALES Sacramentorum Effectus a Sacramentis, tanquam a cauſis efficientibus inſtrumentalibus, & a DEO, tanquam a cauſa efficiente principali, per unum & indiviſum influxum dependentes, ſunt multi ac varii, omnes tamen ad ſe invicem ordinati: I. *Regeneratio & Renovatio*. II. *Fides*, quatenus aut producitur primum,

aut confirmatur. III. *Remissio peccatorum* (seu gratia evangelii propria,) ut confertur, aut obsignatur. IV. *Spes* & *Charitas*. V. *Salus æterna*. Atque omnes illi effectus, si considerentur ratione *intentionis*, vocantur quoque absolute ac sine additamento Sacramentorum Finis (quem alias Sacramentorum FINEM CUJUS adpellitant.)

§. 1. Ordo ille, quem Sacramenti effectus ad se invicem important, in eo consistit, quod per Sacramenta homines *regenerentur* aut *renoventur*, fides autem per *regenerationem* primum producatur, & per *renovationem* (uti hæc virium spiritualium in regeneratione acceptarum, & sic etiam virium credendi auctionem & corroborationem involvit) confirmetur, atque *fides* non tantum *remissionis peccatorum*, cum qua *salus æterna* connexionem habet, vera causa sit, sed etiam *spem* & *charitatem* sibi necessario conjunctas habeat.

§. 2. *Regenerationem* verum & realem baptismi effectum esse, jam supra in Loco Theol. de *Regenerat.* demonstravimus. Sic & *Renovationem* a baptismo efficienter dependere, in Loco Theol. de *Renovat.* Thes. XXVII. & XXVIII. probatum dedimus.

§. 3. *Renovationem* Sacramenti *Eucharistiæ* realem esse effectum, itidem in Loco Theol. de *Renovat.* Thes. XXIX. evicimus,

§. 4.

§. 4. A Sacramento *circumcisionis* in Testam. Veteri *regenerationem* (h. e. fidei productionem,) & *renovationem* (ut fidei augmentum & confirmationem importat) efficienter dependisse, nunc ostendendum. Videlicet (1) quando DEUS *Gen.* XVII, 7. seqq. promisit, se fore DEUM Abrahami (circumcidendi,) & seminis ejus (circumcidendi,) hoc ipso significavit, se gratiam suam Abrahamo, ejusque semini per circumcisionem tanquam per efficax Organon, collaturum esse. Atqui DEUS gratiam suam per circumcisionem Abrahamo, ejusque posteris haud alia ratione contulit, quam quod per ritum illum fidem justificantem in Abrahamo roboravit & confirmavit, in posteris vero accendit & produxit. (2) Dum Paul. *Rom. IV*, 11. testatur, circumcisionem in Abrahamo fuisse σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως τῆς ἐν τῇ ἀκροβυστίᾳ, h. e. *sigillum, quo ei obsignata fuerit justitia fidei, quam jam ante in præputio adepto erat* (seu sigillum, quo ille certior fuerit redditus, sibi jam ante circumcisionem remissa esse peccata propter futuram satisfactionem Christi, ac proinde se habere DEUM propitium & faventem,) indicat aperte, circumcisionem fuisse medium & Organon efficax, per quod remissio peccatorum confirmata, atque adeo fides corroborata fuerit.

§. 5. Consimili ratione *renovationem* Sacramenti *Paschatis* verum effectum fuisse, exinde patet, quod Sacramentum istud efficax fuerit confirmandæ fidei Organon: Confirmatio enim &

conservatio fidei ad renovationis transitivæ (quippe quæ ad vitium spiritualium in regeneratione acceptarum firmamentum ac incrementum tendit) formalem rationem pertinet. Sacramentum autem paschatis fidem in futurum Messiam confirmasse, ex eo liquet, quod Israelitæ Exod. XII. agni paschalis, qui Messiæ futuri typus erat, sangvine ædes suas signare eo fine jussi fuerint, ut rederentur certiores, DEUM ipsos non solum ex servitute Ægyptiaca, sed etiam per Messiam, ejusque sangvinem ex peccati & Diaboli servitute liberaturum.

§. 6. Quod si igitur regeneratio & renovatio a Sacramentis efficienter dependent, sane etiam *Fides*, ut producitur primum, aut confirmatur & incrementum capit, Sacramentorum realis effectus erit. Fides enim, ut producitur primum, est regenerationis, &, ut confirmatur & incrementum capit, est renovationis terminus & effectus immediatus: Jam vero cujus rei effectus est actio, ejus quoque effectus est terminus & effectus actionis; prout exempl. gr. calefactio ignis effectus est, ita etiam calor, per calefactionem productus, effectus ignis existit. Hinc *Augustana Confessio art. V. exquisite inquit: Ut hanc fidem (justificantem) consequamur, institutum est ministerium docendi Evangelii, & porrigendi Sacramenta. Nam per Verbum & Sacramenta donatur Spiritus Sanctus, qui fidem efficit, ubi & quan-*

quando visum est DEO, in iis, qui audiunt Evangelium.

§. 7. Atque si Fides est Sacramentorum effectus, justificationem quoque, seu *peccatorum remissionem* Sacramentorum effectum esse oportet: Nam posita fide & per fidem homo justificatur, seu peccatorum remissionem consequitur. Sacramenta igitur gratiam evangelicam (seu remissionem peccatorum & beneficia spiritualia connexa) per hoc conferunt aut obsignant, quod fidem conferunt, aut obsignant & confirmant.

§. 8. Porro si Fides est Sacramentorum effectus, *Spem quoque*, & *Charitatem* Sacramentorum effectum esse, negari nequit. Fides enim ita est principium & causa spei ac charitatis, ut Fides, Spes, & Charitas individuo nexu cohæreant, neque Fides in homine vel ad momentum sola absque spe & charitate existat: ceu in Locis Theologicis de *Fide in Christum*, & *Justificatione* copiose edocuimus. Dum igitur Sacramenta efficiunt aut confirmant fidem, hoc ipso in spem & charitatem revera influunt, eo tamen ordine, ut propinquior Sacramentorum effectus sit fides, qua mediante per eadem organa etiam spes & charitas in homine accendantur.

§. 9. Atque sic patet, quid sentiant *Protestantes*, quando ex Pontificiis *Alexander Alensis* P. IV. Q. IIX. membr. 3. art. 5. §. 1. 2. & Q. XIX. memb. 2. aliquando *Thomas* in IV. Dist. I. Q. I. art. IV. *Capreolus* quoque & *Paludanus* in IV.

Dist. I. Q. I. & *Franciscus Ferrariensis* L. IV. contra Gentes cap. VII. censent, Sacramenta causas esse gratiæ (seu internæ, & potissimum in charitate positæ sanctitatis) non nisi *mediate* & quodam ordine, quia scilicet proxime efficiant antecedentem quandam formam in anima, (vel characterem illum, quem tribus Sacramentis, Baptismo nempe, Confirmationi & Ordini, adscribunt, vel qualitatem nescio quam, quam *animæ ornatum* vocant,) ad quam consequatur gratia divinitus producta immediate. Statuimus nimirum, Sacramenta sanctitatis nobis inhærentis (seu Spei, Charitatis, eique annexarum Christianarum virtutum) causas esse non nisi mediate & quodam ordine, quia scilicet proxime efficiunt antecedentem quandam formam in anima, non quidem characterem quendam indelebilem, a tribus, ut *Pontificiis* dicuntur, sacramentis, Baptismo videlicet, Confirmatione & Ordine, impressum: (ille enim character non est in scripturis fundatus, & neque rationem probabilem, neque Patrum testimonia habet, ac præterea errorem istum supponit, quod Confirmatio atque Ordo sint proprie loquendo Sacramenta, habeantque promissionem gratiæ;) sed *fidem*, ad quam Spes, Charitas, & charitati annexæ virtutes Christianæ necessario, nexuque individuo consequuntur.

§. 10. Omnes autem illi, quos recensuimus in thesi nostra, & hucusque demonstravimus, sacramentorum effectus sunt etiam certo quodam respe-

respectu sacramentorum *Finis* absolute ac sine additamento sic dictus, seu *Finis CUJUS*. Videlicet quemadmodum si ratione executionis, seu in quantum reapse per sacramenta producuntur aut in actu constituuntur, spectentur, sacramentorum effectus sunt; ita si ratione *intentionis*, seu quatenus ipsorum efficiendorum aut consequendorum causa sacramenta a DEO instituta sunt, considerentur, sacramentorum *Finis* recte dicuntur.

§. 11. Quamvis vero bonorum istorum, quæ sacramentorum *Effectus & Finis* sunt, neutrum in hypocritis sacramenta suscipientibus propter eorum improbitatem & obicem, quem ponunt, per sacramenta reapse obtineatur, sacramenta tamen hypocritis collata, quantum ex sua & DEI parte est, eadem illa bona iis *offerunt*.

§. 12. Cæterum thesin nostram cum *Pontificiis*, tum *Socinianis*, *Quakeris*, aliisque *Enthusiastis* opposuimus. Dum enim *Fidem*, *Remissionem peccatorum*, *Spem* & *Charitatem* sacramentorum tum *Veteris*, tum *Novi* Testamenti effectus reales esse asserimus, refragamur omnino *Pontificiis*, qui (uti ex *Bellarmini* Libr. II. de sacram. cap. XIII. patescit) sacramenta Veteris Testam. *gratiam significare tantum*, *non autem contulisse* docent. Et dum regenerationem, renovationem, fidem, peccatorum remissionem, & æternam salutem sacramentorum veros effectus esse confitemur, pugnamus contra *Socinianos*, *Quakeros*,

aliosque *Enthusiastas*, qui omnibus cum Veteris, tum Novi Testamenti sacramentis omnem in ordine ad effectus istos supernaturales efficaciam & virtutem denegant. Scilicet ex Socinianis *Valentinus Smalcius* c. Franz. fol. 289. scribit: *De efficacia Sacramentorum non est, quod dicatur: Fabulæ enim sunt, aliquam esse internam efficaciam in Baptismo vel Cœna Domini.* Et fol. 311. *Aquam baptismi esse organum seu instrumentum Spiritus Sancti, quo in ipso actu baptismi regenerationem operatur, non tantum falsum, sed aliquid idololatricum omnino censendum est. A quo affirmando jam tempus esset desistere adversarios in tanta Evangelii luce.* Ex eadem secta *Hieronymus Moscorovius* in Ref. Libr. de Bapt. Smigl. fol. 50. inquit: *Docendum erat Smiglecio, aquam rem corpoream assumi divinitus ad rem spiritualem producendam.* Confer. *Jonas Schlichtingius* c. Meisner. de Trin. fol. 919. seqq. Atque ex *Quakerorum* turba *Robertus Barclajus* Apolog. Th. XII. §. I. II. pag. 264. seqq. superstitionem Christianorum, tanquam in iis, quæ sacramenta vocantur, commissam reprehendit, ac duo quoque *Protestantium Sacramenta meras umbras*, resque omnino externas esse statuit, tandemque concludit, *nihil aliud hæreditatis nostræ signaturam & arrhabonem nominari in Scriptura, præter Spiritum DEI, hoc nos dici signari, quod & dicatur hæreditatis nostræ pignus, & non externa ablutione vel manducando aut bibendo.* Præivere Quakeris *Carolstadius*, *Schwenkfeldius*, *Esaias Stife-*

Stifelius, & reliqui *Propheta novelli*, ac *Theosophi* ψευδώνυμοι. Ipse enim *Lutherus* in Libr. contra Cœl. Proph. P. II. Tom. III. Altenb. non solum p. 68. *Carolstadii* adversus sacramenti vocabulum evibrata dicteria refert & castigat, verum etiam pag. 13. de eo testatur, quod sacramenta quoad usum pariter externum & *fructum spiritualem* sublatum, & in eorum locum sua somnia & deliria collocatum iverit. Sic & plura *Schwenkfeldii* dicta, quibus ille sacramentorum efficaciam in *Confess. fidei*, in *Catech. de Verbo*, & *Epistolis*, loco non uno, præsertim in *Epist. XXIII.* & *LXXIV.* impugnavit, collecta vide apud *Schlüsselburg.* Libr. X. Catal. Hæret. Error. XXXIIX. pag. 237. 238. *Stifelius* quoque quando *Sacramenta* (ut de ipso *Theolog.* Jenenses in *Append. Consil. Dedek.* p. 49. probant) *non esse necessaria* censuit, sacramentorum efficaciam negavit: Qui enim sacramenti alicujus necessitatem negat, efficaciam quoque ejus simul impugnat. Et de reliquis Prophetis novellis *Ministerium Lubec. Hamb. & Luneb.* im Ausführl. Bericht/ Motiv. X. §. 763. pag. 432. perhibet, ipsos eo nomine in ecclesiarum nostrarum ministros debacchatos esse, quasi *Antichristiano more Sacramentum & Characterem suum manui ac fronti hominum cum pollicitatione salutis temere conferant, atque salutem & regnum cœlorum in rebus mortuis & misera litera quærant.*

§. 13. Ubi in thesi nostra contendimus, regenerationem, fidem, peccatorum remissionem,

spem & charitatem, *a Deo & Sacramentis* per unum & indivisum influxum *efficienter dependere*, reluctamur illi, a quibusdam doctoribus Pontificiis, ut *Bonaventura* in IV. Sent. d. I. art. 1. q. IV. & *Scoto* d. I. q. IV. & V. propugnatæ sententiæ, quod *Sacramenta conferant gratiam, non quia ipsa producant ullo modo illam: sed quia ipsis adhibitis DEUS ex pacto & promissione quadam gratiam producat & conferat.* Adhæremus videlicet *Smalcaldicis articulis*, qui P. III. art. V. p. m. 329. ajunt: *Non facimus cum Scoto & Minoritis, seu Monachis Franciscanis, qui docent, Baptismo ablui peccatum ex assistentia divinæ voluntatis, & hanc ablutionem fieri tantum per DEI voluntatem, & minime per Verbum & aquam.*

Th. XXVII.

Quod si igitur Regeneratio & Renovatio sunt veri & reales Sacramentorum effectus, Sacramenta non sunt absolute, & quocunque respectu *signa nuda* (seu signa, quorum vis omnis in significando tantum consistit, quibusve nulla plane convenit vis operandi ac conferendi id, quod significant,) sed sunt etiam signa *exhibitiva* (h. e. signa, quæ non solum significant, sed etiam vere exhibent & conferunt id, cujus sunt signa.)

§. 1.

§. 1. Sacramenta vocari posse *signa*, non negamus. Sunt enim (1) signa (seu notæ ac tesseræ) cum ecclesiæ universæ, tum singulorum membrorum. Quemadmodum enim milites tesseris quibusdam seu notis dignoscuntur, ita DEUS voluit Ecclesiæ in terris militantis suas esse tesseras & symbola, ex quibus & Ecclesia tota & ejus membra singula dignosci possint: Sic e. gr. susceptо baptismi ritu homines vel e Judaismo, vel e gentilismo ad religionem Christianam accedentes manifeste profitebantur, se Christum pro suo Domino agnoscere. Hinc *Augustana Confessio*, Art. XIII, inquit: *De usu Sacramentorum docent* (ecclesiæ nostræ,) *quod Sacramenta instituta sint, non modo ut sint NOTÆ professionis inter homines* &c. (2) Sunt signa voluntatis DEI erga nos. DEUS enim pro suo in nos amore non fuit contentus revelatione evangelii, sed sacramentis, signis tanquam externis, confirmare voluit, quod de salute nostra in Verbo suo testatur. Quocirca laudata jam *Confessio* l. c. ait, *Sacramenta instituta esse, non modo ut sint notæ professionis inter homines, sed magis, ut sint signa & testimonia voluntatis DEI erga nos.* (3) Sunt signa actionis spiritualis, quam DEUS mediante ritu externo præstiturus est in omnibus, qui obicem non ponunt. Certe e. gr, baptismum renovationis signum esse, ipse Apostolus *Rom. VI. 4.* subinnuit, ubi *nos*, ait, *sepultos esse una cum Christo per baptismum in mortem, ut quemadmodum excitatus est Chri-*

Christus ex mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus. Videlicet actus in aquam immergendi, quo baptismus olim constabat, peccati veterisque hominis mortificationem repræsentavit, & emersio ex aqua, nostræ ad vitam spiritualem resurrectionis symbolum fuit.

§. 2. Negamus autem, Sacramenta absolute omnique respectu esse nuda signa. Iis enim vim effectuum illorum Supernaturalium, quorum sunt signa, nimirum regenerationis & renovationis, productivam convenire, ex iis, quæ ad thesin proxime antecedentem diseruimus, liquido constat. Quod ipsum *Augustana Confessio* clarissime docet, quando non tantum art. V. asserit, *per Verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donari Spiritum Sanctum, qui fidem efficit*, sed & art. XIII. contendit, *Sacramenta instituta esse, ut sint signa & testimonia voluntatis DEI erga nos, ad excitandam & confirmandam fidem in his, qui utuntur, proposita.*

§. 3. Doctores Lutherani, ubi Sacramenta pro nudis signis non esse habenda docent, eo nomine disputant contra Doctores *Reformatos*, quasi illi statuant, baptismum esse signum regenerationis, vel jam extra Sacramentorum usum peractæ, vel postmodum a DEO peragendæ, non autem organon ad eandem in nobis operandam efficax. Sane licet illi, contra quos hic pugnari solet, Reformati, præsertim *Johannes Piscator* in *Observat.* ad cap. IV. *Rom. vers.* 11, aperte profitentur,

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_0082
DFG

antur, finem seu scopum sacramentorum unum & eundem esse, videlicet obsignationem justitiæ fidei, quæ vulgo dicitur *Fidei confirmatio*, negare tamen visi sunt, quod ipsa fides per baptismum, tanquam per organon efficax realiter efficiatur. Quæ quidem sententia *Bezæ* & Collegarum ad dogma 7. Würtebergicorum de Baptism. part. II. Respons. fol. 222. *Piscatoris* in Respons. ad Disp. *Tauferi* fol. 81. *Ursini* Explic. Catechet. qu. 69. fol. 494. & aliorum apud Darmstadin. *Deduction. Fundament.* fol. 769. seqq. fuisse olim putatur. Atque hæc *Reformatorum* opinio ex eo manifeste adparet, quod non tantum *Wendelinus* Lib. I. *Theol. Christ.* c. XXII. th. 14. explic. 2. negat, baptismum esse organon, quo fides in infantibo & regeneratio inchoëtur, sed & ei l. c. XX. in explic. th. 11. ac Reformatis aliis obsignatio justitiæ fidei, quam omnium Sacramentorum finem & scopum esse arbitrantur, nihil sit aliud, quam rei signatæ, jam ante per signum Verbi repræsentatæ, & fide perceptæ repræsentatio per aliud pluribus sensibus se ingerens, altiusque in animum penetrans signum. *Wendelinus* equidem *Libr. I. Christ. c. XX. in expl. th. II. n. 2.* aperte docet, sacramenta esse *ordinaria organa conferendæ gratiæ*, ast id non eo accipit sensu, quod per sacramenta, tanquam per organa, fides in nobis vere & realiter efficiatur, sed mens ejus est, quod sacram. fidem confirment significando & repræsentando, & sic confirmata fide sanctificationis gratiam in nobis augeant.

Illam

Illam ipsam opinionem suam, quod regeneratio a baptismo non dependeat efficienter, nec fides per baptismum realiter efficiatur eo ipso reformati alii haud obscure significant, quod verba Apostoli *Tit. III. 5. DEUS servavit nos per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti*, minime de baptismo intelligunt, sed hunc verborum istorum sensum, quod *per regenerationem & renovationem, tanquam per lavacrum, DEUS nos servaverit*, esse comminiscuntur. vid. *Joh. Piscator* in Scholiis ad l. c.

Th. XXVIII.

Atque si *Fides* est Sacramentorum *Effectus* & *Finis*, sane ad substantiam seu essentiam Sacramentorum non pertinet.

§. 1. Rei enim Effectus non est de essentia rei, cum sit aliquid re posterius, ac proinde non possit ad essentiam ejus pertinere. Sic & Finis rei non pertinet ad essentiam rei, quia omne id, quod ad rei essentiam spectat, rei intrinsecum est, finis vero est causa rei externa.

§. 2. Fidem haud pertinere ad Sacramentorum substantiam, ex eo quoque liquidissime constat, quod alias asserendum sit, hypocritam, qui absque fide baptizatus est, verum baptismum non percepisse, atque adeo de novo esse baptizandum.

§. 3. Veterum quorundam *Reformatorum* Doctorum, qui Sacramenta integram suam per-

perfectionem sine fide habere negarunt, ac proinde fidem ad Sacramentorum substantiam retulere, ut *Piscatoris* & *Sadeëlis*, argumenta *B. Bechmannus* Theol. Polem. Part. III. Loc. XII. Controv. III. accurate examinavit.

Th. XXIX.

Quamvis vero Fides in Christum (h.e. Fides, quæ præter assensum generalem etiam assensum specialem, atque fiduciam in Christum essentialiter includit) ad *substantialia* Sacramentorum non spectet, requiritur tamen ad salutarem *Sacramentorum perceptionem* (seu ita requiritur ad Sacramenta, ut, si alicui salutaria esse debent, eum fide ista præditum esse oporteat.)

§. 1. Deficiente enim ista fide, nullus datur sacramentorum salutaris fructus. Non *regeneratio*, quia hæc formaliter in fidei illius productione consistit; nec *renovatio*, quia hæc regenerationem, & sic fidem istam productam supponit ac prærequirit; nec *remissionis peccatorum collatio* aut *obsignatio*, quia homo justificatur fide sine operibus legis *Rom. III, 28. Gal. III, 24.* nec *spei ac charitatis productio*, quia Spes & Charitas ex fide proveniunt, atque adeo fides natura prior est spe ac charitate; nec *salus æterna*, cum, qui *crediderit* & baptizatus fuerit, salvus evadat *Marc. XVI, 16.*

§. 2.

§. 2. Dum thesin nostram propugnamus, consectamur plane *Augustanæ Confessionis Apologiam*, quæ ad art. XIII. p. m. 203. ita scribit: *Nos docemus, quod in usu sacramentorum fides debeat accedere, quæ credat illis promissionibus, & accipiat res promissas, quæ ibi in sacramento offeruntur. Et est ratio plana & firmissima. Promissio est inutilis, nisi fide accipiatur. At Sacramenta sunt signa promissionum. Igitur in usu debet accedere fides &c.* Et quibusdam interjectis: *Et loquimur hic de FIDE SPECIALI, quæ præsenti promissioni credit, non tantum quæ in genere credit DEUM esse, sed quæ credit offerri remissionem peccatorum. Hic usus Sacramenti consulatur pias & pavidas mentes.*

§. 3. Adversatur autem thesis nostra antiquioribus Doctoribus *Pontificiis*, qui Sacramenta Novi Testamenti ex *opere operato* (h. e. sine fide & bono motu ejus, qui Sacramentis utitur, præcise per hoc, quod peraguntur & exercentur) *justificare & gratiam conferre* docuerunt. Illis quippe Doctoribus (uti *Johannes Altensteigius* in Lexico Theologico & quidem in Vocabulo *opus operatum*, explicat, & *B.* noster *Gerhardus* in L. de *Sacram.* §. 86. pluribus autoribus allegatis memorat) τὸ *ex opere operato* dicitur in oppositione ad fidem bonumque motum suscipientis sacramenta, & ex opere operato sacramenta justificare idem est, quod Sacramenta justificare ex vi actionis sacramentalis absque fide ex bono motu utentis sacramentis.

§. 4.

§. 4. Eandem *Scholasticorum* veterum opinionem non solum *Augustana Confessio* art. XIII. rejicit hisce verbis: *Utendum est Sacramentis ita, ut fides accedat, qua credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur: Damnant igitur (nostræ ecclesiæ) illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent*; Verum etiam laudatæ *Confessionis Apologia* p. m. 203. copiose impugnat. Sic quippe Apologeta inter alia scribit: *Illud magis est necessarium, intelligere quomodo sit utendum sacramentis. Hic damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent, quod Sacramenta non ponenti obicem conferant gratiam ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc simpliciter Judaica opinio est, sentire, quod per ceremoniam justificemur, sine bono motu cordis, hoc est, sine fide. Et tamen hæc impia & perniciosa opinio magna autoritate docetur in toto regno Pontificio.* Et paulo post: *Quantum autem in Ecclesia abusuum pepererit illa fanatica opinio de opere operato sine bono motu utentis, nemo verbis consequi potest. Hinc est illa infinita profanatio missarum.* Quæ ultima *Apologiæ* collectio satis firma est. Papatus enim ex errore isthoc ad eas devolutus est cogitationes: Si sacramenta ex vi operis, seu per hoc, quod peraguntur, absque fide & bono motu interiori salutaria sunt, quidni missæ etiam pro absentibus, pro mortuis offerri poterunt?

§. 5. Nostra thesis, quatenus ad salutarem sacramentorum usum Fidem in Christum, seu Fidem specialem requirit, opposita quoque est *recentioribus Pontificiis* Doctoribus, ut *Bellarmino* Tract. II. de Sacr. cap. I. *Becano* Part. III. Theol. Schol. Tract. II. de Sacram. cap. III. q. I. concl. III. *Gregorio de Valentia* T. IV. disp. III. Q. III. p. m. 682. qui dum Sacramenta *ex opere operato* justificare & gratiam conferre (h. e. sanctitatem inhærentem seu justitiam intrinsecam efficienter in nobis producere) docent, phrasin, *Sacramenta conferre gratiam ex opere operato*, aliter & sic explicant, ut *opus operatum* non fidei & bono motui utentis, sed *operi operantis*, seu meritis bonorum operum, & propriæ operationi, quatenus est ex operante, opponatur. Quamvis enim Doctores illi in hoc non errent, quod per sacramenta sanctitatem aliquam & justitiam inhærentem in nobis produci asserunt, neque male sentiant, quando sine meritis nostris & absque propria nostra operatione ex vi sacramentalis actionis sanctitatem illam nobis conferri statuunt, in eo tamen contra orthodoxam veritatem pugnant, quod per fidem illam, quam ex parte hominis justificandi & sacramento salutariter utentis requirunt, non intelligunt fidem in Christum seu fidem specialem (quippe quam velut fictam & commentitiam fidem explodunt) sed generalem duntaxat credendorum assensum. Quam recentiorum *Scholasticorum*

corum doctrinam rejecit olim *Augustana Confessio*, quando art. XII. sic pronunciavit: *Damnant* (nostræ ecclesiæ) *illos, qui docent, quod Sacramenta ex opere operato justificent, nec docent fidem requiri in usu Sacramentorum, quæ credat REMITTI PECCATA.* Cæterum illi ipsi Doctores *Pontificii* alios simul pernicioſos errores fovent ac inculcant, quando sacramenta ex opere operato justificare, & gratiam conferre existimant. Arbitrantur quippe per gratiam seu sanctitatem illam inhærentem, quam sacramenta conferunt, hominem formaliter coram DEO justum constitui. Ad hæc licet fidem ex parte hominis justificandi & sacramento salutariter utentis requirant, negant tamen fidem esse veram justificationis causam, ac sanctitatis internæ Deoque placentis principium & radicem, sed habent duntaxat fidem pro dispositione subjecti ad recipiendam sanctitatem & charitatem per sacramenta vi actionis sacramentalis infundendam.

Th. XXX.

Ubi de efficacia, quam Sacramenta in ordine ad effectus suos supernaturales ac spirituales, regenerationem nimirum, fidem, renovationem, Spem & charitatem, aliasque virtutes Christianas, obtinent, satis constat, nos circa quæstionem illam: *utrum efficacia ista physica sit, an moralis?* pronuncia-

mus, Sacramenta supernaturalium, quos jam commemoravimus, effectuum causas efficientes *physicas*, minime vero morales esse.

§. 1. *Scholastici* de quæstione illa in utramque partem probabiliter disputant. Monet quippe Jesuita *Becanus* part. III. *Theol. Schol.* Tract. II. de Sacram. c. III. Qv. 2. concl. 4. *Sacramenta novæ legis esse causas morales productionis gratiæ*; & Qv. 3. concl. 3. scribit, *probabile esse sacramenta esse instrumenta physica, quæ immediate concurrant ad productionem gratiæ*; ac Qv. 3. concl. 4. dicit, *probabilius esse, sacramenta non esse instrumenta physica gratiæ, sed tantum moralia.* Et *Melchior Canus* in Relect. de Sacram. P. IV. statuit, *sacramenta esse causas gratiæ tantum morales, quæ scilicet ex pacto, propter passionem Christi & merita, cujus tanquam instrumenta & canales sint, moveant DEUM ad producendam & conferendam gratiam.* *Maldonatus* quoque in Disputationibus de Sacram. Tom. I. c. 3. eam opinionem, quod *Sacramenta sint morales tantum causæ, probabilem esse*, ideo censet, tum, *quod sit multo facilior*, tum quod *nihil habeat non maxime consentaneum rationi.* *Vazquezius* item in P. III. Thom. Disp. 132. cap. 3. sententiam istam, quod sacramenta sint gratiæ causæ efficientes physicæ, refellit, & cap. 5. subjungit: *Confutatis jam aliorum opinionibus, earumque infirmatis atque convulsis fundamentis, nihil*

nihil aliud reliquum esse videtur, quam ut dicamus, Sacramenta novæ legis esse instrumenta DEI ad gratiam producendam, non quidem physica, sed moralia. Quam sententiam, docet, *non recentem esse, neque popularem, sed perantiquam, & gravissimorum Doctorum, imo antiquorum omnium Scholasticorum: alteram vero de instrumento physico paucis ante se annis invaluisse apud Scholas Hispanicas, verum, cum, qui eam profiterentur, in magna varietate essent, multiplicesque, nec parum difficiles nodos philosophandi ad superandas illius difficultates indies excogitarent, factum esse, ut parum firma stabilisque permanserit, paulatimque obsoleverit.* Et quando instrumenti moralis naturam explicat, appellat *impetratorium*, idque exemplo miraculorum per preces sive contactum ab apostolis factorum illustrat. *Has* enim *preces, hunc contactum* ait *fuisse instrumenta, sed non physica, qua producerent ipsam sanitatem corporum, sed moralia, quibus ea sanitas impetraretur a DEO.*

§. 2. E contrario *Suarezius* (de quo & *Vasquezio* testatur *Tannerus* in præfat. tom. I. Theolog. Schol. quod in *plerisque Scholasticis controversiis non absque singulari divina providentia nutu veritatis magis illustranda causa inter se perpetuo dissentiant*) de Sacram. Disp. IX. Sect. I. contendit, *a DEO institutas esse causas physicas, eamque sententiam, quod sacramenta efficiant gratiam, quia ipsamet actio physica, per quam gratia fit & educitur, de potentia obedientiari animæ, vere*

& realiter & physice pendet ab ipsis sacramentis, quam communem esse in Schola Thomæ, & valde consentaneam dignitati sacramentorum & locutionibus Scripturæ, Conciliorum & Sanctorum, & facillime defendi posse, & ideo non esse ab ea discedendum. Sic & *Bellarminus* Libr. II. de Sacram. cap. XII. eorum sententiam, qui Sacramenta causas physicas esse statuunt, *tutiorem* & *probabiliorem* esse judicat.

§. 3. Ex Reformatis *Wendelinus* in Exercit. LXXXI. §. 1. Sacramenta vocat gratiæ *organa moralia.*

§. 4. Ex nostratibus *B. Ægidius Strauchius* in Vindiciis consensus repetiti fol. 413. seq. refutat Theologos, qui sacramenta ad *causas morales referunt*; Musæus vero tum in der ausführlichen Erklär. Qv. 83. p. m. 675. tum in Colleg. Anti-Wendel. Disp. XVI. Qv. III. §. 6. judicat, quæstionem illam, *sintne sacramenta organa conferendæ gratiæ in genere causarum moraliter agentium?* scholasticam esse, quæ plus difficultatis & spinosæ subtilitatis habeat, quam utilitatis, atque in der ausführlichen Erklär. l. c. hæc subjungit: *Si hoc maneat fixum & firmum, Sacramenta esse organa efficacia conferendæ gratiæ, Evangelii propriæ, & DEUM una indivisa actione operari per illa, & conferre gratiam, quod Scripturæ sacræ satis diserte docent, de modo operandi & conferendi gratiam ne simus nimis scrupulosi, sed eum potius divinæ sapientiæ relinquamus.*

§. 5.

§. 5. Nos autem, quando sacramenta pro effectuum suorum spiritualium *causa efficiente physica* habemus, causæ efficientis vocabulum non sumimus pro causa naturaliter ac necessario agente, aut pro causa per vim physicam vel sibi inhærentem operante, cujusmodi causæ sunt e. gr. pharmaca, utpote vi insita naturali pellentia morbis & restituentia sanitatem: Sacramenta enim effectus supernaturales attingunt ex libera & supernaturali elevatione DEI, qui facit ea attingere effectus supernaturales, quos non possent attingere, si a quocunque alio, velut agente principali applicarentur, atque hinc eam ab *Alphonso Virvesio* Philipp. 12. memoratam *Tomæ Alexandri Alensis*, & *Durandi* opinionem, quod *Sacramenta per aliquam qualitatem inhærentem operentur*, artic. Smalcald. P. III, art. V. p. 329. rejiciunt. Cæterum causa efficiens *physica* nobis h. l. dicitur causa efficiens, quæ ipsa ipsammet actionem, cujus dicitur est causa efficiens, vere ac realiter efficit, aut quæ ipsa ipsammet actionem, per quam effectus positivus fit ac producitur, vere & realiter exercet. Atque hoc sensu Sacramenta supernaturalium, quos commemoravimus, effectuum causam efficientem physicam esse, valde manifestum est. Sacramenta enim non saltem movere DEUM ad regenerandas & renovandas hominum mentes, sed ipsa ipsammet regenerationem & renovationem vere ac realiter efficere liquido adparet ex *Tit. III*, 5. ubi baptismus vocatur *lavacrum regenerationis*

& *renovationis* (h. e. lavacrum, a quo ipso ipsamet regenerandi actio, & ipsamet actio renovandi vere ac realiter dependent,) & ex Joh. III, 5. (ubi Christus indicat, tam vere & realiter ab ipso baptismo ipsammet regenerationem peragi, quam vere & realiter ab ipso Spiritu Sancto peragitur.) Quod si igitur ipsa Sacramenta ipsammet regenerationem peragunt, profecto ipsammet actionem, ex qua fides, Spes, Charitas, & reliquæ charitati annexæ virtutes Christianæ, tanquam effectus positivi, proficiscuntur, vere ac realiter attingunt: Regeneratio enim est actio, ex qua ordine quodam omnes illi effectus spirituales originem habent.

Th. XXXI.

Sacramenta alia sunt Veteris, alia Novi Testamenti.

Th. XXXII.

Uti in Novo Testamento duo tantum Sacramenta proprie ac stricte sic dicta, Baptismus nempe & Sacra Cœna, locum inveniunt: ita proprie stricteque loquendo in Veteri Testamento non nisi duo Sacramenta, Circumcisio & Sacramentum Paschatis, deprehenduntur.

§. 1. Nam præter baptismum & S. Cœnam in Novo, & præter circumcisionem & sacramentum Paschatis in Veteri Testamento nulla res ostendi potest, in quam omnes ac singulæ condi-

tio-

tiones Sacramenti proprie ac stricte sic dicti cadant, *Pontificii* equidem in Novo Testamento septem sacramenta, proprie ac stricte sic dicta, esse contendunt, Baptismo & Sacræ Cœnæ Confirmationem, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium, velut sacramenta, adjungentes, sed jam supra in §§. thesi VII. annexis ex instituto docuimus, nec Confirmationi, nec Poenitentiæ, nec Unctioni extremæ, nec Ordini, nec Matrimonio omnia sacramenti proprie ac stricte dicti requisita substantialia convenire.

§. 2. Ex Reformatis *Maresius*, *Aetingius*, *Piscator* & alii, plura, quam duo, Veteris Testamenti Sacramenta numerant. *Maresius* quippe in *System.* Theol. Loc. §. 23. *Falluntur*, inquit, *qui V. T. Sacramenta duo tantum faciunt, nempe Circumcisionem & Agnum Paschalem.* Igitur inter Veteris Testamenti sacramenta nominatim refert baptismum in nube & mari, nutritionem ex manna & aqua rupis (de quibus Apostolus 1. *Cor. X. v. 2.* seqq. agit,) nec non omnes purificationes, ablutiones, expiationes lege præscriptas, & omnia convivia sacra, in quibus tum sacerdotes, tum populus ex oblatis coram Domino epulabantur, & sic in mensæ divinæ communionem conveniebant, sacramentalia fuisse docet. *Aetingius* in L. L. Comm. P. 1. p. m. 194. sacramenta Veteris Testamenti in *ordinaria* & *extraordinaria* distingvens, extraordinaria dicit fuisse diluvium, transitum per mare rubrum, & commorationem sub

nube, quæ baptismo responderint, *1. Petr. III, 21. 1. Cor. X, 1. 2.* itemq; Mannam cœlitus delapsam & aquam ex petra datam, *1. Cor. X, 3. 4.* quæ cœnæ aliqua similitudine responderint. Sic & *J. Piscator* in Analysi ad *1. Cor. XI, 1. 2.* seq. diserte scribit, Apost. enumerare qvatuor sacramenta, videlicet *nubis*, sub qua profecti sunt Israelitæ, *maris rubri*, per quod sicco pede illi transierunt, *mannæ*, quam cœlitus delapsam collegerunt & ederunt, postremo *aquæ*, quæ ex rupe baculo Mosis percussa profluxit. Ast vero eorum, quæ præter circumcisionem agnumque paschalem ad sacramenta V. T. referunt *Reformati*, neutrum Sacramenti proprie ac stricte dicti rationem obtinuit. Neque enim (quod ad transitum per mare rubrum, ad iter sub nube factum, ad mannæ comestionem, ad aquæ ex petra excurrentis potionem attinet) veritate salva dici potest, quod fuerint actiones circa elementum divinitus institutum, & sacro modo adhibitoq; divinæ institutionis Verbo tractandum occupatæ: neque sive de transitu per mare sive de itinere sub nube facto, sive de mannæ esu, sive de aquæ ex petra promanantis bibitione, ullibi legimus, quod habuerint promissionem gratiæ evangelicæ, aut qvod fuerint medium gratiæ ac æternæ salutis, seu organon, per quod DEUS Israelitis gratiam evangelicam, seu peccatorum remissionem exhibuit. Consimili ratione de purificationibus & ablutionibus Leviticis, nec quod fuerint actiones, adhibito divinæ institutionis Verbo exercendæ, nec quod fuerint media, per quæ DEUS Israelitis aliquid

quid exhibuit, suamque gratiam contulit, affirmari potest. Quod tandem ad *sacrificia* attinet, ea vel hac de causa non possunt sacramentis annumerari, quod sacramenta sint actiones, per quas DEUS nobis aliquid exhibet (illud nimirum, quod offert annexa actionibus illis promissio, h. e. gratiam evangelii propriam, seu peccatorum remissionem, quippe quæ per actionem sacramentalem homini a DEO exhibetur, applicatur & confertur:) ast sacrificia fuerunt quædam opera, quæ homines DEO reddidere, & quibus illi DEO aliquid obtulerunt religionis & cultus causa. Hinc *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 253. ita scribit: *Theologi recte solent distinguere sacramentum & sacrificium. Sit igitur genus horum vel ceremonia, vel opus sacrum. Sacramentum est ceremonia vel opus, in quo DEUS nobis exhibet hoc, quod offert annexa ceremoniæ promissio, ut, Baptismus est opus, non quod nos DEO offerimus, sed in quo DEUS nos baptizat, videlicet minister vice DEI, & hic offert & exhibet DEUS remissionem peccatorum &c. juxta promissionem: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. E contra, Sacramentum est ceremonia vel opus, quod nos DEO reddimus, ut eum honore afficiamus.* Quod ipsum edocet quoque *B. Gerhardus*, quando in *Confess. Cathol.* Lib. II. P. II. Art. XI. cap. II. p. m. 1093. inquit: *Discrimen fuit inter sacrificia & Sacramenta ratione δόσεως καὶ λήψεως: In Sacramentis enim homines acceperunt aliquid a DEO, in sacrificiis ex institutione DEI aliquid ipsi obtulerunt.* §. 3.

§. 3. In nostra autem thesi, quæ duo tantum Sacramenta cum Novi tum Veteris Testamenti statuit, de Sacramentis *proprie* ac *stricte* sic dictis cogitate loquimur. Quod si enim Sacramenti notio in amplo aliquo conceptu denotet quamcunque actionem sacram, quæ habet mandatum DEI & cui addita est promissio gratiæ, in Novo Testamento etiam *Absolutio* vere est Sacramentum: Absolutio enim est actio sacra a DEO mandata, quæ habet annexam promissionem gratiæ *Matth. XVI, 18. Matth. XVIII, 18. Joh. XX, 23.* Unde *Augustana Confessionis Apologia* p. 200. accurate inquit: *Si Sacramenta vocamus ritus, qui habent mandatum DEI, & quibus addita est promissio gratiæ, facile est judicare, quæ sint proprie Sacramenta. Nam ritus ab hominibus instituti non erunt hoc modo proprie dicta Sacramenta. Non est enim autoritatis humanæ, promittere gratiam. Quare signa, sine mandato DEI instituta, non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes docent, aut admonent aliquid. Vere igitur sunt Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum pœnitentiæ. Nam hi ritus habent mandatum DEI, & promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti.* Quid? quod in latiori illo vocis sacramenti significatu etiam oratio verissime dici possit sacramentum. Est enim actio sacra, quæ habet & mandatum DEI, & promissiones plurimas, atque adeo etiam promissionem remissionis peccatorum, *Matth. VII, 8. Luc.*

Luc. XI, 9. 10.] Ordo quoque (si de ministerio Verbi intelligatur) in ampliori isthoc significatu vere est Sacramentum. Namque ministerium Verbi non tantum a DEO institutum est, sed & magnificas habet promissiones. Hinc laudata *Apologia* pag. 201. ait: *Si Ordo de ministerio Verbi intelligatur, non gravatim vocaverimus ordinem Sacramentum. Nam ministerium Verbi habet mandatum DEI, & habet magnificas promissiones Rom. I. Evangelium est potentia DEI ad salutem omni credenti. Item, Esaiæ 15. Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui &c.* Et paulo post pag. 202. *Postremo, si omnes res annumerari sacramentis debent, quæ habent mandatum DEI, & quibus sunt additæ promissiones, cur non addimus orationem, quæ verissime potest dici sacramentum? Habet enim & mandatum DEI & promissiones plurimas.* Quod si porro sacramenti vox in significatu latiori quodcunque rei sacræ signum denotet, ipsum matrimonium, cum sit signum mysticæ inter Christum & ecclesiam conjunctionis, sacramentum adpellari potest. Id quod itidem admittet *Augustanæ Confessiones Apologia*, quippe quæ pag. 202. scribit: *Si quis matrimonium volet sacramentum vocare, discernere tamen a prioribus illis debet, quæ proprie sunt signa novi Testamenti, & sunt testimonia gratiæ & remissionis peccatorum.* Atque in laxiori isto significatu, quo sacramenti vox quodcunque rei sacræ

signum

signum indigitat, ipse *Augustinus* Libr. II. de *peccatorum meritis & remissione* cap. XXVI. cibum sanctificatum, qui catechumenis dabatur, Libr. IV. de *symbolo* c. I. exorcismos & insufflationes, atque alia, quæ fiunt circa catechumenos, Libr. XIX. *contra Faustum* cap. XIV. crucis signum sacramenta adpellitat. Ex quibus nemo non intelligit, quod, si notio sacramenti pro signo rei sacræ sumatur, plura, quam duo, plura quam septem Novi Testamenti Sacramenta numerari possint. Sic &, quod ad Vetus Testamentum attinet, si sacramenti vox in amplo conceptu pro actione sacra, quæ a DEO mandata est, habetque promissionem gratiæ, accipiatur, orationes in Veteri Testamento factas, ministerium Verbi tunc peractum, & patrata eo tempore sacrificia, fuisse sacramenta concedimus. Statuimus quoque, quod, si vocabulum sacramenti pro signo rei sacræ sumatur, transitus Israelitarum per mare rubrum, eorundem sub nube commoratio, mannæ cœlitus demissæ esus, & undarum ex petra elicitarum bibitio, nec non purificationes & ablutiones, fuerint sacramenta: Habuerunt enim suas sacras significationes.

Th. XXXIII.

Conveniunt inter se Veteris & Novi Testamenti Sacramenta quatuor potissimum modis, seu quoad omnia Sacramenti stricte sic dicti requisita. Utraque enim I.

sunt

sunt actiones expresse in Scripturis mandatæ: II. versantur circa elementum visibile & divinitus institutum, idq; sacro modo & adhibito divinæ institutionis verbo tractandum: III. habent promissionem gratiæ evangelicæ: IV. sunt media, per quæ hominibus a DEO gratia evangelica non tantum offertur, verum etiam iis, qui obicem non ponunt, confertur, aut in ipsis obsignatur.

§. 1. Contradicunt inprimis thesi nostræ *Pontificii*, qui id discriminis inter sacramenta Veteris, & inter Sacramenta Novi Testamenti intercedere docent, quod hæc conferant gratiam, illa autem gratiam tantum significarint. Quippe *Johannes Tetzelius* in suis propositionibus Lutheri de Indulgentiis Disputationi oppositis (prout verba ipsius Tom. 1. opp. Lutheri German. Jen. fol. 13. Teutonice efferuntur) inter cætera sic disserit: Die Sacrament im Gesetz Mosi sind Krafftlose Element / die weder Schuld hinweg nehmen / noch gerecht machen. Et *Cornelius Jansenius* in Harmon. ad Joh. III, 5. sic annotat: *Nostra Sacramenta & Symbola non sunt gratiæ DEI signa nuda, quemadmodum veteris legis, sed signa efficacia, ut quæ gratiam, quam significant, etiam efficaciter exhibeant.* Quod ipsum synodus *Florentina* anno 1439. sub Papa Eugenio celebratur, & *Tridentina* synodus sess. VII. can. II. diserte docuit: Quorum conciliorum decreto *Bellarminus* Lib. II. de sacram.

sacram. c. XIII. §. 1. prorsus adhæresçit. Sed contra hanc sententiam ad Thesin nostram antecedentem XXVII. in §§. 3. 4. disputavimus.

§. 2. Neque vero cum *Reformatis* (quorum opinionem *Wendelinus* Libr. I. Theol. Christ. c. XXI. thes. 8. n. 3. proponit (hic docemus, Sacramenta Veteris & Novi Testamenti in eo convenire, quod, sicut illa Christum in carne exhibendum repræsentarunt, & repræsentando objective tantum (seu per modum nudi signi) exhibuerunt, ita & hæc Christum jam in carne exhibitum repræsentent, & repræsentando objective tantum exhibeant. Hanc enim doctrinam ea de causa rejicimus, quod Sacramentum eucharistiæ non solum signis & figuris externis Christum repræsentet ac objective exhibeat, sed & eundem Christum exhibeat realiter, dum per benedictum panem corpus ejus realiter manducandum, & per vinum benedictum ejus sangvis bibendus realiter exhibetur.

Th. XXXIV.

Differunt autem inter se Veteris & Novi Testamenti sacramenta (1.) quod illa Christum venturum respexerint, hæc Christum in carne exhibitum respiciant; (2) illa durare debuerint usque ad Christum in carne exhibitum, hæc, dum Ecclesia militans in terra erit, duratura sint.

(o)

LOCUS

LOCUS XI.
DE
SACRAMENTIS VETERIS TESTAMENTI,
CIRCUMCISIONE ET AGNO PASCHALI.
SECTIO I.
De
CIRCUMCISIONE.

Thes. I.

LIcet *Circumcisio* sit primum Sacramentum proprie strictèque sic dictum, non tamen statim cum initiis Ecclesiæ Veteris Testamenti cœpit (sicut cum initiis Ecclesiæ Novi Testamenti statim simul cœperunt istius ecclesiæ Sacramenta,) sed tempore iniri cum Abrahamo fœderis, anno videlicet ætatis Abrahami 99. instituta demum fuit, *Genes. XVII, 1.*

Th. II.

Circumcisionem, in Abrahamo ejusque posteris peractam, fuisse *Sacramentum proprie strictèque sic dictum*, exinde statim manifestum est, quod ei omnia Sacramenti proprie strictèque sic dicti requisita substantialia competant.

Videlicet illa circumcisio (1.) erat *actio*, nempe quædam amputatio: (2) actio *expresse in Scripturis mandata*, *Gen. XVII, 10.* (3) actio circa elementum sensibile *divinitus determinatum*, & sacro modo, adhibitoque divinæ institutionis Verbo tractandum, (nempe circa præputium,) occupata, *Gen. XVII, 11.* (4) Habebat *promissionem gratiæ*, *Gen. XVII, 7.* (5) Non erat opus humanum, seu opus, quod homines DEO reddebant, & quo illi DEO aliquid offerebant, sed (ut inferius ostendetur) actio, qua DEUS hominibus gratiam exhibuit, eamque contulit aut obsignavit.

Th. III.

Uti aliorum, ita & Sacramenti circumcisionis *causa efficiens principalis* est DEUS (h. e. DEUS sua autoritate circumcisionis ritum tanquam medium gratiæ celebrari jussit, ac quomodo & qua ratione ritus ille celebrari debeat, determinavit, itemque sua

auto-

autoritate eidem ritui promisſionem gratiæ addidit, ac porro ſua autoritate, propriaque ac ſufficiente virtute eum tanquam organon ad gratiam infantibus conferendam, adultis vero credentibus obſignandam elevavit.)

§. 1. Quando DEUS circumciſionem tanquam medium gratiæ celebrari jubebat, hoc ipſo erat ſacramenti illius cauſa efficiens quoad *exercitium actus:* Quatenus autem præſcribebat, quando & qua ratione actus ille celebrari deberet, ejusdem illius ſacramenti cauſa efficiens erat quoad *actus ſpeciem.*

§. 2. Theſis ipſa vel inde liquet, quod ſolus DEUS ſua & propria autoritate media illa, per quæ gratia evangelica conferatur aut obſignetur, definire, ſua & propria autoritate gratiam illam promittere, & ſua propriaque ac ſufficiente potentia ritus quosdam, tanquam organa, ad gratiam evangelicam conferendam aut obſignandam elevare poſſit. Vid. ea, quæ in Loco proxime præcedente §. 11. ad *Theſ. IX.* hanc in rem docuimus.

Th. IV.

Et quidem DEUS TRINUNUS fuit Sacramenti circumciſionis cauſa efficiens principalis.

Omnes enim divinæ actiones, per quas DEUS fuit cauſa efficiens principalis ſacramenti

circumcisionis, habent se per modum actionum DEI ad extra ipsaq; circumcisio erat opus DEI ad extra: Atqui actiones & opera DEI ad extra omnibus tribus divinitatis personis, tanquam causæ efficienti principali, tribuntur.

Th. V.

Causa impulsiva Sacramenti circumcisionis (h. e. illud, quod DEUM, ejusque voluntatem movit, ut Sacramentum circumcisionis mandare & instituere vellet, ac mandaret reapse, & institueret) erat cum interna, tum externa: Interna erat DEI *Bonitas*, externa vero tum *hominum infirmitas*, tum *Christi Meritum*.

§. 1. Divinam bonitatem movisse DEUM Trinunum ad mandandum & instituendum circumcisionis sacramentum, ex eo patet, quod sacramenti illius, tanquam medii gratiæ, institutio fuerit insigne Numinis beneficium, omne autem in homines collatum divinum beneficium ex bonitate DEI oriatur.

§. 2. DEUM infinite bonum ac misericordem ad faciendum id, quod nostræ miseriæ ac indigentiæ sublevandæ causa præstat, hoc ipsa nostra *miseria* ac *indigentia* movet. Atqui ad eam hominum infirmitatem, qua de promissionibus divinis facile dubitant, sublevandam DEUS externum circumcisionis ritum instituit.

§. 3. *Christi Merito*, tanquam causæ impulsi-

pulsivæ, adscribendam esse circumcisionis institutionem, ex eo luculente patet, quod omnia sacramenta, quippe quæ tanquam media gratiæ ad benedictionem spiritualem omnino pertinent, juxta illud Apostoli *Eph. I, 5.* effatum: *In Christo benedicimur omni benedictione, spirituali*, accepta huc referenda sint. Confer. Loci Theol. proxime præced. *Thes. XI.* §. 3.

Th. VI.

Causa efficiens *minus principalis* Sacramenti circumcisionis primum Abraham fuit: Deinde Patriarchæ succedentes, spectati itidem ut ministri sacrorum ac Doctores ecclesiæ: postea sacerdotes Levitici.

§. 1. Abraham circumcisionis causa efficiens minus principalis erat non tantum per hoc, quod tanquam minister promulgandæ divinæ institutionis DEO præbebat ministerium, ut Sacramentum circumcisionis in ecclesiam Veteris Testamenti primum introduceretur, verum etiam per id, quod circumcisionis actum juxta DEI institutionem primus exercebat.

§. 2. Patriarchæ vero succedentes, modo in thesi nostra commemorato considerati, & sacerdotes Levitici circumcisionis causa efficiens minus principalis præcise per hoc erant, quod dependenter a divina autoritate, atque juxta institutionem DEI circumcisionem peragebant.

Th. VII.

Extraordinarie tamen, & in neceſſitatis caſu circumciſionem a Laicis & fœminis recte peractam fuiſſe, vel unum Zipporæ filium circumcidentis exemplum Exod. IV, 26. demonſtrat.

Th. VIII.

Materia EX QUA circumciſionis non datur, cum in ſua natura & eſſentia ſit actio, nihil autem materiam ex qua habeat, niſi ſit ſubſtantia ex materia & forma compoſita.

Th. IX.

Circumciſionis *Materia* CIRCA QUAM ſeu *Objectum* non tantum erat præputium (quod tanquam elementum externum ad hoc ſacramentum deſtinare non una ex cauſa DEO placuit,) ſed & homo, cujus præputium amputabatur: Et quidem viſibile elementum illud erat objectum *reale*, homo autem circumcidendus objectum *perſonale*.

§. 1. Quamvis gentiles multi Iſraelitis, quod in ipſis præputium præcideretur, ut probrum objecerint, & idcirco eos per opprobrium & contemtum recutitos & apellas vocaverint,

DEO

DEO tamen sanctissimo non una de causa placuit, illud, de quo hic sermo est, sacramentum in genitali membro peragi. Videlicet id DEUS voluit, (1) ut fieret commonefactio quædam de peccato originali, quod membro isto per carnalem generationem propagatur, (2) ut Israelitæ de Messia ex Abrahami posteritate (licet non carnali modo) nascituro admonerentur, (3) ut ritu illo adumbraretur regeneratio spiritualis, (seu spiritualis circumcisio cordis, qua præputium cordis, s. peccatum originis, quatantenus abolebatur, & ne in hominis mortali corpore dominaretur, cohibebatur,) cujus peragendæ non signum tantum, sed & medium ac instrumentum circumcisio esse debebat, & erat.

§. 2. Atque exinde, quod peccatum originis per carnalem generationem membro genitali propagatur, & sacramentalis amputatio præputii adversus id peccatum remedium erat, factum esse videtur, ut in scripturis *Deuter. X, 16. Jerem. IV, 4. Coloss. II, 13.* & alibi ad ipsum illud peccatum, & quod male agendo eidem accesit, peccatum habituale acquisitum designandum præputii vox transferatur.

Th. X.

Materiale Sacramenti circumcisionis (h. e. conceptus illius sacramenti genericus ac communis, qui ad actum sacramentalem & non sacramentalem indifferens erat, &

ad esse talis sacramenti aliunde determinabatur) erat actus amputandi præputium, absolute & in se, sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine spectatus. Confer. Loc. Theol. proxime antecedentis Thes. XIX. §. 1.

Amputatio præputii in sacramento circumcisionis peragebatur instrumento perquam acuto, quale erat, cum Zippora filium circumcideret *Exod. IV*, 25. צֹר (quo nomine multi *silicem* intelligunt.) & cum circumcisio diu intermissa denuo in Israelitis nondum circumcisis *Jos. V*, 3. exerceretur, חֶרֶב צֹר *culter petræ* (h. e. culter acutissimus.) Docent hinc nonnulli scriptores ex *Maimonide*, qualibet re alia acuta & scindente, etiam vitro, non autem (cum periculum esset, ne circumcidens læderet manum suam) fragmento cannæ.

Th. XI.

Cum igitur circumcisionis materia tum pro ejus materia circa quam, tum pro materiali sumatur, præputii amputatio, si in se & præcise spectetur, materia circumcisionis *proxima*, & præputium materia ejus *remota* dici consvevit.

Neque enim præputium rationem materiæ in sacramento circumcisionis habuit, nisi quatenus

nus actioni amputandi subesset, & per eam tractaretur, sed inter amputandi actionem & inter sacramentum circumcisionis nihil amplius interceſſit, quod circumcisionis materia dicatur.

Th. XII.

Quanquam & asseri possit, præputium, in se spectatum, fuisse circumcisionis materiam remotam, præputium vero, ut amputabatur, fuisse ejus materiam proximam.

Th. XIII.

Præter præputium, & ejus amputationem, hominemque circumcisioni expositum, non deprehendimus aliquid, quod materiæ appellationem respectu Sacramenti circumcisionis subſtineat. Certe *materia* ejus *coelestis* proprie & usitate sic dicta tuto asseri nequit.

§. 1. Sacramenti enim materia cœlestis proprie & usitate sic dicta est res cœlestis, quæ cum elemento externo sacramenti proprio sacramentalem unionem habet, ut actio sacramentalis, dum circa elementum illud versatur, simul circa ipsam occupetur, eamque tractet: Ast talismodi unio inter præputium, & inter rem aliquam cœlestem non potest comprobari.

§. 2. Diserte loquor in thesi de materia cœlesti *proprie* & *usitate* sic dicta. Si enim per

materiam sacramenti *cœlestem* intelligatur res cœlestis, quæ una cum materia terrena in Sacramento adhibetur, non solum in sacramento circumcisionis, verum etiam in sacramento Paschatis, nec non baptismi & S. Cœnæ materia cœlestis omnino statuenda. Uti enim in omni alio sacramento materiæ terrenæ ac Verbi institutionis usus deprehenditur: ita in Sacramento circumcisionis præter præputium Verbum institutionis adhibebatur. Non solum autem istiusmodi materia cœlestis in Sacramento circumcisionis occurrit, verum etiam plures aliæ cœlestes res, nempe cum ejus causa efficiens cœlestis, tum ipsius cœlestes fructus, horumque cœlestes causæ in eo agnosci & considerari debent.

Th. XIV.

Sacramenti circumcisionis FORMA *partis* est certa amputationis præputii ad institutionem divinam habitudo (quæ in eo consistit, quod amputatio illa a DEO instituta, & exacte juxta divinam institutionem, & sic etiam adhibito institutionis Verbo, suscepta fuit.)

§. 1. Verbum institutionis *Gen. XVII, 10.* seqq. ita habet: *Hoc est foedus meum, quod observabitis inter me & inter vos, & inter semen tuum post te, circumcidatur vobis omnis masculus. Et circumcidetis carnem præputii vestri & erit in signum foederis inter me & vos. Et filius octo dierum circum-*

cumcidetur vobis omnis masculus in generationibus vestris &c.

§. 2. Verbum autem promissionis v. 7. seq. præmissum huc redit: *Et statuam pactum meum inter me, & inter te, & inter semen tuum post te per ætates suas, ut sit foedus perpetuum: Et ero tibi DEUS & semini tuo post te, & dabo tibi & semini tuo post te terram peregrinationum tuarum &c.*

§. 3. Ex utroque Verbo conflata erat benedictionis formula, qua Israelitæ, referente *Chemnitio* in Harmon. Evangel. cap. IX. in circumcisionis actu utebantur, hic habens: *DEUS vivus pars nostra & protector noster, præcepit erui animam nostram ab inferis propter foedus suum, quod proposuit in carne nostra.*

Th. XV.

Sacramenti circumcisionis *Forma totius* (seu tota ratio formalis) erat præputii amputatio ad conferendam aut obsignandam gratiam divinitus ordinata, quæ juxta divinam institutionem, atque adeo accedente simul institutionis verbo exercebatur.

Th. XVI.

Subjectum circumcisionis erant homines carnaliter nati, viventes, masculi, & quidem Abrahamus, ejusque domus, ac posteri Israelitæ tam adulti, quam infantes octavum ætatis diem agentes, itemque domesti-

meſtici Iſraelitarum, nec non omnes proſelyti, ſi ad aſſandum ac comedendum agnum paſchalem, & ad ſolennem ſacrificiorum oblationem admitti vellent.

§. 1. Vox ſubjecti circumciſionis denotat hic ſuppoſita, quorum bono Sacramentum hoc inſtitutum erat, quæque circumcidi debebant.

§. 2. Uti omnium ſacramentorum ſubjectum ſunt tantum homines carnaliter nati & viventes: ita ſpeciatim Sacramenti circumciſionis ſubjectum non niſi *homines carnaliter nati & viventes* erant. Hinc animalia bruta non debebant circumcidi, nec foetui in utero matris, nec hominibus jam mortuis ritus ille applicari debuit. Ac licet Chriſtus vere quidem, ſed non carnaliter, natus circumciſionis ritum ſuſceperit, non tamen ad circumciſionis ſubjectum referri poteſt, cum omnis peccati expers nullo gratiæ medio, atq; adeo nec circumciſionis ſacramento indiguerit.

§. 3. *Maſculis ſolis* circumciſionis ritum debuiſſe applicari, non ſolum circumciſionis inſtitutio, qvippe quæ Sacramentum illud ad maſculos *Gen. XVII, 10. 12. 14.* reſtringit, verum etiam ipſa circumciſionis ſubſtantia, ad quam præputii (ſeu pelliculæ in membro virili anterioris) amputatio pertinebat, oſtendit.

§. 4. Licet igitur Iſraelitarum *foemellæ* haud circumciderentur, non tamen a foedere DEI prorſus excluſæ erant. Generalis enim promiſſio foede-

foederis, quæ *Gen. XVII*, 7. continetur, ad foemellas quoque pertinebat.

§. 5. Non autem omnes homines masculi carnaliter nati, ac viventes circumcisionis subjectum erant, sed tantum *Abrahamus*, ejusque *domus*, ac *posteri Israelitæ*, horumque domestici, & Israelitis conjuncti proselyti.

§. 6. *Abrahamum*, totamq; ejus *domus* fuisse subjectum circumcidendum, luculente adparet ex *Gen. XVII, 24. 25. 26.* ubi Abrahamum, ejusq; filium Ismaelem, & omnes ad ipsius domum tunc pertinentes personas, etiam alienigenas, sive pecunia emtos sive ex servo domi Abrahamiticæ natos, circumcisionis ritum in carne sua suscepisse, Moses diserte testatur.

§. 7. *Posteros* quoque Abrahami, eo tempore, quo ipse circumcidebatur, nondum natos circumcisionis Subjectum fuisse, ex iis liquet divinæ institutionis verbis, in quibus *Gen. XVII*, *10.* præcipitur, ut etiam post Abrahamum in ejus semine circumcisio peragatur.

§. 8. Non vero omnes, sed eos duntaxat Abrahami posteros, qui ex Isaaco per Jacobum descendebant, (seu solos Abrahami *posteros Israelitas*) circumcisionis subjectum fuisse, manifestum ex *Gen. XVII, 7. 8. 19. 20. 21.* ubi foedus ita ad Isaacum, Abrahami filium, & ad Abrahami posteros ex Isaaci filio Jacobo oriundos restringitur, ut reliqui omnes excludantur. Confer. hic ea, quæ in Loco præced. Theol. IX. *Thes. XI*, §. 11. copiosius

hanc

hanc in rem tradidimus. Hic igitur disſentimus ab *Hugone Grotio*, qui Libr. I. de I. B. & P. cap. I. §. XVI. 1, 2. ſtatuit, quod, etſi tota Moſis lege Iſraelitæ ſoli olim tenerentur, tamen circumciſionis lege tota Abrahami poſteritas obligata fuerit. Ubi ſimul illud in *Grotio* reprobamus, quod credibile eſſe exiſtimat, populos extra nationem Iſraeliticam circumciſos, quorum *Herodotus*, *Strabo*, *Philo*, *Juſtinus* & alii meminerunt, ab Iſraele, aut ab Eſavo, aut ex Kethuræ poſteris veniſſe. Cujus *Grotianæ* ſententiæ refutationem vide in loco præced. Theol. IX. Theſ. XI. §. 12.

§. 9. De Iſraelitis adultis, in quibus circumciſio fuerat intermiſſa, circumciſis vide exempla *Exod. IV, 25. Joſ. V, 1.* ſeqq.

§. 10. *Infantes* Iſraelitarum ordinarie, cum octavum ætatis diem agerent, circumcidebantur. Sic enim DEUS in primæva circumciſionis inſtitutione *Gen. XVII, 12.* ſancivit: *Natus octo dies vobis circumcidetur omnis mas per generationes veſtras.* Quod Numinis præceptum non tantum Abrahamus, cum poſt inſtitutam circumciſionem Iſaacus natus eſſet, curate exequebatur, ſed & temporibus ſubſequentibus Judæi ita ſtricte obſervarunt, ut, licet die Sabbathi non liceret quicquam *operis* peragere, tamen, quando dies nati pueruli in diem Sabbathi incidebat, ipſo Sabbathi die (ut ex *Joh. VII, 23.* patet) circumciſionem adminiſtrarent. Loquor autem de eo, quod ordinarie factum eſt, Alias enim propter morbum peri-

periculosum atqve itinera longius differre circumcisionem licebat: quemadmodum permisit DEUS, ut circumcisio quadraginta annorum spatio, cum gens Israelitica per varios casus, per tot rerum discrimina in terram Canaan contenderet, intermitteretur.

§. 11. Quamvis vero circumcisionem ex causis jam dictis ultra octavum diem differre liceret, eum tamen terminum, etiamsi periculum esset, ne infans ante illum moreretur, anticipare concessum haud erat. Uti enim DEUS octavum diem circumcisioni infantis absolute destinavit; ita nullum exemplum circumcisionis ex divino permissu anticipatæ deprehenditur.

§. 12. Cæterum Israelitarum infantes, ante octavum vitæ diem morte abrepti, nihilominus extraordinaria gratia, qua DEUS absque circumcisione ipsos regenuit, & in foedus gratiæ recepit, salvi evaserunt. Hic certe locum habuit, quod Theologi ex *Augustini* Libr. IV. *contra Donatistas* c. XXII. agunt: *Non privatio, sed contemtus Sacramenti damnat.* Si enim post institutum circumcisionis Sacramentum infantes ante circumcisionem decedentes salvari nequivissent, sane DEus misericors tanto temporis intervallo ritum illum in deserto differri non fuisset permissurus.

§. 13. Eorum quoque, qui Abrahami & Israelitarum *domestici* erant, bono primitus institutam fuisse circumcisionem, ipsosque juxta voluntatem divinam circumcidi oportuisse, clarissime

sime patet ex *Gen. XVII, 12.* ubi DEUS in prima statim circumcisionis institutione Abrahamo, ejusq; posteris injunxit, ut etiam *natos domus suæ, & pecunia emtos de quibuscunque alienigenis* circumciderent. Namque nati domus Abrahami dicebantur, qui in domo Abrahami quidem, non tamen ex semine aut posteritate ejus, sed ex servo nati erant.

§. 14. *Proselytorum* nomen (quod alias quemvis adventitium significat) hic in peculiari apud ecclesiasticos scriptores recepta significatione denotat hominem ortu gentilem, qui patria relicta superstitione ad Israelitarum religionem accesit.

§. 15. Proselyti, extra Israelitarum domos constituti, licet ad circumcisionem suscipiendam non cogerentur, non tamen idem sacrorum jus cum patribus familias Israelitis habebant, nisi prius circumciderentur. Sic enim DEUS *Exod. XII, 48.* præcepit: *Quod si peregrinus voluerit tecum facere Pascha, circumcidetur ei omnis mas, & tunc accedito ad faciendum Pascha.* Atque illi conversi gentiles, qui post susceptam circumcisionem idem sacrorum jus, quo Israelitæ pollebant, adepti erant, vocabantur inter Judæos *advenæ justitiæ*, cum alii homines ortu gentiles, pii ac fideles, qui apud Israelitas commorabantur, saltem *advenæ domicilii* appellarentur. Vid. *Drusius* in *Matth. XXIII, 15.*

§. 16.

§. 16. Proselytis autem, qui ad manciscendam sacrorum omnium communionem sponte subibant circumcisionem, certum circumcisionis tempus non erat destinatum, sed poterant illi, quocunque vellent tempore, Judaismo initiari: quanquam ipsorum infantes perinde, ut Israelitarum, die octavo circumcidi oporteret.

§. 17. Observant hic insuper scriptores ex *Maimonide*, quod, si contigit forte, ut ex iis populis ethnicis, apud quos circumcisio aliqua recepta erat (videlicet Ægyptiis, aut Colchis, aut Æthiopibus, aliquis ad Judaismum accederet, in ipso pellicula saltem eo die, quo ad Judaismum cooptatus est, ita sauciata fuerit, ut aliquot sangvinis guttæ destillarent.

Th. XVII.

FINES minus principales circumcisionis erant plures: Videlicet I. discretio Israelitarum a populis aliis: II. Admonitio de peccato originali, utpote per carnalem generationem ad posteros transfuso: III. Admonitio de Messia ex posteritate Abrahami nascituro. IV. Admonitio de spirituali cordis circumcisione (seu de regeneratione & renovatione.)

§. 1. Circumcisionem fuisse signum, quo Israelitæ a populis aliis distingverentur, vel

ex eo adparet, quod Paulus *Rom. III, 30.* ubi DEUM circumcisionem ex fide, & præputium per fidem justificare asserit, universum genus humanum in circumcisionem (seu in homines sacramentaliter circumcisos) & in præputium (seu non circumcisos sacramentaliter) distingvat, circumcisionis nomine Judæos, præputii vero appellatione aliorum populorum mortales intelligens. Minime vero casu ac fortuito talismodi signum circumcisio facta est, sed distinctio ista a DEO autore intenta fuit. Quocirca eadem illa distinctio in ordine ad circumcisionem finis rationem habuit.

§. 2. Ob triplicem illam, cujus thesis nostra meminit, admonitionem Deum sanctissimum in membro genitali circumcisionem peragi voluisse, Theologi orthodoxi dudum observarunt. Quibus (quod attinet ad primam admonitionem) adstipulatur ipse Jesuita *Cornelius a Lapide*, qui in cap. XVII. *Gen.* scribit: *Circumcisio est signum purgativum peccati originalis, ut docent Patres. Circumcidebatur enim membrum genitale, quo peccatum originale transfunditur.*

Th. XVIII.

FINIS *principalis* Sacramenti circumcisionis fuit cum intermedius, tum ultimus. Intermedius erat tam regeneratio,

tio, quam renovatio: Ultimus vero æterna circumcisorum salus.

§. 1. Regenerationem & renovationem circumcisionis fines fuisse, manifestum evadit, postquam regenerationem & renovationem circumcisionis veros & reales fuisse effectus evictum est. Unusquisque enim Sacramenti effectus, si ratione intentionis spectetur (seu si consideretur, quatenus ipsius efficiendi aut consequendi causa Sacramentum institutum est) recte dicitur Sacramenti finis.

§. 2. *Regenerationem & renovationem* fuisse circumcisionis effectum, hocce probamus argumento: *Quicquid erat medium, quo DEUS hominibus circumcisis gratiam suam conferebat, illud erat medium, quo DEUS homines circumcisos regeneravit & renovavit. Atqui circumcisio erat medium, quo DEUS hominibus circumcisis gratiam suam conferebat. Ergo circumcisio erat medium, quo DEUS homines circumcisos regeneravit & renovavit.* Majoris propositionis veritas posita est in aprico. DEUS enim gratiam suam per certum aliquod medium haud alia ratione confert, quam quod per illud fidem justificantem, seu fidem, qua homines gratiam DEI & peccatorum remissionem consequuntur, in hominis corde accendat, aut roboret ac confirmet: Atqui ut fidei accensio ad regenerationem, ita fidei productæ confirmatio & corroboratio

ad renovationem formaliter pertinet. Minor argumenti nostri propositio liquet ex *Genes. XVII*, 7. ubi DEUS circumcisionis Sacramentum sanciens promittit, *se fore DEUM Abrahami* (circumcidendi) & *seminis* ejus (circumcidendi.) Sic quippe significat DEUS, se gratiam suam & peccatorum remissionem Abrahamo, ejusque posteris per circumcisionem, tanquam per medium & organon efficax, collaturum esse.

§. 3. Speciatim *confirmationem fidei*, ac proinde *renovationem* fuisse circumcisionis effectum, nostrates probant ex *Rom. IV*, 11. ubi testatur Apostolus, circumcisionem in Abrahamo fuisse *sigillum, quo ei obsignata fuerit justitia fidei, quam jam ante in præputio adeptus erat*. Sensus enim testimonii illius Apostolici est, circumcisionem fuisse sigillum, quo Abrahamus certior fuerit redditus, se jam ante circumcisionem per fidem coram DEO justum fuisse, & peccatorum remissionem propter futuram Christi satisfactionem obtinuisse, ac proinde se per fidem & propter futurum Messiam habere DEUM propitium & faventem.

§. 4. Quod si igitur tum regeneratio tum renovatio circumcisionis effectus fuit, sane salus quoque æterna circumcisorum in ordine ad circumcisionem rationem finis habuit. Nam ipsa æterna salus regenerationis & renovationis finis est; Ast rei, quæ effectus est, finis etiam finis est medii ad effectum illum ordinati.

§. 1.

§ 5. Thesin nostram, quæ regenerationem & renovationem circumcisionis fines fuisse docet, evertes minime, quando tale contra nos argumentum in medium adferes: *Si regeneratio & renovatio circumcisionis finis fuerunt, sane aut Christus regenitus vel renovatus fuit, aut ejus circumcisio vana & inanis extitit.* Licet enim Christus per circumcisionem nec regeneratus nec renovatus fuerit, non tamen irrita extitit ejus circumcisio. Suscepit namque circumcisionem eum potissimum in finem, ut per legis in se receptionem, & per primam sanguinis effusionem ad plenissimam pro nobis satisfactionem solenniter se se obligaret. Neque improbabile quid asseres, si dixeris, ob alias insuper rationes Christum circumcisioni se se exposuisse, nimirum (α) ut veritatem humanæ suæ naturæ commonstraret, (β) ut Abrahæ, cui DEUS circumcisionem primitus injunxit, verum semen se esse doceret, (γ) ut Sacramentorum usum nobis commendaret, (δ) ne Judæi Christum rejicientes eam causam, quod circumcisus non esset, prætenderent. Vid. *Thomas*, P. III. qu. 37. art. 1.

§. 6. Neque vero thesin nostram destrues, si objeceris forte, foemellas si circumcisionis finis & effecta regeneratio sunt, non fuisse regenitas. Licet enim foemellæ non perinde, ut mares, per circumcisionem renascerentur, regenitæ tamen fuerunt sine circumcisione, æque ut masculi ante institutum circumcisionis sacramen-

um, &, facta illa institutione, ante perceptam circumcisionem occumbentes regeniti fuere, & salvi facti sunt.

Th. XIX.

Circumcisio juxta institutionem divinam semel peracta *iterari* circa idem subjectum non debuit.

§. 1. Nullum enim pro *iteranda* circumcisione mandatum, nullum factæ iterationis exemplum in universa Scriptura extat. Imo Sacramenti initiationis (quale erat circumcisio) ratio ipsa excludit magis iterationem, quam postulat.

§. 2. Deus sane circumcisionis iterationem haud præcepit, quando *Jos. V, 5.* dixit: *Para tibi gladios acutos, & conversus circumcide filios Israël* שֵׁנִית (secundo, sive iterum.) Tunc enim DEUS non circumcisionis in eodem subjecto iterationem seu repetitionem, sed circumcisionis hactenus in deserto prorsus intermissæ exercitium denuo susceptum injunxit, ut mandati divini sensus esset: *Circumcisionem hactenus omissam denuo exerce.* Cæterum intermissa erat tot annis circumcisio ex divina dispensatione, qua DEUS Israelitis eo tempore, quo in deserto vagabantur, ob loci mutationem infantibus recenter circumcisis valde noxiam, ut circumcisionem tantisper intermitterent, permiserat.

Th. XX.

Th. XX.

Duratio circumcisionis ultra tempus Evangelii in Novo Testamento promulgati extendere se non debuit.

§. 1. Præclare *B. Balduinus*, supra in Loc. Theol. IX. ad thes. XIV. allegatus, *commentar.* in epist. ad *Rom. cap. XIV.* p. m. 242. hanc in rem scribit: *Circumcisionis observatio erat in Veteri Testamento necessaria, nam octavo die non circumcisus non habebat partem in populo Dei Gen. XVII; in primitiva Ecclesia erat* ἀδιάφορος *& libera: Paulus enim Timotheum circumcidit Actor. XVI. Titum non circumcidit Gal. II, 3. jam vero post sepultam synagogam Judaicam observatio circumcisionis est prohibita, juxta illud: Si circumcidamini Christus nihil vobis proderit. Gal. V, 2.*

§. 2 Non autem thesi nostræ illud adversatur, quod *Gen. XVII, 13.* circumcisio בְּרִית עוֹלָם (fœdus æternitatis) adpellitatur. Vox enim עוֹלָם non semper perpetuitatem, sed interdum tantum longi alicujus temporis spatium denotat.

SECTIO II.
DE
SACRAMENTO PASCHALI.

Thes. I.

ALterum Veteris Testamenti Sacramentum vocabatur *Pascha*. Quod nomen ideo obtinuit, quia primum eo fine, ut angelus Domini omne primogenitum Ægypti [tum homines, tum jumenta] percutiens, Israelitarum domos transiret, ac deinde in transitus illius memoriam celebratum fuit.

§. 1. Uti nomen Ebræum פֶּסַח vi vocis *transultum*, seu transitum, qvi saltu quasi fit, significat, descendens quippe a verbo פָּסַח, quod idem notat ac transilivit, seu saltu quasi præteriit: ita in thesi nostra ex usu loquendi transfertur ad significandum totum sacramentum, quod institutum est in memoriam transitus illius, quo angelus Domini, præcedens per Ægyptum ad percutiendum omne primogenitum, Israelitarum domunculas transivit, iisque pepercit.

§. 2.

§. 2. Quinque igitur significationes, quas nomen פֶּסַח (Pascha) obtinet, probe observandæ veniunt. I. Significat generaliter omnem transitum, quo e pluribus (ut *Rivetus* commentar. in *Exod. cap. XII.* docet) quædam prætereuntur, & ea non attingendo transiliuntur. II. Specialiter notat *Exod. XII*, 27. transitum angeli, qui Ægyptios percutiens Israelitarum domus transiliit, eisque pepercit. III. Designat *Exod. XII*, 21. agnum, qui primum, ut angelus percussor Israelitarum domos transiliret, & porro in memoriam illius transultus mactabatur. IV. Denotat festum vel diem, quo agnus iste in ejusdem illius transitus commemorationem mactatus fuit. V. Significat actionem sacramentalem, ideo, ut angelus percussor Israelitis parceret, ac postea in memoriam illius transitus institutam, qua agnus mactabatur & comedebatur. Atque ultima hæc acceptio in thesi nostra, quæ alterum sacramentum Pascha vocatum fuisse ait, locum habet. Confer. hic *Eduardi Leigh* Critica Sacra Part. I. p. m. 324.

Th. II.

Causa efficiens principalis Sacramenti illius, perinde ut aliorum Veteris & Novi Testamenti sacramentorum, Deus Trinunus est, qui illud sub exitum Israelitarum ex Ægypto annis post institutam circumcisionem quadringentis instituit.

Th. III.

Et sicut omnium sacramentorum *causæ impulsivæ* fuerunt *Dei Bonitas Christique Meritum*; ita DEUS iisdem causis ad instituendum Paschatis Sacramentum permotus fuit.

Th. IV.

Sacramenti Paschatis *causa efficiens minus principalis* Moses & Aaron per hoc erant, quod tanquam ministri promulgandæ institutionis divinæ DEO ministerium præbebant, ut sacramentum illud in ecclesiam primum introduceretur: Israelitici vero Patresfamilias, ac postea Levitæ ejusdem illius Sacramenti causa efficiens minus principalis erant, in quantum divina autoritate & juxta institutionem DEI, tanquam superioris, illud administrabant.

§. 1. Patresfamilias gentis Israeliticæ sacramentum Paschatis, cum primum in Ægypto celebrandum esset, promiscue administrarunt, & postea, instituto sacerdotio Levitico, si non mactarunt (de quo disputatur adhuc,) assarunt tamen agnum paschalem.

§. 2. Proselyti tamen justitiæ, uti jure civitatis & privilegiorum annexorum inter Judæos gaudebant, conjugium cum aliqua ex populo

pulo Israelitico ineundi facultate pollebant, atque juxta *Num. XV, 13. 16.* idem sacrorum jus cum Patribusfamilias Israeliticis habebant, ita ad assandum agnum paschalem admittebantur.

Th. V.

Uti nullius Sacramenti, ita nec Sacramenti paschalis Materia EX QUA datur. Materia autem CIRCA QUAM seu objectum hujus Sacramenti erat *agnus*

Quando paschale Sacramentum circa agnum fuisse occupatum asfero, loquor certe de eo, quod frequentissime factum est. Nec enim rejici prorsus potest sententia *Thomæ Goodwini*, & *Joh. Guil. Bajeri*, quorum illi *Antiqu. Hebraic.* Lib. III, c. IV. §. 8. hic vero *Compend. Theol. Posit.* P. III. c. IX. §. XIV. not. (a) existimat, loco agni in materiam sacramenti paschalis hoedum adhiberi potuisse. Præterquam enim, quod *Exod.* XII, 5. in Hebræo occurrat vocula שֶׂה parvam pecudem, quæ sub se agnum & hœdum complectitur, denotans, subjungitur statim, וּמִן־הָעִזִּים תִּקָּחוּ (*ex ovibus vel ex capris*, ut præfixum ו vim particulæ disjunctivæ habeat) parvam illam pecudem sumi posse.

Th. VI.

Agnus autem, qui Sacramenti paschalis

lis elementum externum ac sensibile erat, vi divini præcepti, quod *Exod. XII*, 5. habetur, debebat esse *integer*, *masculus anniculus*.

§. 1. Illum, inquam, agnum oportebat esse *integrum* seu perfectum, h. e. talem, qui esset absque defectu & vitio.

§. 2. Idem ille agnus debebat esse בֶּן שְׁנָתוֹ (*filius anni* seu anniculus) i. e. talis agnus, qui (ut *Glassius* in *Gramm. S. tract. 1. Can. 36.* exponit) annum non excesserit, etiamsi annum præcise non complevisset. Et observant hic *Goodwinus* & *Glassius* l. cit. inde ab octavo ætatis die agnum idoneum incepisse esse ad pascha: Speciatim *Goodwinus* notat, agnum, si hora una annum superasset, reprobatum fuisse. Quibus tamen observationibus Dn. D. *Bajerus* haud suffragatur, quando l. c. not. (d) statuit, agnum paschalem fuisse *anno præterito natum, ita, ut annum ætatis primum vel mox impleturus fuerit, vel impleverit, non tamen ita excesserit, ut pro bimo haberi posset.* De quo *Bajeriano* dogmate quid pronunciandum sit, aliis dijudicandum relinquo.

Th. VII.

Quemadmodum agnus paschalis typum gerebat Christi: ita agni illius requisita in præcedente thesi enumerata significabant, Christum fore sine peccato omni & ma-

& macula, habiturum robur vividum & vires masculas, atque in ipso ætatis flore pro nobis immolatum iri.

§. 1. Agnum paschalem præfigurasse Christum, inde inprimis liquet, quod *Joh. I. 29.* agnus DEI, & 1. *Cor. V, 7. pascha* nostrum, *pro nobis mactatum*, adpellatur.

§. 2. Speciatim ratione *integritatis* suæ agnum illum Christi typum fuisse, ex *1. Petr. I, 19.* patescit, ubi Christus habito ad agnum istum respectu agnus ἄμωμος (immaculatus,) & ἄσπιλος (omnis labis nævique expers) vocatur. Ac ratione ætatis & sexus eundem adumbrasse Christum, Theologi inde colligunt, quod, si agnus ille ratione *aliquarum* circumstantiarum, e. gr. ratione integritatis, mactationis, ossium non comminutorum &c. Christi typus extitit, nihil prohibeat, quo minus cuivis paschatis circumstantiæ, in qua insignis quædam typi illius & antitypi similitudo elucet, rationem mysticam accommodemus. Quocirca absque ratione solida *Johannes Spencerus* ab ea, quæ in tot Theologorum, ipsorum quoque *Reformatorum*, animos alte descendit, sententia, plerasque nimirum *legis*, *paschatis præcipue*, *ceremonias velut rerum cœlestium σκιαγραφίας a Deo institutas esse*, Libr. II. de *Leg. Hebræorum* c. IV. sect. I. prona adeo mente descivisse. Liquet certe ex jam dictis, vanam esse objectionem, quando ipse

nunc

hunc in modum scribit: *Huic sententiæ ipse magis faverem, si validiore argumento*, quam conjectura tenuique similitudine niteretur.

Th. VIII.

Materiale Paschatis (h. e. conceptus illius sacramenti genericus ac communis, qui ad actum sacramentalem & non sacramentalem indifferens erat, & ad esse talis sacramenti aliunde determinabatur) fuit actus agnum assatum comedendi, absolute & in se, sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine consideratus.

Th. IX.

Atque ille manducandi actus ita exercebatur, ut convivæ (1) carnem agni non elixatam, nec semiassam, & ussulatam solum, sed assatam, (2) festinanter, (3) præcincti lumbis, calceati pedibus & baculum gerentes manu, (4) cum panibus azymis & herbis amaris comederent, nec (5) ossa ad excutiendam forte medullam confringerent, nec quicquam ex toto agno relinquerent.

§. 1. Eo, quem thesis nostra commemorat, modo paschalem agnum fuisse manducatum, ex prima sacramenti paschalis institutione, quæ

quæ *Exod. XII.* describitur, manifestissime apparet. Sic quippe in citati capitis v. 8. 9. 10. 11. DEUS sancit: *Et edent carnes agni, nocte illa assas igni, & azymos panes, cum herbis amaris. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed assum tantum igni: caput cum pedibus ejus & intestinis vorabitis. Nec remanebit quicquam ex eo usque mane; si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Lumbos vestros accingetis & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Pascha Domini. Et custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo.* Et de membris ossibusque agno paschali non confringendis v. 46. diserte præcipitur: *Os ejus non comminuetur.* Non autem in prima saltem Paschatis celebratione, sed & postea ritu illos circa agni paschalis comestionem observatos fuisse, constat tum ex jam citato versu 11. ubi Israelitæ diem istum in generationes suas ritu perpetuo custodire jubentur, tum ex *Num.* IX. ubi institutio de celebrando paschate repetitur.

§. 2. Speciatim ex *Paralipom.* XXXV, 13. patescit, Hebræos, etsi oves & boves, ad augendam sublimioris festi magnificentiam in paschate immolatos, aqua coxerint, ipsum tamen paschalem agnum non elixatum, sed assatum more perpetuo ac inviolabili comedisse. Ita enim historia sacra l. c. scribit: Et pascha igne coxe-

coxerunt כְּמִשְׁפָּט h.e. juxta morem:) *reliqua vero sacrificia elixarunt lebetibus, & in aheneis & ollis.*

§. 3. *Assatio* ipsa juxta Judæorum praxin (uti etiam seculo II. *Justinus Martyr* in Dialogo cum *Tryphone Judeo*, Opp. fol. m. 259. edit. Colon. tradidit) ita fiebat, ut *veru unum ab infimis partibus ad caput usque adactum perficeretur, & aliud rursum, secundum scapulas; ad quod suspenderentur manus agni.*

§. 5. Uti toto septidui spatio, quo solennissimum celeberrimumque nationis Judaicæ celebrabatur festum, omne plane fermentum ex ædibus divinæ sanctionis vi ejiciebatur, azymis non nisi panibus, etsi nec palato grati, nec sanitati attemperati essent, ad esum adhibitis, ita & in sancti epuli, in quo assatus comedebatur agnus, toto apparatu fermenti quicquam repiriri nefas erat.

§. 5. Præterea agno assato, panique azymo adjungebantur *herbæ*, quas Hebræus textus vocat מְרֹרִים, ab amaritudine, qvod nempe aspero succo essent ac subacerbo. Non autem definire hic necesse est, quodnam herbæ amaræ genus DEUS præceperit: Sufficiebat enim adhibere herbas (1) amaras, (2) edules, (3) verno tempore vigentes, (4) obvias & in promiscuo usu, (5) in Ægypto, Judæa & vicino deserto repertas: *amaras* quidem: inde enim vocantnr מְרֹרִים;

edu-

edules, quia illas cum agno edi oportuit; *vernas*, quia edebantur mense primo & secundo, quî verni erant; *obvias* & in *usu promiscuo*; nam herbæ rariores nec facile occurrisent, nec tantæ multitudini sufficere potuissent in *Ægypto*, *Judæa*, & *vicino deserto*, quia illis locis Pascha celebratum est. Hinc *Maimonides* in Libr. de *ferm.* cap. VII. §. 13. quinque herbarum species, quæ adhibere potuerint, recensет: quarum nomina *Samuel Bochartus* in *Hierozoic.* Part. 1. fol. 603. interpretatus rem nondum a quoquam attentatam se suscepisse contendit.

§. 7. Quando vero agnus una cum herbis comedebatur, totus erat, nulla parte præ fastidio relicta, consumendus. Videlicet nihil plane in pecude, tam sublimi fini destinata ἀπόβλητον esse DEUS permittebat, non corporis tantum, truncum, sed & caput cum cruribus & intestinis asari comedique jubens *Exod. XII*, 9. Aliarum equidem ovium capita, crura, & intestina ad canes, aut tenuioris fortunæ homines amandare fas erat; at agni paschalis, maximorum utpote beneficiorum monimenti, portiunculam quamvis honore pretioque magno haberi oportebat.

§. 8. Ut autem quævis domus agnum totum consumere posset, vicinus, si quæ domus absumendo agno non sufficiebat, se adjunxit, ut comederet, & sic illi, qui paschali agno vescendi licentiam habebant, חבורות (h. e. *sodalitia*)

inierunt. Cujusmodi communitas (teste *Josepho* de *Bell. Judaic.* Libr. III. c. 17.) supra decem non descendebat, nec supra viginti adscendebat. Confer. *Goodwinus* Antiquit. Hebraic. Lib. III. c. IV. §. VIII.

§. 9. Multa equidem ex iis, quæ in toto comedendi actu occurrebant, angustia temporis, instans iter & festinata migrandi necessitas, atque præsens Israelitarum status fere exposcebant, quando Israelitæ paschali agno primum in Ægypto vescebantur; at DEUS non tunc modo (ut etiam *Jacobus Salianus* in *Annalibus ecclesiasticis Vet. Test.* Tom. II, fol. m. 72. scite annotat) sed &, cum subsecutis temporibus, excusso servitutis Ægyptiacæ jugo, sacramentum illud celebrandum esset, per ea, quæ Judæi in isto rerum suarum articulo deprehensi ex necessitate fecerant, in anniversariis sacris repetita, liberationis ab Ægypti plagis & oneribus memoriam instaurari, resque spirituales repræsentari voluit.

§. 10. Cum igitur masæ fermentatio tam cito fieri nequeat, azymos panes arcti illi temporis gyri, quibus Israelitæ ad abitum accincti tunc includebantur, requirebant. Herbæ porro amaræ ab Israelitis in Ægypto sumebantur, quia Israelitæ vitam in Ægypto amaram sustinuerant, atque adeo pro liberatione ex servitute Ægyptiaca nunc agere Deo gratias admonebantur. Vid. *Scaliger* de *emend. Temp.* Libr. V. pag.

pag. 270. *Ossa* vero agni vel ea de causa ad excutiendas medullas *confringere* haud par erat, quod raptim edere jussis, & operosum iter post paucas horas in hostili terra aggressuris in frangendis & emedullandis ossibus tempus terendum non esset. Sic & Israelitæ, quando in Ægypto primum Pascha celebrabant, *lumbis præcincti* erant, quia orientalium vestimenta, utpote longiora & fluxa, impedimenta erant iter ingressis vel laboriosum opus suscipientibus, atque adeo succingi ea oportebat, cum vel ineundum iter, vel negotium gravius exantlandum esset. Ac nemo nescit, viatores, quando lubrica loca vestigium fallunt, *fulciri baculo*, dum gradum firmare aliter vix possint. Ac, cum Israelitæ, in fervida quippe Ægypti plaga, fore sub cancri sidere posita, calceis carere facilius hucusque possent, iisdem nunc longum, asperum ac sentico-sum iter ingressuris de calceis omnino prospiciendum erat.

§. 11. Cæterum (quod nunc ad rerum spiritualium repræsentationem attinet) ipsa agni paschalis comestio manducationem corporis Christi cum spiritualem (quæ fit fide,) tum sacramentalem, quæ in S. Cœna, altero N. T. Sacramento, peragitur, mystice adumbrabat: prout & illud, quod totus agnus consumendus esset, totum Christum tum in Evchariſtia, tum per sacramentalem manducationem accipi significasse videtur.

§. 12. Porro *assatus*, quem in paschalibus sacris mandebant, agnus repræsentabat Christum, quippe qui non tantum eum fere in modum, quo agnus paschalis ad veru ligneum alligabatur, in cruce expansus, sed & partim igne iræ divinæ in peccatores, quorum se vatem ipse præstiterat, inflammatæ, partim immensæ suæ, qua nos redimendos complectebatur, charitatis flammis assatus velut, atque intime penetratus fuit. Hinc *Justinus Martyr* (vir sanctus, &, cum in Palæstina Patre Samaritano natus esset, rerum Judaicarum peritissimus) l. c. scribit: *Ille agnus, de quo, ut assus totus fieret, præceptum est, supplicii crucis, quod subiturus erat Christus, σύμβολον erat. Agnus namque assus σχηματιζόμενος ὁμοίως τῷ σχήματι τῦ σαυρῦ* (h.e. in figuram cruci similem conformatus) *ad ignem torretur.* Huc pertinet quoque, quod ex ipsis Reformatis *Rivetus* Commen. in *Exod.* c. XII. inquit: *Agnus significabat Christum, virum dolorum, & ignibus afflictionum tostum; qui amore nostri captus, acerbissimum supplicium tulit, in quo nihil habuit aquæ, id est nihil mitigationis in poenis, nihil solatii.* Quocirca miramur vehementer, *Spencerum*, magna eruditione excellentem virum, l. c. tam audacter pronuntiasse, quod *in Christi vita vel morte nihil fuerit, quod in agno ASSATO depingi vel adumbrari potuerit.*

§. 13. Mores autem iis congruentes, qui paschale festum eo, quo par est, modo celebraturi,

turi, Christum in Sacra Cœna digne manducaturi, & beneficiorum morte Christi quæsitorum læta hilarique fronte compotes futuri sunt, *panes azymi & herbæ amaræ* mystice designabant. Quippe nequitia omnisque corruptio, cujus symbolum in Scriptura est fermentum, animo expellenda est, contra vero sincera animi pietas consectanda. Sic & quotidiana poenitentia, quam herbarum amaritudo designasse censetur, opus est. Hinc Paulus 1 Cor. V, 7. 8. fermentum vetus expurgare, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis εἰλικρινείας καὶ ἀληθείας (*sinceritatis & veritatis*) festum (paschale) celebrare jubet. Quo spectat, quod *Theodoretus* Interrogat. XXIV, in Exod. scribit: *Azyma indicant non tantum* τῆς ὁδοιπορίας τὸ σύντονον, καὶ τὸ τῆς τροφῆς αὐτοσχέδιον (h. e. profectionis festinationem, & cibi tumultuarium adparatum,) *sed etiam quod nullum Ægyptiacæ vitæ vestigium inferre convenichat. Ita enim Dominus in Evangeliis interpretatus est, cavete, inquiens, a fermento scribarum & Pharisæorum.* Sic & *Chrysostomus* Homil. C L. t. V. per *azyma* docet intelligi ἁπλῆν τρόπον καὶ ἀκακοποιὸν i. e. *simplices & a nocendi studio alienos mores.* Confer. *Gregorii Nazianzeni* Orat. XLII.

Th. X.

Quamvis vero asfati agni comestio actus principalis Sacramenti paschalis es-

set, plures tamen alii circa paschalem agnum occupati, suumque mysticam significationem itidem habentes actus, nempe *segregatio* de *grege*, *asservatio*, *mactatio*, *sanguinis ad superliminare & postes aedium aspersio*, occurrebant.

§. 1. Agnus juxta mandatum DEI, quod *Exod.* XII, 3. describitur, die mensis primi decimo a grege *segregebatur*, & seorsim usque ad diem decimum quartum ejusdem mensis *asservabatur*. Cujus separationis & custodiæ tres potissimum rationes (ut *Hospinianus* de *Orig. Fest.* c. V. refert) *Rabbini* assignant: Nempe (1) quod alias Israelitæ ob præcipitem emigrationem & negotiorum molem tempore discessus incumbentem negligere agnum paschalem potuissent; (2) ut quatuor istorum dierum spatio eo melius explorare agnum ejusque perfectionem perquirere possent; (3) ut, cum per tanti temporis intervallum oculis lustrarent agnum, eo majorem occasionem fortiusque incitamentum haberent tum expendendi DEI eos ergastulo Ægyptiorum eripientis misericordiam tum catechizandi, suosque filios ea in parte instituendi. Sed ejusmodi separationem posteriori ætate cessasse, *Johannes Henricus Hottingerus* in annotat. ad *Goodwin.* antiq. Ebraic. Libr. III. c. IV. §. VIII. aliique viri doctissimi statuunt, hisce permoti rationibus, quod (1) ejus alia mentio non fiat post legem

legem *Exod.* XII. (2) ipsa templo exstructo, & populo in remotioribus locis habitante observari nequiverit; (3) agni paschalis, quem Christus cum suis Discipulis vice ultima comedit, apparatus *Matth.* XXVI, 17. *Marc.* XIV, 12. *Luc.* XXII, 7. id condoceat.

§. 2. Idem agnus, ossibus servatis integris, *mactabatur* demum die decimo quarto mensis primi *inter duas vesperas* juxta *Exod.* III, 6. & 46. Nec enim Legislator contentus fuit Israelitis mensem, quo agnum paschalem mactari vellet, significasse, sed diem quoque, & diei partem indixit. Mensis hic appellatur primus, qui alibi mensis *Abib* seu *Nisan* dicitur, a quo veris initium est, quique partim Martio, partim Aprili nostro respondet. Ea autem diei pars, qua agnus ille immolandus fuit, designatur, quando agnus *inter duas vesperas* jugulari jubetur. Quod ut rectius intelligatur, notandum hic, quænam fuerint *duæ vesperæ* apud Ebræos, & quid sit τὸ *fieri inter duas vesperas*. Videlicet una vespera erat *vespera declinationis*, h. e. ille temporis tractus, quo Sol declinare incipiebat, altera vero erat *vespera occasus*, h. e. ille temporis articulus, quo Sol occidebat. Vide R. *Davidem Kimchium*, ita in *Radic.* docentem, secuti existimamus, *inter duas vesperas fieri* h. l. idem esse, quod fieri intra illud temporis intervallum, quod a Sole declinante usque ad occasum Solis porrigitur Atque tantum temporis spatium

mactandis agnis paschalibus destinatum erat, quia eorum jugulandorum ingens erat multitudo. Sunt quidem, qui cum *Aben-Esra*, ad *Exod.* XII. sic sentiente, per unam vesperam intelligunt *vesperam solis* (h. e. tempus, quo moles solaris occidit,) per alteram vero *vesperam luminis* (i. e. tempus, quo radii solares & splendor terram deseruere,) atque adeo tempus inter duas vesperas interjectum censent esse unam horam & tertiam horæ partem: Sed *Hottingerus* in annot. ad *Goodwin.* Lib. III. c. IV §. XIII, rectissime judicat, *duos hic scopulos evitandos: illorum, qui tempus nimis laxant* (ut etiam ante meridiem agnum mactari potuisse arbitrentur;) *eorum quoque, qui contrahunt* (ut *Aben-Esræ*, qui illud temporis intervallum hora cum triente constare scribit:) *istos igitur, qui mediam viam ineunt ad veritatem propius accedere videri.*

§. 3. Mactatio illa, cum sacramentum paschale primum in Ægypto celebraretur, patrata fuit in propria cujusque Israelitæ domo, quia alibi non licebat, cum nullus fuerit locus, ad quem convenire Israelitico populo esset liberum; at, postquam DEUS Sacramenti illius celebrationem *Deuter.* XVI, 5. 6. ad eum locum, ubi templum esset, alligavit, non nisi *Hierosolymæ*, & quidem in ipso *templi atrio*, ubi victimas mactare moris erat, peragi debebat. Id quod *Maimonides* in tract. קרבן פסח c. 1. sect. 3. eumque

que secuti *Goodwinus* l. c. §. XX. & *Bochartus* Hieroz. Part. Pr. L. II. cap. L. fol. 572. ex *Deuter.* XVI, 5. 6. probatum eunt. Illa enim præcepti divini verba: *Non poteris immolare Pascha intra ullam e portis tuis, quas Dominus DEUS tuus elegerit, ut ibi collocet nomen suum*, non solum de Hierosolymis, sed & de ipso templi atrio exponunt.

§. 4. Cæterum de eo: Quisnam, instituto sacerdotio Levitico, *paschalem agnum mactaverit*? hic disputatur. *Goodwinus* sacerdotes mactasse, l. c. docet, idque ex 2. *Paralip. XXXV, 6.* comprobat: *Bochartus* vero l. c. fol. 576. & *Hottingerus* l. c. §. XX. contendunt, cuivis Israelitæ, modo ne immundities obstaret, mactare per Legem fuisse liberum. Quæ sententia cum ex ipsa divina lege, tum ex Judæorum praxi confirmari solet. Quippe DEUS ipse *Exod.* XII, 6. ubi ait: *Eum mactabunt tota congregatio Synagogæ Israelis*, id toti populo concedit, ut agnum paschalem mactet. Atque plebejos homines, quibus immundities non obstitit, paschales agnos apud Judæos reapse jugulasse, liquet cumprimis ex tractatu *Mischnico* פסחים ubi c. V, 6. hæc habentur: *Israelita mactat, sacerdos autem sanguinem excipit, atque illum socio porrigit, hic vero adstanti: Sacerdos, qui altari vicinus est, pelvim sanguine refertam accipit, & vacuam restituit: Tum una sparsione versus altaris fundamentum sanguinem effundit.* Neque

vero contrariæ opinionis patroni quicquam præsidii 2. *Paral. XXXV, 10, 11.* inveniunt. Quando enim regnante Josia Livitæ mactavisse paschа ibi perhibentur, id extraordinarie ac præter morem, & ex ea ratione, ob quam tempore Hiskiæ 2. *Paral. XXX, 17.* contigit, nimirum propter populi immunditiem, factum esse videtur.

§. 5. Quando Israelitæ primum paschа in Ægypto celebrabant, mactati agni sangvine superliminare & postes illinebantur, ut viso illo cruore Angelus Domini ædes Israelitarum præteriret, nec quenquam interficeret *Exod. XII, 13. 23.* Utrum autem hic actus postea in memoriam eorum, quæ primi paschatis tempore gesta sunt, adhibendus fuerit, disquiri solet. D. *Joh. Musæus* in LL. Theol. MSSt. affirmantem sententi m amplexus est, atque ex *Exod. XII, 24.* ubi Israelitæ, eorumque posteri illum illinendi sangvinis ritum in perpetuum servare jubentur, probatum ivit. *Bochartus* vero Hieroz. P. I. Lib. II. cap. L. fol. 611. aliique negantem opinionem hic tuentur, & ad *Judæorum* praxin, qua isthæc illitio intermissa, & omnis pecudum paschalium sangvis ad altare circumcirca sparsus fuit, provocant. Quæ *Judæorum* praxis cum ex ipsis literis sacris, tum ex *Rabinicis* & *Talmudicis* scriptis commonstrari solet. Quippe 2. *Paralip. XXX, 16. sacerdotes* dicuntur *spargentes sanguinem* (agni paschalis) *e manibus Levitarum* (acceptum) & præterea 2. *Paralip. XXXV, 11. paschа* Levitæ

mactas-

mactasse, & e manu eorum sacerdotes aspersisse perhibentur. Ac præter locum jam in §. proxime antecedente ex *Mischna* a nobis citatum allegantur inprimis *Maimonides*, qui non tantum in tractatu קרבן פסח c. 1. §. 6. scribit, quod *sanguinem paschatis ad fundamentum altaris effundere necesse sit, & post sanguinem effusum illud pelle denudent, & ex ejus ventre diffisso extorum adipes educant, eosque adoleant, in unaquaque victima seorsim: & victimæ Dominus, pascha suum una cum pelle auferens, deferat in domum, quam habet Hierosolymis, & assatum vespere comedat*; verum etiam sectione XIV. postquam describit longam sacerdotum seriem circa altare cum aureis & argenteis pelvibus, subjungit, *sanguinem, cum quis Paschamactavisset, in pelvi fuisse exceptum a sacerdote vicino, qui eum alteri traderet, & sic deinceps, donec pervenerit sanguis ad sacerdotem vicinum, qui eum unica effusione ad altaris basin diffuderet, & quam pelvim plenam acceperat, vacuam redderet.* Atque pelvis aut crater, quo sacerdotes sanguinem aspergendum excipiebant, מזרק dicebatur, quasi ῥαντιςήριον, *aspersorium*. Confer. *Bochartus* l. c. fol. 573.

§. 6. De cætero ex iis, quæ hactenus edisseruimus, liquido constat, inter actus illos, qui occupati erant circa agnum paschalem, loco ultimo illitionem postium, &, quæ ei ritui analoga erat, sanguinis ad altaris basin effusionem minus

minus recte a *B. Bajero* in comp. Th. Pos. P. III. c. IX. §. XIV. & §. XIIX. constitui: Illa enim illitio vel effusio mox mactationem insequebatur, atque tum asfationem, tum manducationem antecedebat.

§. 7. Omnes autem illos, quos in thesi enarravimus, circa paschalem agnum occupatos actus significationem mysticam habuisse, facile patet. Namque segregatio & asservatio Christum die decimo mensis primi Solymorum urbem ad immolationem sui ingressurum, captivitate segregandum ab hominum consortio, & propter peccata nostra ligandum adumbrabant. Sic & mactatio, inter duas vesperas facta, Christum in ara crucis inter duas vesperas, ossibus tamen servatis integris, tanquam pascha nostrum mactandum *1. Cor. V. 7.* repræsentavit. Sangvinis vero aspersio ad superliminare & postes ædium, in Ægypto eum in finem peracta, ut cruore ist hoc conspecto percussor angelus Israelitarum domunculas præteriret, mystice significabat, nos, Christi sangvine mundatos, a Satanæ vi ac potestate tutos fore: prout & sangvinis ad basin altaris effusio, que ex multorum opinione in locum aspersionis illius succesit, effusionem sangvinis Christi, unde redemtio nostra & peccatorum remisio pendet, haud dubie præfiguravit.

Th. XI.

Cum Sacramenti paschalis materia tum pro

pro materia circa quam (quæ erat agnus,) tum pro materiali (quod erat agni mactati & asſati comeſtio, in ſe & præciſe ſpectata) accipiatur, illa comeſtio ſacramenti hujus materia *proxima*, & agnus iſte materia *remota* appellari ſolet.

Uti enim mactatus & asſatus agnus in ſacramento paſchali rationem materiæ non habuit, niſi quatenus actioni comedendi ſubesſet, & per eam tractaretur; ita inter comedendi actionem & inter paſchale ſacramentum nihil amplius, quod ſacramenti hujus materia vocari queat, intercesſit.

Th. XII.

Nec vero male ſentiens, ſi mactatum & aſſatum *agnum ſine comeſtione ſpectatum* paſchalis ſacramenti materiam *remotam*, agnum vero, *ut comedebatur*, materiam *proximam* fuiſſe dixeris,

Th. XIII.

Præter agnum (vel hœdum) mactatum & aſſatum, ejusque comeſtionem haud deprehendimus quicquam, quod materiæ appellationem in ordine ad ſacramentum paſchale ſuſtineat. Certe *materia* ejus *coeleſtis* proprie ſic dicta ſtatui nequit.

§. 1.

§. 1. Nihil enim Sacramenti alicujus materia cœlestis proprie loquendo dicitur, nisi sit res cœlestis, quæ cum elemento externo sacramenti proprio sacramentalem unionem habet, ut actio sacramentalis, dum circa elementum illud versatur, simul circa ipsam occupetur, eamque tractet: Ast vero unio talismodi inter agnum paschalem & inter rem aliquam cœlestem asseri nequit. Certe inter istum agnum, & inter corpus ac sanguinem Christi unio talis haud intercessit. Corpus enim & Sanguis Christi, cum Sacramentum paschale in Ægypto, in deserto, & Hierosolymis ante Christi adventum celebraretur, nec fuerunt realiter præsentia, nec reapse extiterunt: Ast fieri nequit, ut quod nec realiter præsens est, nec realiter existit, cum agno sacramentaliter uniatur, & cum agno ore corporis accipiatur ac comedatur.

§. 2. Licet vero sacramenti paschalis materiam cœlestem proprie dictam non agnoscamus, in eo tamen sacramento plures alias res cœlestes, nempe Verbum institutionis, causam efficientem cœlestem, cœlestes fructus horumq; cœlestes causas, ut & varias mysticas ac cœlestes significationes agnoscimus, & devote consideramus.

Th. XIV.

Sacramenti paschlis FORMA *partis* erat certa manducationis agni mactati & assati

sati ad institutionem divinam habitudo (quæ in eo consistebat, quod manducatio illa a DEO instituta, & ad ejus voluntatem & præscriptum, ac proinde etiam adhibito institutionis verbo, quod Exod. XII. memoratur, peracta esset.)

Th. XV.

Sacramenti illius FORMA *totius* (seu tota ratio formalis) erat agni mactati & assati comestio, ad obsignandam gratiam divinitus ordinata, quæ juxta divinam institutionem, atque adeo accedente simul institutionis Verbo peragebatur.

§. 1. Si cum *Bajero*, aliisque nonnullis Theologis actionem agnum mactandi, ejusque sangvinem ad ædium postes & superliminare spargendi, aut ad altaris fundamentum effundendi de sacramento paschali proprie loquendo & in casu recto prædicare, atque adeo ad ejus definitionem & rationem formalem referre velis, non video, qua ratione sacramentum paschale sacrificiis contradistingvi queat. Uti enim in sacrificiis aliis homines ex institutione DEI aliquid ipsi obtulerunt, ita Israelitæ, cum paschalem agnum mactarent, ejusque sangvinem ad ædium postes & superliminare spargerent, sangvinem illum, velut propitiatorium, cujus vel aspersione ad superliminare, vel effusione ad altaris fundamentum

tum Dominum placaverunt, DEO reddidere. Hinc non tantum pascha *Exod. XII*, 27. זבח & *Num. X*, 7. קרבן vocatur, verum etiam illi qui, ne pascha celebrarent, prohibebantur, *Num. IX*, 7. sciscitati sunt, cur prohiberentur, ne *oblationem Domino offerrent* statuto tempore.

§. 2. Nos igitur existimamus, actionem agnum mactandi, ejusque sangvinem ad ædium postes & superliminare spargendi, ad paschatis, *ut sacramentum est*, rationem formalem non pertinere, sed ad paschale sacramentum, in se & formaliter spectatum, se habere saltem ut actum præparatorium.

Th. XVI.

Subjectum sacramenti paschalis (seu supposita, quorum bono sacramentum illud institutum erat, quæque eo uti debebant) erant omnes gentis Israeliticæ homines citra differentiam sexus aut ætatis; servi quoque (tam domi nati, quam pecunia emti,) & proselyti alii circumcisi. Quanquam Israelitæ *principale*, servi autem, & proselyti alii *minus principale* subjectum essent.

§. 1. Omnes gentis Israeliticæ homines, seu quotquot ab Abrahamo ex Isaaco per filium Jacobum descendebant, vocabantur *Judæi genuini*:

nuini: Quotquot vero aliunde orti circumcidebantur & Judæi fiebant, atque adeo ad agni paschalis esum admittebantur, *Judæorum ascititiorum* nomen sustinebant. Atque posterioris generis Judæi in quatuor classes abierunt: Alii quippe erant *vernæ* (seu servi domi nati) alii *servi argento emti*, alii *mercenarii*, alii *inquilini terræ Canaan*, *nulli servitio* addicti.

§. 2. Non igitur omnibus proselytis (seu omnibus hominibus ortu gentilibus, qui patria relicta superstitione ad Israeliticam religionem accesserant) ad agni paschalis communionem aditus patebat, sed proselytis duntaxat circumcisis, seu iis proselytis, qui inter Judæos *advenæ justitiæ* vocabantur. Certum enim est, neminem ante circumcisionem ad pascha fuisse admissum: hanc quippe in rem diserta lex est *Exod. XII, 48: Nemo incircumcisus ex eo comedet.*

§. 3. Omnes autem gentis Israeliticæ homines citra differentiam sexus aut ætatis (h. e. mares & foemellas, pueros puellasque ex Israelitico populo) ad paschalis agni fruitionem admitti debuisse, constat ex *Exod. XII, 3.* ubi DEUS expresse præcepit, ut *acciperent sibi quisque parvam pecudem pro unaquaque domo.* Domus enim patremfamilias, matremfamilias, liberos cujuscunque sexus & ætatis, atque servos continet.

§. 4. Atque Israelitæ omnes ad celebrandum paschale sacramentum usque adeo ob-

ligati erant, ut etiam peregrinantes, ubi domum reversi essent, alterius proxime subsequentis mensis die decimo quarto paschalem agnum manducare tenerentur *Num. IX, 10. 11.*

§. 5. Speciatim Israelitarum *servos* ab isthoc epulo non fuisse exclusos, clare liquet ex *Exod. XII, 44.* ubi DEUS servum, argento emtum, si sit circumcisus, ad illud admitti diserte jubet.

§. 6. *Omnes* quoque *proselytos*, qui fuere circumcisi, paschale sacramentum celebrare debuisse, luculente adparet ex *Exod. XII, 48. 49. Num. IX, 14.* ubi DEUS non sancit solum, alienigenas circumcisos pascha celebrare debere, sed subjungit quoque Israelitis & circumcisis alienigenis idem jus atque præceptum esse.

§. 7. Cæterum quæ de paschalis sacramenti subjecto diseruimus, non nisi limitate, & cum exceptione accipienda veniunt. Israelitæ enim immundi ab agni paschalis cum mactatione, tum esu arcebantur *Num. IX, 10. II. Paralip. XXX, 17. 18.* Quanquam illi, qui paschatos tempore immundi erant, ubi se purificassent, post alios & elapso tempore aliás statuto paschalem pecudem mactare & comedere tenerentur: qua de re *IX, 10. 11.* expressa lex extat. Nec vero pueri puellæque in ætate tenera, cum usu rationis nondum pollerent, sed tum demum, ubi ad annos discretionis pervenerant, &, quidnam hic ritus sacer adumbret, assequi & cognoscere

scere poterant ad sacrum illud epulum admissi fuisse videntur. Paschale enim sacramentum erat sacramentum confirmationis: atqui ad talismodi sacramenti participationem admittendi non sunt, nisi qui semetipsos probare, & re altius expensa ad ejus usum se præparare possunt; id quod Sacræ Cœnæ, quod est sacramentum confirmationis Novi Testamenti, exemplo patescit, cum docente Apostolo *1. Cor. XI, 28.* ad ejus usum admittendi non sint, nisi qui semetipsos probare valent. Hinc *B. Bajerus* Comp. Th. Pos. P. III. c. IX. §. XVI, not. (c.) simpliciter scribit, *pueros puellasque, in quibus usus rationis se exeruerat,* (ad agni paschalis comestionem) *admitti consuevisse.*

§. 8. Servos autem, & proselytos alios in thesi nostra minus principale paschalis sacramenti subjectum ex ea ratione voco, quod non *per se*, sed propter sui cum Israelitis conjunctionem lege de paschate celebrando tenerentur? Legibus enim divinis ceremonialibus non alios homines, quam Israelitas, per se obstrictos fuisse, supra dedimus demonstratum.

Th. XVII.

Sacramenti paschalis, tam in Ægypto, quam post miraculosam ex servitute Ægyptiaca liberationem celebrati, FINIS erat cum admonitio de Christo, illo DEI agno, quit ollit peccatum mundi, tum confirma-

tio fidei in Messiam promissum, & obsignatio promissionis de liberatione credentium ex servitute peccati & Satanæ per Messiam, atque adeo æterna salus. Speciatim sacramenti illius, ut extra Ægyptum exerciti, FINIS fuit recordatio & commemoratio liberationis ex servitute Ægyptiaca, nec non beneficii istius insignis, quo angelus percussor Israelitarum ædes præteriit, iisque pepercit.

§. 1. Admonitionem de Christo, ut agno DEI, peccata hominum portante, fuisse omni tempore paschalis sacramenti finem, ex eo manifestum est, quod tum paschalis agnus, qui sacramenti illius elementum externum ac visibile fuit, Christi ut agni DEI, typus esset, tum ipsa paschalis agni manducatio & manducationem Christi spiritualem, quæ fide fit, & futuram ejus sacramentalem comestionem adumbraret. Finis enim typi quocunque tempore est admonitio de antitypo.

§. 2. *Confirmationem fidei* in Messiam promissum, & *obsignationem promissionis* de liberatione credentium ex servitute peccati et Satanæ per Messiam, nec non ipsam salutem credentium æternam fuisse omni tempore paschalis sacramenti finis, oppido patebit, ubi probatum fuerit tanta bona fuisse veros ac reales sacramenti illius

illius effectus. Quilibet enim sacramenti effectus, si ratione intentionis spectetur (seu si consideretur ut id, cujus efficiendi aut consequendi causa sacramentum institutum est) sacramenti finis dicitur.

§. 3. Sacramentum autem paschale confirmasse fidem, & obsignasse divinam promissionem, ex eo liquidissime constat, quod tanquam umbra futurorum bonorum Christum ejusque officium redemtorium ac beneficia per ipsum impetranda egregie delineaverit. Scite *B. Gerhardus* in *Confess. Cathol.* L. II. Part. II. art. XI. c. II. fol. m. 1091. scribit: *Manducatione illius agni, qui tam perspicue designabat Christum, fides Israelitarum fuit confirmata, quod beneficia Christi veri illius Agni tam certo ad se pertinerent, quam vere carnes agni paschalis comederent.*

§. 4. Quod si igitur a sacramento paschali fidei confirmatio pependit, vita quoque æterna ob fidei & æternæ salutis connexionem effectus ejus merito censetur.

§. 5. Denique sacramenti paschalis, ut extra Ægyptum celebrati, effectum (ac proinde etiam finem) fuisse eam, cujus in thesi nostra meminimus, *recordationem & commemorationem*, ex eo luculentissime adparet, quod sacramentum paschale eo ipso, quod adhibito illo DEI Verbo: *Pascha hoc est Domino*, peractum fuit, omnibus sacramento isto utentibus liberationem ex servitute Ægyptiaca, & insigne beneficium, quo an-

gelus percusor transiliit Israelitarum ædes, in memoriam revocavit.

Th. XVIII.

LOCUS, in quo sacramentum paschale in se & formaliter spectatum, primum celebrabatur, erat cujusque Israelitæ domuncula in Ægypto; deinde vero, postquam DEUS celebrationem hujus Sacramenti ad eam urbem, ubi templum esset, alligavit, istiusmodi locus erat una & sola Solymorum urbs, ubi universa populi Israelitici multitudo convenire, & paschalem agnum, in ipso templi atrio mactatum, in *sua* unusquisque *domo*, quam ibi habebat, assare ac comedere tenebatur. Unde hodie, ubi Solymorum urbs cum templo eversa est, non licet amplius Judæis agno paschali vesci.

Th. XIX.

DURATIO sacramenti paschalis usque ad Christum in carne exhibitum, & quidem usque ad opus redemtionis ab eo peractum & consummatum, non autem ulterius extendere se debuit.

Hoc enim sacramentum erat umbra seu sciagraphia & delineatio in respectu ad Christum in

in carne exhibendum, & redemtionem ab eo peragendam *Ebr. X, 1. Col. II, 16*: Aſt, re ipſa ſeu rei imagine exhibita, umbra & delineatio merito ceſſat.

LOCUS XII.
DE
BAPTISMO.

Theſ. I.

INter Novi Teſtamanti Sacramenta priori loco Baptiſmus merito conſideratur.

Quo enim ordine res, quæ in diſciplinis tractantur, ſe alias & in praxi mutuo excipiunt, eodem etiam in diſciplinis explicantur: Jam vero baptiſmus, quippe qui eſt ſacramentum initiationis, in praxi præcedit, Sacra autem Cœna, cum ſit ſacramentum confirmationis, ſequitur, hominesque baptizari prius oportet, quam ad cœnam admitti.

Th. II.

Nomen *baptiſmi* (βαπτισμὸς, vel βαπτίσματος,) æque ac verbum *baptizare* (βαπτίζειν,) in Scripturis Sacris, ſi proprie accipiatur, ſignificatum nunc *generalem*, nunc

specialem obtinet. Generaliter denotat quemcunque lavandi seu abluendi actum sive immergendo, sive aspergendo factum: Specialiter autem significat solenne illud mysterium & sacramentum initiationis, qua Christo initiamur. Atque hic propria, eaque specialis, significatio locum obtinet.

§. 1. Nominis *baptismi* significatus proprius generalis deprehenditur *Marc. VII, 4.* ubi βαπτισμοὶ ποτηρίων, καὶ ξεστῶν, καὶ χαλκίων, καὶ κλινῶν, (h. e. *lotiones* seu *ablutiones poculorum, & sextariorum, & æramentorum, & lectorum*) memorantur. Is ipse ejusdem nominis significatus occurrit *Hebr. IX, 10.* ubi Apostolus ad vetera Judæorum sacra refert etiam διαφόρους βαπτισμοὺς h. e. *varios baptismos*, seu diversas ablutiones.

§. 2. Sic & quando *Marc. VII, 4.* a foro venientes, si non *baptizentur*, dicuntur non edere, & Christus *Luc. XI, 38.* ante prandium *non baptizatus*, perhibetur, τὸ βαπτίζειν actionem abluendi in genere denotat.

§. 3. Nomen baptismi, generaliter sic dicti, tum ablutionem, quæ fit *immergendo*, tum eam, quæ fit *aspergendo*, designare, ex verbo βαπτίζειν, a quo derivatur, manifeste adparet. Illud enim verbum de utroque ablutionis genere usurpatur. Certe in locis jam citatis, nempe *Marc. VII, 4. Luc. XI, 38.* τὸ βαπτίζειν non saltem

tem immersionem, sed quamcunque ablutionem denotat: Eorum enim, qui ad prandium accessuri erant, ablutio non minus aspersione aquæ, quam immersione manuum in aquam apud Judæos peracta fuit, ita, ut ministro affundente, & βαπτιστηρίῳ (seu vase *aspersorio*) uterentur, & aliquando ne locus quidem esset immersioni.

§. 4. *Specialis* significatus nominis baptismi occurrit 1. *Petr. III, 21.* ubi βάπτισμα nos *salvare* dicitur. Sic & verbum *baptizare* in Scripturis specialem significatum obtinet, quando e. gr. *Act. VIII, 38.* Philippus Eunuchum *baptizasse*, & *Act. IX, 18.* Saulus *baptizatus* fuisse perhibetur.

§. 5. τὸ *baptizare*, in speciali significatu acceptum, *Rom. VI, 3. Gal. III, 27.* cum addito vocatur *baptizare in Christum.* Baptismus vero specialiter sumtus, prout a Johanne adultis collatus fuit, *Act. XIX, 4.* adpellatur *baptismus poenitentiæ*, ita scilicet administratus, ut dixerit Johannes, in eum, qui venturus erat post ipsum, (h. e. in Christum) credendum.

§. 6. Hactenus de proprio significatu nominis *baptismi*, & verbi *baptizare* disserui. Cæterum sensu improprio ac metaphorico I. τὸ βάπτισμα *Matth. XX, 23.* ubi Christus Jocobo & Johanni indicat, baptismate, quo ipse baptizetur, eos baptizatum iri, *crucem* denotat. II. τὸ βαπτίζειν de donorum miraculosorum in homi-

nes effusione usurpatur, quando Johannes *Matth. III, 11. Luc. XI, 16. Spiritu S. & igni, Marc. I, 8. Spiritu S.* Christum baptizaturum docet. III. τὸ βάπτισμα *Matth. XXI, 25. Marc. XI, 30.* ubi Christus, τὸ βάπτισμα Johannis de cœlo, an ex hominibus fuerit? Judæos percontatur, salutarem in doctrina religionis institutionem designat. IV. De profectione sub nube, & miraculoso transitu per mare verbum *baptizari 1. Cor. X, 2.* adhibitur, ubi omnes in *Mosen nube & mari baptizati* dicuntur.

§. 7. Baptismus, quatenus crucem significat, baptismus *sanguinis*, quatenus notat donorum miraculosorum in homines effusionem, baptismus *flaminis*, & quatenus salutarem in doctrina religionis institutionem designat, baptismus *luminis* nuncupari consvevit.

§. 8. Speciatim *crux* seu *afflictio* baptismi nomine appellatur, quia, qui cruce affliguntur, calamitate quasi gurgite merguntur.

§. 9. Profectio autem sub nube, & miraculosus per mare transitus nominatur *baptismus*, quod, sicut alias in baptismo, proprie ac specialiter sic dicto, summa beneficia consequimur, ita Israelitæ per profectionem illam, atque per istum transitum ingentis divini beneficii consortes facti fuerint: Et quidem baptismus *in Mosen* vocatur, quia sic Israelitæ ad doctrinam Mosis, & mandata DEI per Mosen promulgata obligati fuerunt, cum per tanta miracula magis magisque confir-

confirmarentur, Mosen esse servum Domini, doctrinamque ejus cœlitus delatam, ac proinde sancta fide retinendam. Vid. *Balduinus* in commentar. ad 1. *Cor.* X.

Th. II.

Baptismus igitur, qui h. l. consideratur, jam in Veteri Testamento apud Judæos in usu non fuit.

§. 1. Baptismus enim, de quo hic agitur, est sacramentum proprie ac stricte sic dictum: Ast aliquam ablutionem in Veteri Testamento fuisse sacramentum proprie strictèque loquendo, asseri nequit, cum sacramentum proprie ac stricte sic dictum habeat promissionem gratiæ quæ est de remissione peccatorum & beneficiis spiritualibus connexis, nulla vero tinctio seu ablutio in Veteri Testamento promissionem talem habuerit. Certe licet baptismus proselytorum diu multumque penes Judæos viguerit, eumque postea Christus (ut *Goodwinus* antiqu. Ebraic. Lib. 1, c. III, §. VII, & *Hottingerus* in annotat. existimant) in sacramentum converterit, ille tamen ritus non erat sacramentum, cum nec a Deo esset mandatus, nec promissionem gratiæ evangelicæ haberet.

§. 2. Ut ea, quæ jam diximus, rectius intelligantur, de baptismo proselytorum in gente Israelitica recepto aliquid edisserendum. Videlicet ad initiandum proselytum *foederis*, seu prose-

proselytum *justitiæ* (h. e. proselytum, qui se totum pædagogiæ Mosis subdebat) tria requirebantur: (1) *circumcisio* (2) טבילה (h.e. *ablutio* s. baptismus,) (3) *sacrificium*. Atque sacrificium illud (docente *Maimonide* in tract. מילה c. I, 7.) jumentum erat aut duo turtures, aut duo pulli columbini. Baptismum vero non ante, sed post circumcisionem, postquam nempe circumcisionis vulnus coaluisset, peractum fuisse, *Bochartus* in Hieroz. Part. Pr. Lib. II. c. L. fol. 577. & *Hottingerus* l. c. pag. 63. observant. Quæ eorum sententia confirmatur ex *Maimonidis* tract. מילה c. I, 7. ubi hic continetur canon: *Proselytus, qui se coetui Israelitico addit, tenetur ad circumcisionem primo: si vero in Gentilismo jam circumcisus fuerit, necesse est, ut eliciatur sanguis foederis die octavo, ex quo Proselytus factus est.* Ac baptismum illum ab hominibus originem duxisse, utpote ex odio Samaritanorum, circumcisione contentorum, introductum, *Schickardus* de Jur. Reg. Hebr. c. 5. *Meyerus* Philol. Sacr. P. I. *Pfeifferus* Syntagm. Antiq. Sacr. Dec. 1. Posit. 1. n. 5. annotant. Eundem tamen illum ablutionis ritum placuit Salvatori in sacramentum Ecclesiæ Novi Testamenti convertere, quia ipse (ritus baptizandi) iis mortalibus, qui abdicata superstitione ethnica religionem Israeliticam amplectebantur, & Israelitarum coetui se adjungebant, applicari consueverat, Novi vero Testamen-

stamenti ecclesia ex hominibus ortu gentilibus plurimum constare debebat.

§. 3. Liquet insuper ex hactenus dictis, quid judicandum sit de illis D. *Speneri* verbis, a D. *Schelgvigio* in supplem. Synops. pag. 293. allegatis: Wir mercken billig/daß bey den Jüden ins gemein die Tauffe damahls gar nicht unbekannt/sondern selbst im Gebrauch von alten her gewesen/aber nur in dem Fall gebraucht worden/ wenn eine Heydnische Person zum Jüdenthum trat/daß sie auch vor der Beschneidung getaufft werden muste: Welche Tauffe sie selbst eine Wiedergeburth/und einen solchen getauffte so gar einen neuen Menschen zu werden achteten/ daß sie auch glaubten/daß damit alle seine fleischliche Verwandtschafft mit seinen vorigen Bluts-Freunden aufgehoben würde. Videlicet uti proselytos *ante susceptam circumcisionem* baptizatos fuisse minus recte docuit, ita in eo haud erravit, quod baptismum quendam, velut aliquem initiationis ritum, jam in Veteri Testamento apud Judæos viguisse, istosque homines, qui per Judæorum baptismum proselyti foederis facti erant, regenitos fuisse dictos a Judæis, existimat. Quanquam ingentem *Spenerus* errorem commisisset, si baptismum Judæorum sacramentum in proprio strictoque significatu sic dictum, & quoddam regenerationis efficiendæ organon fuisse statuisset,

Th. III.

Baptismi *causa efficiens principalis* est DEUS Trinunus, vel etiam Christus, unus cum Patre & Spiritu Sancto DEUS (h. e. DEUS Trinunus vel etiam Christus sua autoritate baptismi ritum mandavit & instituit.)

§. 1. DEUS enim misit Johannem ad baptizandum aqua *Joh. I, 33.* & cum sic fuerit causa efficiens baptismi, ejus sane causa efficiens principalis fuit, quia omnium suorum operum causa efficiens principalis existit. Quod si igitur DEUS est baptismi causa efficiens principalis, sane omnes tres divinitatis personæ ad sacramentum illud ut causa efficiens principalis concurrunt. Namque opera DEI ad extra omnibus tribus Divinitatis personis tanquam causæ efficienti principali, tribuuntur.

§. 2. Sic & Christus in cœlum ascensurus solennem hunc ritum Apostolis, jam ad plantandam Ecclesiam per orbem terrarum digressuris, demandavit, præscripta certa verborum formula, qua peragi deinceps deberet, *Matth. XXVIII, 19.* adjecta insuper promissione salutis conferendæ his, qui crediderint & baptizati fuerint *Marc. XVI, 16.* Cum autem autoritas illa & potentia, ex qua Christus tunc baptismum instituit, fuerit summa, infinita, omnibusque tribus Divinitatis personis communis, manifestum omni-

omnino est, Christum æque, ac Patrem & Spiritum Sanctum, fuisse causam baptismi efficientem principalem.

§. 3. Theseos nostræ veritas ex eo insuper elucet, quod supra in Loco X. Thes. IX. & Thes. X. demonstratum dedimus, DEUM Trinunum esse omnium sacramentorum, utpote mediorum gratiæ, causam efficientem principalem.

§. 4. Thesis nostra opposita est *Socinianæ* sectæ, quippe quæ negat, DEUM vel Christum instituisse aut mandasse, ut baptismus inter gentes per Apostolos vulgetur & usurpetur. Conferantur hic illa *Socini*, *Volkelii*, & *Smalcii* dicta, quæ superius in Loc. Theol. IX. pag. 1485. recensuimus.

§. 5. Usque adeo perfrictæ frontis hic sunt *Sociniani*, ut contra manifesta Salvatoris verba, quæ *Matth. XVIII, 19. Marc. XVI, 16.* consignata sunt, asserant, *nullibi scriptum esse, quod baptismus aquæ a Christo sit institutus aut mandatus.* Scilicet tum *apud Matthæum*, tum *apud Marcum non de baptismo aquæ*, sed de *baptismo doctrinæ Salvatorem loqui* contendunt: Apud Matthæum quidem, quia *alias baptismum aquæ non minus, quam ipsam Evangelii prædicationem, Christus Apostolis commendasset, hoc autem falsum esse ex eo adpareat, quod Paulus 1. Cor. I, 17. non ad baptizandum, sed ad evangelizandum a Christo se missum esse testetur*; Apud Marcum vero, *quod alias baptismus æque necessarius esset ac fi-*

des,

des, hoc autem vel ex ea ratione falsum sit, quia ipse Salvator ibidem, omisso baptismo, ajat: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. Verum enim vero cum baptismus (ut ipse *Socinus* in Libell. de *Bapt.* fatetur) proprie & magis usitate baptismum aquæ significet, ac sine urgente necessitate (quæ sane hic non deprehenditur) a propria & usitata vocabulorum significatione recedendum haud sit, verbum *baptizare* tam apud *Matthæum*, quam apud *Marcum*, ipsum aquæ baptismum denotare merito putatur. Speciatim apud Matthæum minime sermonem esse de baptismo doctrinæ, ex contextu liquet. Alias enim verba illa: *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: Docentes eos servare omnia, quæ mandavi vobis*, inanem hanc ejusdem rei repetitionem in se continerent: *Docete omnes gentes, docentes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti, docentes eos servare omnia, quæ præcepi vobis.* Quando autem Paulus 1. Cor. I, 17. ait, se *non esse missum ad baptizandum, sed ad evangelizandum*, particula negativa haud absolute negat: (Paulus enim Crispum & Gajum, itemque Stephanæ familiam baptizaverat 1. Cor. I, 14. 16.) sed juxta loquendi morem in Veteris & Novi Testamenti Scripturis receptum, est *comparativa*, ut sensus sit, Apostolum ad evangelizandum potius, quam ad baptizandum, missum esse, quia scilicet evangelizare majorem laborem exposcit, quam baptizare.

Nec

Nec vero, si apud *Marcum* τὸ baptizare importat baptismum, inferre ex eo licet, quod baptismus æque (seu eadem & æquali necessitate) necessarius sit, ac fides, sed hoc tantum exinde sequitur, quod non solum fides, sed etiam baptismus sit necessarius ad salutem.

Th. IV.

Quamvis vero baptismus etiam ante Christi resurrectionem fuerit divinitus institutus, tamen in Christi mandato, quod post suam resurrectionem *Matth. XXVIII, 19.* dedit, sedes institutionis bapt. smi recte constitui solet.

§. 1. Ante Christi resurrectionem baptismum divinitus institutum fuisse, ex liquidissimis documentis constat. Namque (α) tempore ministerii Christi baptizarunt etiam ejus discipuli *Joh. IV, 2*: Illi vero non nisi ex institutione & mandato sui Magistri ac Domini baptismum administrarunt, ut propterea etiam Christus (scil. non *physice*, sed tantum *moraliter*, seu demandando discipulis baptismum) baptizasse dicatur *Joh. III, 22. c. IV, 1.* (ζ) Johannes Baptista, qui jam ante inchoatum Christi ministerium baptizavit, sancto hoc negotio ex institutione & mandato DEI perfunctus est, cum non solum ipse divinam sui ad baptizandum missionem *Joh. I, 33.* memoret, verum etiam Pharisæi, ac Legis peri-

riti, qui baptizari ab eo noluerunt, *Luc. VII, 30. consilium DEI sprevisse* dicantur.

§. 2. Quia autem institutionis illius ratio, & sub quibus verbis Johanni ac Christi discipulis baptismus ante Christi resurrectionem fuerit demandatus, non consignatum est literis, sed vero *Matth. XXVIII, 19.* docetur, Salvatorem post suam resurrectionem, Apostolis baptismum sub certa verborum formula administrandum demandasse, ideo in hoc Scripturæ loco recte baptismi institutio fundatur, & hinc deducitur.

Th. V.

Causa impulsiva baptismi (h. e. ea baptismi causa, quæ DEUM ejusque voluntatem movit, ut baptismum mandare & instituere vellet, ac mandaret reapse, & institueret) est tum DEI *bonitas*, tum *Christi Meritum.*

§. 1. Thesis hæc nostra ex iis, quæ superius in Loc. Theol. X. Thes. XI. exposuimus, elucet: Ibi enim duas illas, quas thesis præsens commemorat, causas omnium sacramentorum causas impulsivas esse evicimus.

§. 2. Speciatim *baptismi* causas impulsivas esse divinam Bonitatem, Christique Meritum, ex *Tit. III, 5. Ephes. V, 26.* abunde patet. Quando enim Paulus *Tit. III, 5.* scribit, *Servatorem nostrum DEUM secundum suam misericordiam salvos nos fecisse per lavacrum regenerationis & re-*

& renovationis, tunc non tantum salvationem sed & salvandi medium, quod est baptismus, misericordiæ seu bonitati Servatoris nostri DEI adscribit. Et quando idem ille Apostolus *Eph. V, 26.* docet, *Christum tradidisse se pro Ecclesia, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in Verbo*, hoc ipso significat, Christum tradendo se in mortem non solum mundationem, verum etiam mundandi medium, quod est lavacrum aquæ in verbo, meruisse.

Th. VI.

Baptismi, ut Sacramenti in novo Testamento instituti, causa *efficiens minus principalis* primum erant Johannes & Apostoli Christi, (hoc est, Johannes Baptista & Apostoli tum DEO, autori principali, velut publicandæ divinæ institutionis ministri, servierunt, ut baptismus in ecclesiam Novi Testamenti primum introduceretur, tum dependenter a divina autoritate, & juxta institutionem DEI, tanquam superioris, baptismum in usu constituerunt;) Hodie vero baptismi *causa efficiens minus principalis* est *Minister ecclesiæ* (i. e. hodie baptismum dependenter a divina autoritate, & juxta institutionem DEI, tanquam superioris, ministri ecclesiæ administrant.)

§. 1. Quando Johannem & Apostolos DEO, ut baptismus in ecclesiam primum introduceretur, inserviisse, & baptismum dependenter a divina autoritate in usu constituisse dicimus, hoc ipso subinnuimus, baptismum a Salvatore αὐτοχειρὶ nunquam fuisse administratum. Quod assertum nostrum *Joh. IV, 2.* diserte traditur his verbis: *Quanquam Jesus ipse non baptizaret, sed discipuli.* Hinc fabulas esse contendimus, quando *Nicephorus* Histor. Eccl. Libr. II. cap. III. ex Epistola *Evodii*, Christum Petro, *Euthymius* vero in *Joh. III.* Mariæ baptismum contulisse narrat.

§. 2. Quando porro Johannem Baptistam, Christique Apostolos baptismi, ut *Sacramenti in Novo Testamento*, causam efficientem ministerialem fuisse docemus, eo ipso baptismum Johanneum cum baptismo ab Apostolis administrato specie, seu secundum essentiam, eundem fuisse significamus. Quæ nostra sententia ea firmatur ratione, quod uterque baptismus fuerit actio divinitus instituta (*Joh. I, 33. Luc. VII, 30. Matth. XXVIII 19.*) qua homines a qua abluebantur (*Joh. I, 26. 28. Act. X, 47.*) in nomen Jesu Christi (*Act. II. 38. Act. XIX. 4.*) ad consequendam remissionem peccatorum *Marc. I, 4. Act. II, 38.*) Atque sic cum *Socinianis*, quippe qui (ut ex ipsius *Socini* Lib. de Baptism. Aqu. c. VI. fol. 71. patet) non eundem fuisse Johannis baptismum, qui Apostolorum a resurrectione Chri-

Christi erat, imo in re maximi momenti baptismos illos distinctos fuisse opinantur, tum *Pontificiis*, qui (ceu ex *Bellarm.* L. I. de Bapt. c. XX, XXII. & ex *Concil. Trident.* Sess. VII. de Bapt. can. I. aperte constat) baptismum Johanneum a DEO haud institutum, ac idcirco non ipsum aliquod Novi Testamenti sacramentum, sed aliquam duntaxat ad illud præparationem fuisse statuunt, hoc reluctamur.

§. 3. *Sociniani*, ut essentialem baptismi Johannei & baptismi per Apostolos administrati differentiam evincant, duas potissimum rationes urgent: Vnam, quod baptismus Johannis fuerit actio divinitus instituta, Apostolorum non item; Alteram, quod Apostolorum baptismus in Christi Jesu nomen fuerit ministratus, Johannis minime, at vero in nomen Domini Jesu baptizari id potior pars baptismi sit ab Apostolis administrati, vel potius ipsius baptismi anima quædam atque substantia, qua sublata funditus corruat ipse baptismus necesse sit. Johannem autem in nomine jesu Christi non baptizasse, ex eo colligunt, quod duodecim illi discipuli Ephesini *Act. XIX*, 3, 5. a Johanne baptizati, procurante Paulo baptismum demum in Christi nomine administratum susceperint. Vid. *Socinus* de Bapt. aq. c. VI. fol. 71. seq. & *Volkelius* Lib. III. de ver. Relig. c. IX. fol. 53. seq. Sed vero Apostolorum æque ac Johannis baptismum peculiare mandatum divinum habuisse, superius ad *Thesin*

III. evicimus. Sic & Johannis non minus, quam Apostolorum, baptismum in Jesu Christi nomine fuisse peractum, manifestum est ex *Act. XIX*, 4. ubi Paulus de Johanne diserte testatur, quod baptismum poenitentiæ in fidem in futurum Messiam ministraverit. Nec vero ex *Act. XIX*, 5. evinci potest, discipulos Ephesinos antea fuisse a Johanne vere baptizatos, nunc autem procurante Paulo baptismum demum in Christi nomine collatum suscepisse. Id quod dilucidius patebit, si illius loci antecedentia, in quibus res inter Paulum & discipulos Ephesinos gestæ describuntur, penitius paulo expendamus.

§. 4. Videlicet Paulus Ephesum jam profectus duodecim ibi commorantes discipulos an *Spiritum Sanctum acceperint*? (h. e. an dona Spiritus Sancti administrantia & miraculosa, post baptismum apostolorum dari solita, nacti sint?) interrogavit. Cui responderunt illi, *se non audivisse esse Spiritum Sanctum* (hoc est, ut ex ipsis Socinianis *Wolzogenius* Comm. h. l. Tom. II. opp. fol. 119. exponit, nondum id auditione accepisse, quod tunc temporis Spiritus Sanctus in homines passim ubertim effunderetur. Hinc Paulus, *in quid ergo illi baptizati sint?* (seu quo ergo baptismate sint baptizati, quia scilicet peracto baptismo Spiritus Sanctus in eos non fuerit effusus?) sciscitari perrexit, & cum responderent illi, in *Johannis baptisma se esse baptizatos* (seu Johannis baptismate se esse initiatos) vers. 4.

hunc

hunc in modum de Johanne disseruit: Ἰωάννης μὲν ἐβάπτισε (h. e. Johannes QVIDEM baptizavit) *baptismo poenitentiæ, loquens populo, ut crederent in venturum post ipsum, id est, in Christum Jesum.* De eo autem nunc disputatur, utrum verba *Act. XIX, 5.* immediate subsequentia: Ἀκούσαντες δὲ ἐβαπτίσθησαν εἰς τὸ ὄνομα τοῦ κυρίου Ἰησοῦ (*Audientes vero baptizati sunt in nomen Domini Jesu,*) sint Pauli de Johanneo baptismo adhuc disserentis, an vero Lucæ suam de Paulo & discipulis Ephesinis narrationem continuantis? Ubi *Sociniani, Pontificii, Anabaptistæ,* ex Reformatis *Johannes Piscator,* nec non Doctores quidam *Lutherani* posterius asserunt: *Chemnitius* vero P. II. Exam. Concil. Trid. p. 70. *Gerhardus* L. de Baptism. §. 63. *Calixtus* in Expos. Liter. *Actor. c. XIX. Bechmannus* in Annot. ad Hutter. Loc. XX. Qu. XVI. ut & ex Reformatis *Aretius* in Act. l. c. fol. 683. seq. *Maresius* Anti-Tirin. Tom. II. Controv. XVII. fol. 492. seq. *Chamier.* in Panstrat. Cathol. Tom. IV. lib. V. cap. XIII. §. 61. prius statuunt. Qui posterius interpretamentum tuentur, seu qui verba Lucæ esse existimant, in tres abeunt sententias. Primo scilicet *Pontificii, Anabaptistæ,* & *Sociniani* eo sensu Lucæ verba esse arbitrantur, quod referat Evangelista, discipulos Ephesinos, ante a S. Johanne recte baptizatos, tum demum Paulo procurante in nomen Jesu Christi baptismum accepisse. *Deinde* docet *Piscator* in comm. ad *Act.*

XIX. Lucam testari, quod discipuli Ephesini his demum auditis, quæ dixerat eis Paulus, in nomen Jesu baptizati sint, cum antea ab aliquo Johannis discipulo non in nomen Jesu, quem prædicaverat Johannes, sed in nomen Johannis male fuerint baptizati. Tertio ex nostratibus *Danhauerus in Id. bon. Interpr.* fol. 203. seqq. opinatur, Lucam ibi memorare, quod discipuli Ephesini, Paulinum illud de Johanne testimonium nunc audientes, jam ante a Johanne recte, & in nomen Jesu Christi baptizati fuerint. Cæterum nobis *Chemnitii*, *Gerhardi*, & aliorum, qui illa de quibus hic disputatur, verba Pauli esse, eumque quod Johannis baptismo poenitentiæ baptizantis auditores in nomen Jesu Christi actu a Johanne baptizati fuerint, hic significare putant, sententia quam maxime plausibilis videtur. Versus enim quartum & quintum ita divellendos non esse, ut versu quarto Pauli, versu quinto Lucæ verba contineantur, arguunt particulæ μὲν & δὲ, quæ sibi mutuo respondent. Hinc *Chamier* l. c. scribit: *Videlicet δὲ transitiva est: sed cum μὲν præcedit, tum vero nemo sanus neget esse adversativam, & ejusdem narrationis partem alteram connectere.*

§. 5. Hisce jam præmissis oppido patet, ex *Actor.* XIX, 5. minime evinci posse, quod discipuli Ephesini vere quidem a Johanne antea fuerint baptizati, nunc autem procurante Paulo baptismum demum in Christi nomine collatum su-

suſceperint. Si enim (uti quidem maxime probabile eſt) ibi traduntur verba Pauli, de auditoribus Johannis, quod percepta ejus (Johannis) doctrina in nomen Jeſu baptizati fuerint, referentis, id ſane; quod intendunt *Sociniani*, nullo pacto inde inferri poteſt. Sic &, ſi ibi forte habentur verba Lucæ, de diſcipulis Epheſinis, quod jam ante a Johanne in nomen Chriſti baptizati fuerint, narrantis, illud, quod probare conatur *Sociniana* ſecta, exinde deduci nequit. Nec minus manifeſtum eſt, quod, ſi *Piſcatoris* opinio locum invenit, ex verſu iſthoc quinto probari minime poſſit, quod volunt *Sociniani*. Nam ſtante ea explicatione Epheſini diſcipuli non vere Johannis baptiſmo, ſed ab aliquo Johannis diſcipulo baptiſmo inani baptizati fuere. Nec vero *Sociniani* illud ſuum interpretamentum, quod Lucas *Act. XIX*, 5. referat, *diſcipulos Epheſinos, ante a S. Johanne recte baptizatos, tum demum Paulo procurante in nomen Jeſu Chriſti baptiſmum accepiſſe*, firmo aliquo fundamento fulcire valent.

§. 6. *Pontificii* ad eam ſuam ſententiam, quod baptiſmus Johanneus a DEO non ſit inſtitutus, nec ipſum aliquod Novi Teſtamenti ſacramentum fuerit, evincendam illud inprimis objiciunt, quod alias nulla cauſa extitiſſet, cur illi, qui vere a Johanne baptizati erant, Apoſtolorum quoque baptiſmum ſuſciperent. Sed vero eos, quos vere baptizaverat Johannes, unquam ab apoſtolis rebaptizatos fuiſſe, plane negamus.

Illud sane ex *Act. XIX, 5.* solide demonstrari non posse, in præcedentibus ostensum est.

Th. VII.

Quamvis vero *ordinarie* ac de lege communi nemini, nisi *ministro Ecclesiæ*, ad ministerium Verbi & Sacramentorum legitime vocato, baptizare liceat, *extraordinarie* tamen, & in *necessitatis casu* a *Laicis* & *fœminis* baptismus recte peragitur.

§. 1. Nemini, nisi Ministro ecclesiæ, baptizare licitum esse, ex eo patet, quod (uti supra in Loc. X. Thes. XIII. probatum dedimus) solis ministris ecclesiæ ordinaria sacramentorum Novi Testamenti administratio concessa sit. Contradicimus igitur *Socinianis*, qui, quamvis doceant, in constituta ecclesia præstare, & decentius esse, si ministri baptismum, & cœnam Dominicam administrarent, statuunt tamen, quod, uti aliquis alios docere potest, etiamsi a nemine sit vocatus aut missus, sic etiam ritus illos sacros ordinarie administrare idem possit absque missione. Vid. hic ex secta Sociniana *Schmalzius* Disp. IV. de Eccl. c. Franz. fol. 386. *Volkelius* in Resp. ad van. Refut. Dissolut. Nod. Gord. c. XVII. fol. 171. *Ostorodus* Instit. Germ. cap. XLII. fol. 440. seq.

§. 2. Extraordinarie autem, & in necessitatis casu baptismum etiam a Laico & fœmina recte peragi, duobus nunc argumentis docemus. Vide-

Videlicet (α) si circumcisio a foemina in casu necessitatis licite peracta fuit, profecto etiam foeminæ aut Laico in istiusmodi casu baptismum administrare licet. Cujus argumenti antecedens & consequentiam superius in Loc. Theol. X. Thes. XIV. comprobavimus. (β) Quamvis non saltem ἐυταξίας causa (ut *Sociniana* factio contendit) baptizandi munus ministris ecclesiæ demandatum sit, sed soli illi ordinarie baptizare ex voluntate & ordinatione divina teneantur; quia tamen minister ecclesiæ baptismo non confert efficaciam, sed tantum eum, tanquam medium & organon, quod ex sola DEI elevantis virtute operatur, in usu constituit, satius est, medium salutis tam necessarium a Laico vel foemina exerceri, quam prorsus intermitti.

§. 3. Contrarium hic sentiunt Doctores *Reformati*, quippe qui Laicis & foeminis in quocunque casu facultatem baptizandi, abjudicant. Confer. *Calvinus* ipse Instit. Lib. IV. c. XV. fol. 20. *Beza* Part. II. quæst. II. fol. 139. *Wendelinus* Lib. I. Theol. Christ. c. 22. thes. 8. explic. n. 3. Quæ *Reformatorum* sententia ex eo suborta esse videtur, quod ipsi nec regenerationem, nec aliud quid ad salutem consequendam necessarium in infantibus per baptismum produci existimant, ac proinde eo casu, quo Minister haberi non potest, sine ullo salutis dispendio baptismum omitti posse opinantur.

Thes.

Th. VIII.

Materia EX QVA baptismi non datur, cum baptismus proprie & in casu recto non sit substantia ex materia & forma composita, sed actio circa ejusmodi substantiam, aquam videlicet, certo modo occupata. Unde nec aqua de baptismo proprie loquendo & in casu recto prædicari potest.

Th. IX.

Materia CIRCA QUAM seu *Objectum* baptismi non tantum est *vera* & *naturalis aqua* (quæ *sola* tanquam elementum externum ac sensibile ad hoc sacramentum divinitus destinata est) sed & homo, qui baptizatur: Et quidem aqua ista est objectum *reale*, homo autem, qui baptizatur, objectum *personale*.

§. 1. Solam aquam, eamque veram & naturalem, ad sacramentum baptismi divinitus destinatam esse, ex triplici liquet argumento. Quippe (1.) occasio & scopus totius cum *Nicodemo* institutæ disputationis ostendit, Salvatorem, quando *Joh. III*, 5. inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI*, de baptismo, veraque & naturali ad baptismum adhibenda aqua disserere. Cum enim Nicodemus, de baptismo aquæ per Johannem jam

jam tunc introducto solicitus, Christum discendi gratia adiisset, Salvator rectius eum informaturus pronunciavit, non posse hominem regnum cœlorum videre, nisi ex aqua, qua Johannes baptizaret, & tali quidem, qualem is usurparet, atque ex Spiritu renasceretur. Atqui Johannes non aliam, quam veram & naturalem aquam ad baptizandum adhibuisse legitur. II. Ipse Johannes, se se, ut aqua baptizaret, divinitus missum esse, *Joh. I, 33.* professus, aqua vera & naturali baptizasse perhibetur *Joh. I, 26. 28. Joh. III, 23.* Ergo non solum juxta divinam institutionem aquâ, verum etiam ex mandato DEI aqua vera & naturali baptizavit. III. Apostoli, ad baptizandum non nisi vera & naturali aqua usi *Act. VIII. 36.* seqq. *Act. X, 47,*) hoc ipso institutionem Christi se, tanquam ejus legatos, sequi haud obscure significarunt.

§. 2. Nostræ ex *Joh. III. 5.* depromtæ probationi nec *Sociniani*, nec *Reformati* applaudunt, cum per aquam ibi non aquam proprie dictam, sed spiritualem sive metaphoricam, & *Sociniani* quidem poenitentiam vel Spiritum Sanctum, *Reformati* autem Spiritum S. intelligi contendant. Sed vero *Joh. III, 5.* de aqua vera & proprie sic dicta omnino sermonem esse, nostrates copiosius docent, ubi efficaciam baptismi supernaturalem ex eodem illo loco adstruunt.

Th. X.

Cum igitur sola vera & naturalis aqua ad Bapti-

baptismum divinitus destinata sit, nullo tempore, nulloque in casu aquam factitiam, artificialem, stillatitiam, ac medicatam, aut alium cujusvis generis liquorem, aliamve rem ejus loco adhibere licet.

§. 1. Namque ad hoc, ut integra sit Sacramenti substantia, omni tempore omnique in casu requiritur, ut actio, quæ dicitur sacramentum, sit divinæ institutioni conformis, atque adeo haud circa aliud, quam circa id, quod divinitus determinatum est, elementum versetur.

§. 2. Quod si vero nullo tempore, nulloque in casu liquorem alium, aut aliam rem ad baptizandum adhibere licet, nullus hic necessitatis casus obtendi potest, in quo in locum veræ & naturalis aquæ aliud quid substitui queat. Satius enim est, omisso baptismo infantem, vel quisquis hujus sacramenti indigus fuerit, piis precibus DEO commendare, quam illegitimum baptismum conferre, & sacramenti substantialia, ausu tam temerario invertere. Hinc damnandum plane est factum illud, quo (ut *Nicephorus* Hist. Eccl. Lib. III, c. 17. refert) Judæum quendam periculose decumbentem in deserto, ubi aqua haberi non poterat, arena baptizarunt? Quem ausum ea etiam tempestate alii detestabantur, quando consulto *Dionysio*, Alexandriæ episcopo, Judæus ille aqua insuper initiatus fuit.

§. 3. Ipsa thesis nostra opposita est (1) Sociniano Doctori, *Hieronymo Moscorovio*, qui alium liquorem, ubi nulla sit aquæ copia, substituí posse, in *Ref. Lib. Smiglec.* de *Bapt.* c. IIX. fol. 135. existimavit; (2) idem ex Reformatis statuenti *Bezæ*, qui Volum. III. Epist. II. ad *Thom. Tilium* fol. 196. sic scribit: *Si desit etiam aqua & tamen baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit nec debeat, ego certo statuo, quovis alio liquore non minus rite, quam aqua baptizari*; (3) Doctoribus quibusdam Pontificiis, qui (ut videre est apud *Thomam* P. III. Qu. LXVI. art. IV. *Sotum* d. III. q. unica, art. VI. *Gregorium* de *Valentia* Tom. IV. Disp. IV. Q. I. P. II. p. m. 760. *Toletum* Summ. Cas. Consc. Lib. II. cap. 18. p. m. 384) asserere haud dubitarunt, posse ad Baptismum usurpari jusculum carnium, nisi sit nimis pingve; item lixivium, nisi fuerit nimis decoctum; imo etiam cerevisiam, si fiat levi aliqua decoctione hordei tantum; (4) *Manichæis*, qui, cum aquam a malo DEO creatam esse dicerent, teste *Augustino* ad Quodvult. hær. 46. in locum aquæ seculo III. alium liquorem surrogarunt; (5) *Seleucianis* & *Hermianis*, qui (ut *Philastrius* de hæres. & *Augustinus* ad Quodvult. hær. 59. testantur) baptismum aquæ rejiciebant, contra vero igne baptizandum esse statuebant, illis Johannis verbis *Matth. III, 11. ipse vos baptizabit spiritu & igne*, male intellectis innixi; (6) *Jacobitis*, qui (uti *Prateolus* in Verbo *Jacobitæ* tradit) textu

tu eodem cum Seleucianis nixi non utebantur aqua, sed candente ferro characterem crucis fronti baptizandorum inurebant; (7) *Flagellantibus*, seculo 13. post medium exortis, qui non aqua, sed proprio flagellisque excusso sangvine (ut *Trithemius* in *Chronico* narrat) baptizabant.

Th. XI.

De ipsa autem ad baptismum adhibenda aqua, sive fluvialis ea sit, sive fontana, sive sit frigida, sive calida, nihil refert.

§. 1. Nam præcise vera & naturalis aqua ad baptismum divinitus destinata est. Ast tum fluvialis, tum fontana aqua est vera & naturalis aqua: neque vero aut frigus aut calor aquæ veræ ac naturalis essentiam mutat.

§. 2 Hinc *Tertullianus* cap. IV. de Baptism. recte scribit: *Nulla distinctio est, mari quis aut stagno, flumine aut fonte, lacu aut alveo diluatur.*

Th. XII.

Neque necesse est, ut sacrum, quod *Pontificii* vocant, chrisma una cum aqua ad baptismum adhibeatur, aut ut aqua certis ritibus consecrata usurpetur.

§. 1. Elementi enim ad sacramentum adhibendi necessitas a DEI institutoris voluntate ac mandato dependet: Ast nullibi præcepit DEUS, ut in sacramento baptismi sacrum chrisma, aut

aut aqua certis ritibus consecrata usurpetur. Vid. *B. Gerhardus* L. de Bapt. §. 75. *B. Meisnerus* Colleg. de Sacram. Disp. X. §. XVI. seqq. p. m. 163.

§. 2. Thesis nostra directa est adversus *Pontificios*, qui statuunt, quod, si extra casum necessitatis baptismus administratur, sacrum chrisma necessario addendum, itemque aqua, solennibus diebus Paschatos & Pentecostes consecrata, necessario affundenda sit. Diserte enim *Catechismus Tridentinus* partim cap. II. de Bapt. p. m. 139. partim cap. XIV. p. 165. 166. docet, quod, *quamvis aqua simplex, quæ nihil aliud admixtum habet, materia apta sit ad hoc Sacramentum conficiendum, quoties scilicet baptismi ministrandi necessitas incidat, tamen ex Apostolorum traditione semper in Catholica Ecclesia observatum sit, ut, cum solennibus ceremoniis baptismus conficitur, sacrum etiam chrisma addatur, seu ut consecretur fons baptismi*, addito *mysticæ unctionis oleo*, quæ quidem *consecratio aquæ baptismi solennibus diebus Paschæ & Pentecostis* tantum *fieri debeat*. Sic & *Franciscus Toletus* Summ. Cas. Consc. Lib. II. cap. XVIII. p. m. 385. contendit, *peccare* eum *mortaliter, qui extra casum necessitatis aquam non benedictam baptizat*.

Th. XIII.

Quod si *materia* sumatur pro eo, quod est rei *materiale*, (h. e. pro conceptu rei

primo communi ac generico, qui ad plura specie distincta indifferens est, & ad esse talis vel talis rei aliunde determinatur & restringitur,) materia baptismi est actus *abluendi* seu *tingendi*, si absolute & in se, sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine spectetur.

§. 1. Ille enim actus, modo jam jam dicto consideratus, est baptismi conceptus essentialis genericus, qui per se indifferens est ad vulgarem & sacramentalem actionem, aliunde autem, seu per hoc, quod plene & exacte juxta institutionem Christi exercetur, ad esse baptismi determinatur.

§. 2. Loquor autem de actu abluendi, ut *absolute* & *in se* sine connotata plena ad divinam institutionem habitudine consideratur. Nam ille ipse actus, si una cum connotata plena ad divinam institutionem habitudine spectetur, non est saltem baptismi materiale, sed tota ejus *ratio formalis*, seu substantia.

§. 3. Quamvis igitur actus abluendi, præcise & in se spectatus, sit baptismi materiale, non tamen a forma baptismi omni plane modo & respectu est excludendus. Uti enim alias rei materiale ad *formam totius* (quæ sane conceptum rei essentialem genericum, & conceptum specificum includit) pertinet, ita & abluendi actus, dicto modo consideratus, ad *baptismi formam totius* referri debet.

§. 4.

§. 4. Constat insuper ex dictis, eam *Scholasticorum* doctrinam, quod *ablutio* sit *materia baptismi*, pro ineptiis nugisque a *B. Scherzero* in *Elucid. Brev. Hülsem.* cap. X. p. 487. minus recte haberi. Vid. Loc. præced. Theolog. X. thes. XIX. §. 4.

§. 5. Recte sane *Vazquezius* cum multis aliis *Scholasticis* docuit, materiam baptismi non esse aquam, sed usum illius, hoc est, *ablutionem*. Nomine enim materiæ intellexit materiale rei, seu conceptum rei essentialem genericum: At talem baptismi conceptum non esse aquam, sed aquæ usum, l. c. §. 3. demonstratum dedimus.

Th. XIV.

Actus abluendi in baptismo licite vel *immergendo*, vel *aspergendo* fieri, & uterque modus ad spiritualem ac salutarem significationem referri potest. Hinc uterque modus jam Christi & Apostolorum ætate, atque in ecclesia primitiva, etiam occidentali viguit, & in utraque ecclesia (tam orientali, quam occidentali) eo usque adhibitus est, donec post ætatem Gregorii mos immergendi in occidentali ecclesia desineret, & ab anno 875. ob rationes varias aspersionis ritus inciperet frequentari. Quanquam ministro baptismi a consvetu-

dine ecclesiæ semel recepta recedere integrum non sit.

§. 1. Utrumque baptizandi modum licite fieri posse, *primo* exinde patet luculentissime, quod institutio baptismi vel Scriptura Sacra neutrum modum determinavit, sed præcise præcepit τὸ βαπτίζειν (h. e. *abluere*, seu *tingere*,) talis vero actio est cum immersio, tum aspersio. Id ipsum ex eo liquet *secundo*, quod uterque ille baptizandi mos (uti nunc ostendetur) jam Christi & Apostolorum ætate, atque in ecclesia primitiva usu receptus fuit. Si enim unus tantum baptizandi modus ex præscripto divino adhibendus, atque adeo de simplici necessitate esset, nemini ullo tempore vel loco ab eo recedere integrum fuisset. Hinc *B. Chemnitius* Part. II. Exam. Concil. Trid. p. m. 221. bene scribit: *Si verbum βαπτίζειν simpliciter significaret totum corpus in aquam immergere, nemo morem immersionis vel potuisset vel debuisset mutare.*

§. 2. Per *immersionem* ipsum Christum fuisse baptizatum, *Matthæus c. III. v. 16.* testatur, ubi Christum jam baptizatum protinus ex aqua ascendisse perhibet. Tunc enim significat, Christum prius in flumen descendisse. Christianos etiam eodem illo modo sæpissime Apostolorum ævo baptizatos fuisse, liquidissime constat ex *Rom. VI, 4. Colos. II, 12.* ubi illi, qui baptismum acceperunt, dicuntur *sepulti una cum Christo per baptismum in mortem.* Baptizati namque

que dicuntur sepulti cum Christo, quia baptismus, immersione peractus, sepulturam Christi per hoc repræsentavit, quod, sicut illi, qui sepulti sunt, intra terram absconduntur, ita baptizati per immersionem intra aquam absconditi fuerunt. Ejusdem illius immersionis indicia plura in sacris literis deprehenduntur. Baptista enim in Ænon baptizabat, quod illic essent aquæ multæ *Joh. III, 23.* i. e. tanta aquæ copia, ut in ea humanum corpus facile mergi, & baptismus immergendo peragi posset. Philippus quoque *Act. VIII, 38. 39* cum Eunucho in aquam descendisse, ibique eum baptizasse scribitur, ac re confecta ambo ex aqua ascendisse leguntur.

§. 3. Johannem quoque aliquando per *aspersionem* baptizasse ad Jordanem, facile patet. Verisimile enim non est, tantum virorum & mulierum multitudinem, quæ ad Johannis baptismum confluxit, simul totam vel toto corpore nudam, vel una cum vestibus Jordani penitus immersam fuisse. Nec vero credibile est, Johannem tantisper in gelida aqua commoratum esse, donec ingens illa multitudo fuisset immersa, aut ipsum extra fluminis undas consistentem haud administrasse baptismum seu suis ipsius manibus baptizandos non mersisse. Hinc *B. Georgius Königius* Cas. Consc. de Bapt. Cas. V. p. m. 222. scite scribit: *Longe verisimilius est, baptizandos vel in ora fluminis flexis genibus procubuisse, vel aliquo usque ingressos ita fuisse baptizatos,*

ut aqua capitibus illorum fuerit superinfusa, qua licet non singula corporis membra contigerit, ad totum tamen hominem regenerandum fuit sufficientissima, non aliter, atque circumcisionis efficacia ad totum hominem spectabat, licet unum duntaxat ejus præputium fuerit amputatum. Sic & Apostolorum ætate baptismum *aspersione* quandoque peractum esse, manifeste adparet ex *Act. III, 41.* ubi uno die ter mille viri baptizati leguntur, non autem, quod loco, quo in urbe confluxerant, excesserint & ad aliquod se contulerint flumen, scribuntur. Quis enim credat, ter mille homines uno die eodem loco in urbe aquis immersos, totosque toto corpore ablutos fuisse? Annon verisimilius est, singulos, flexis genibus, superinfusa capitibus illorum aqua, baptismum suscepisse? Confer. *B. Königius.* l. c.

§. 4. Tempore porro *Cypriani*, & sic sec. III. uterque baptizandi mos usu receptus fuit: Et quidem aspersio in *Clinicorum*, immersio autem in aliorum Christianorum baptismo. Id quod ex ipsius *Cypriani* Libr. IV. epistolarum, epist. 7. negotio facili intelligitur. Ibi enim quæstionem istam: *Utrum Clinici* (h. e. infirmi & peripateticis oppositi homines, qui ob infirmitatem nec ambulare, nec in aquam immergi poterant) *habendi sint legitimi Christiani, eo quod aqua salutari non loti sint, sed perfusi?* præsul ille pertractat, & affirmative decidit. Ait quippe inter cætera: *Nec enim sic in Sacramento salutari deli-*

delictorum contagia, ut in lavacro carnali & seculari sordes cutis ac corporis, abluuntur, ut & sapone & nitris & DOLIO & PISCINA opus sit, quibus ablui & mundari corpusculum possit.

§. 5. Uterque baptizandi modus, tam immersio quam aspersio, ad spiritualem & salutarem *significationem* referri potest: immersio quidem ad mortem & sepulturam Christi *Rom. VI, 3, 6.* nec non ad baptizatorum obligationem, qua illi veterem enecare hominem, & novum quotidie exsuscitare tenentur; aspersio vero ad ῥαντισμον sangvinis Christi *1. Petr. I, 2.* aut, si typos velis, immersio ad typum diluvii, quo omnis vitiosa caro periit, *1. Petr. III, 21.* aspersio ad aspersionem sangvinis, qua populus Israeliticus in foedus DEI fuit ascitus, *Exod. XXIV, 8.*

§. 6. Quamvis vero uterque ille baptizandi mos licite fieri possit, immersio tamen progressu temporis ob duas potissimum rationes, nimirum (α) ob aeris inclementiam, quæ tenellis infantibus, si aquis immergerentur, nocere posset, (β) ob pudorem ac verecundiam, præsertim in foeminis Catechumenis se se coram viris, vel saltem presbytero denudantibus, in occidentali ecclesia abrogata fuit.

§. 7. Etsi autem ecclesiæ pro ea, qua gaudet, libertate integrum sit, utrum velit modum usurpare, ministro tamen ecclesiæ a more semel recepto pro lubitu recedere haud licet. Minister enim id facere sustinens scandalum

præbet infirmis, qui inter substantialia baptismi, & inter ejus accidentalia ritusque indifferentes satis distingvere non possunt,

§. 8. Ex iis, quæ ad nostram illustrandam probandamque thesin hucusque disseruimus, nemo non intelligit, ecquid de nonnullis, quæ hic discuti solent, opionibus sit pronunciandum. Videlicet ille omnino improbandus est rigor, quo *Sociniani* (ut *Slichtingius* Disp. de Trin. c. Meisner. fol. 856 *Volkelius* Libr. VI. de Ver. Relig. c. XIV. fol. 668.) aliique quidam Doctores immersionem ad baptismum usque adeo exigunt, ut nostram guttularum aquæ aspersionem baptismum esse prorsus inficientur. Docuimus enim in præced. §. 1. eam quoque tingendi actionem, quæ in aspersione consistit, proprie loquendo esse baptismum, atque jam Christi & Apostolorum ævo, & in primitiva ecclesia usu receptam fuisse. Ast contra *Spenerum* ob eam, quam de baptizandi modo tenuit, sententiam tantopere non est depugnandum. Nec enim æque, ut *Sociniana* secta, baptismum, qui peragitur aspersione, pro illegitimo habet, aut immersionem simpliciter ad baptismi naturam necessariam esse existimat, sed aspersionem seu affusionem, quippe quam etiam nomine βαπτισμῦ Græcis venire statuit, ad baptismum sufficere contendit: cæterum immersionem aspersioni præfert, optandum esse ratus immergendi ritum ob salutarem suam significationem servatum, & incom-

incommodis, quæ eum insecuta sunt, aliter præventum fuisse. Vid *Spen.* Tabb. Catech. Tabula LXIII. Quam quidem *Spenerianam* opinionem, etsi a nobis non defendatur, cum aspersionem pariter ac immersionem ad salutarem significatum referri posse putemus, non tamen velut ingens aliquod erratum damnandam ac perstringendam censemus. Mitius certe *Spenerus* hic de nostro baptizandi more judicavit, quam ipse aliquando *Lutherus*, quippe qui *Tom. I. Jen. Germ.* fol. 183. scripsit: Die Tauff heist auf Griegisch Baptismus, zu Latein Mersio, das ist/ wenn man etwas gantz ins Waßer tauchet/ daß über Ihm zusammen gehet. Und wiewohl an vielen Orten der Brauch nimmer ist/ die Kinder in die Tauff gar zustossen und tauchen/ sondern Sie allein mit der Hand aus der Tauff begeust/ so solt es doch so seyn/ und wäre recht/ daß man/ nach laut des Wörtleins (Tauff) das Kind/ oder jeglichen/ der getaufft wird/ gantz hinein ins Wasser senckte und täuffte/ und wieder heraus zöge. Denn auch/ ohne Zweiffel/ in teutscher Zungen/ das Wörtlein Tauff herkömmt von dem Wort Tieffe/ daß man tieff ins Wasser sencket, was man täuffet. Das foddert auch die Bedeutung der Tauff. Denn es bedeut/ daß der alte Mensch und sündliche Geburt vom Fleisch und Blut/ soll gantz ersäufft werden durch die Gnade Gottes. Darum solt man der Bedeutung gnug thun und ein recht vollkommenes Zeichen geben. Quanquam hic annotandum

probe sit, baptismum infantum, qui fit per solius capitis aspersionem, a *Luthero* Tom. II. *Isleb.* fol. 365. approbari.

Th. XV.

Nec vero quicquam refert, utrum actus abluendi aqua (h. e. immersio vel aspersio) *semel* aut *tribus vicibus* fiat.

§. 1. De eo enim nec in baptismi institutione, nec alias in Scriptura Sacra quicquam constitutum est, sed Christus saltem aqua in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti abluere seu tingere jussit, homo autem in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti aqua tingitur, sive semel sive tribus vicibus in nomine illo aquam aspergas. Id ipsum, quod nihil hic divinitus determinatum sit, haud obscure jam olim professi sunt *Basilius* M. in Libr. de Spir. S. c. XXVII. & *Hieronymus* in *Dial. adversus Luciferianos*, ubi trinam mersionem apostolicæ traditioni acceptam retulere. Atque ex eo, quod Scriptura nihil hic determinet, factum est, ut in veteri ecclesia nunc trina ad sepulturam & resurrectionem Christi, vel personarum divinarum Trinitatem insinuandam, nunc una solummodo immersio ad designandam Divinitatis unitatem adhiberetur. Quam in rem extat singulare *Gregorii* I. rescriptum, quod concilium Toletanum IV. præsidente Isidoro, Hispalensi episcopo, Leandri successore, anno Christi 633. celebratum Canoni 6. (vel in alia editio-

editione, can. 5.) sequentibus verbis inseruit: *Beatæ memoriæ Gregorius, Romanæ Ecclesiæ Pontifex, qui non solum partes Italiæ illustravit, sed & longe existentes Ecclesias sua doctrina perdocuit, efflagitante sanctissimo Leandro Episcopo* (Hispalensi) *de hac Hispaniæ diversitate, quid potius sequendum esset, inter cætera rescribens ei, sic ait: De trina vero mersione baptismatis nihil responderi verius potest, quam ipsi servastis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consvetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit baptizandum semel in aquis mergere: quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando & in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari. Sed si nunc usque ab hæreticis* (trina mersione ad edocendam essentiæ divinæ divulsionem abutentibus) *infans in baptismate tertio mergebatur, faciendum apud vos esse non censeo, ne, dum mersiones numerant, divinitatem dividant; dumque quod faciebant, faciunt, morem vestrum se vicisse glorientur &c.*

§. 2. Adparet igitur ex dictis, absque ulla ratione solida, & contra Pontificis *Gregorii* decre-

decretum quosdam *Papistas* apud *Vossium* de Bapt. fol. 41. seqq trinæ immersionis vel aspersionis necessitatem asserere.

§. 3. Etsi vero quæstio illa: num *una* vel *trina* debeat esse immersio aut aspersio? de ritu sit indifferente, ministrum tamen ecclesiæ consvetudini in ecclesia sua receptæ insistere oportet. Qui enim in Sacramentorum administratione ab eo, quod usu receptum est, temere recedit, scandalum præbet infirmioribus, quippe qui sacramenti substantialia ab accidentalibus ejus circumstantiis discernere satis nesciunt.

Th. XVI.

Cum baptismi materia tum pro ejus materia circa quam, tum pro materiali accipiatur, actus aqua abluendi materia baptismi *proxima*, aqua vero materia ejus *remota* a *Scholasticis* recte vocatur. Confer. *Loci Theol.* præced. X. *thes.* 20. §. 1. seq.

Th. XVII.

Quamquam & dicere salva veritate possimus, aquam, in se spectatam, esse baptismi materiam remotam, aquam vero, ut per actum ablutionis homini baptizando applicatur, esse baptismi materiam proximam. Vid. *Loci Theol.* X. *thes.* 21. §. 2.

Thes.

Th. XVIII.

Præter aquam, & actum abluendi, hominemque sacro baptismatis rore madentem haud quicquam adparet, quod materiæ appellationem respectu baptismi usitate sustineat. Certe minus recte ex Reformatis *Wendelinus* Lib. I. *Theol. Christ.* c. 22. th. 10. mundationem a peccatis (seu regenerationem) & unionem nostri cum Christo baptismi *materiam*, & eam quidem *internam*, esse statuit. Nec vero baptismi materia aliqua cœlestis proprie & stricte sic dicta, firmiter asseri potest.

§. 1. *Wendelini* opinio ex eo refellitur confestim, quod baptismus sine sua materia usitate sic dicta esse nequeat, multi vero baptizentur, nec tamen renascantur, Christoque uniantur.

§. 2. Nullam baptismi cœlestem materiam proprie, stricte, ac usitate loquendo statui posse, superius in *Loco Theol.* X. & quidem in paragraphis thesi sextæ annexis prolixe docuimus. Quam doctrinam ut deseramus, nondum movere nos valet autoritas *Scherzeri*, & aliorum magnorum Theologorum, qui *B. Musæum*, nostrum in academia Jenensi antecessorem æstimatissimum, idcirco, quod in der ausführlichen Er-

Erklär. pag. 679. seqq. rem quidem cœlestem in baptismo agnoverit, cœlestem autem sacramenti illius materiam tradere sit veritus, erroris alicujus insimulant. Præterquam enim, quod ipse tandem *Scherzerus* in *Brev.* Hülsem. enucl. p. 588. fateatur, tunc, quando aliqua baptismi materia cœlestis a Theologis statuitur, materiæ cœlestis vocem non in ἀκριβείᾳ Philosophorum, sed in latitudine quadam pro *re cœlesti* accipi, cum *stricte* loquendo neque spiritus S. neque Verbum, neque S. S. Trinitas causa materialis esse aut dici possit, sane non solum alii plures, iique *Wittebergenses*, & omnium nostratium consensu orthodoxi Theologi cœlestem baptismatis materiam tradere abnuunt, verum etiam ii, qui talismodi materiam docent, adeo in ea exprimenda invicem dissentiunt, ut, ipso *Königio* in Gas. Consc. de Bapt. Cas. III. p. m. 211. judice, ob sententiarum varietatem in decisione casus illius Theologici: Quid de materia cœlesti in Baptismate per conscientiam statui oporteat? *confusa magis recedat conscientia, quam expedita.* Quippe *B. David Rungius* in prælectionibus suis ad art. IX. *Aug. Confess.* pag. 58. ita commentatur: *Nulla nos cogit necessitas Verbi Divini, ut in Baptismo, quem minister mandato Christi consecrat ac dispensat, ponamus rem duplicem, terrenam & cœlestem; in Eucharistia quidem, hoc ipsum expressa nititur institutione Christi: de Baptismo nullum extat verbum, quod*

in

in eo duæ res sacramentaliter unitæ sint, terrena & cœlestis. Et pag. seq. 60. in responsione ad quæstionem: *quid de Spiritu S. pronunciandum? an ille forsitan res cœlestis?* repetit, idem hic valere, quod modo fuerat pronunciatum, videlicet, *probandum esse, quod in Baptismo debeat fieri sacramentalis unio duarum rerum, rei terrenæ & cœlestis.* Nec non *Joh. Förslerus* in *problematibus Catecheticis*, Dec. 2. probl. 9. de Bapt. scribit, *quæ pars vel res cœlestis in Baptismo sit, in Scriptura diserte definitum non esse*, & proinde cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri mavult. Sic & eorum, qui materiam baptismi cœlestem asserere ausi sunt, dissensus ubivis sese prodit. *David Lobechius* Disp. X. in *August. Confes.* thes. 21. *Verbum* constituit cœlestem baptismatis materiam. Sed hanc sententiam *Hutterus* in LL. Theol. L. de Bapt. & *Affelmannus* Disp. de Bapt. thes. 3. aperte impugnant. Ipse *Hutterus* l. c. *sangvinem Christi* vel solum, vel una cum Spiritu S. materiam cœlestem baptismi esse non obscure statuit: prout & *D. Michael Waltherus* in propugnanda hac opinione, quod sangvis Christi sit baptismi materiæ cœlestis, *Centur. Miscellan.* p. 203. prolixus est. Verum hanc quoque sententiam *D. Scherzerus* System. Theol. Loc. XIV. §. XVI. p. m. 363. refellit. Ipse *Scherzerus* l. c. una cum *Dannhauero* in Mysterios. fol. 351. & *Känigio* l. c. id edocente, eam eligit opinionem, quæ *Spiritum Sanctum* (qui tamen Trinitatem

tem non excludit) baptismatis materiam cœlestem constituit. Cui sententiæ respondet ea, quam *Menzerus* Tom. II. *Disp. Giess.* XIV. th. 3. & in *Exegef. Aug. Confess.* Art. IX. p. 408. *Balduinus* Disp. XV. de *Artic. Smalcald.* th. 41. & seqq. p. 356. tuentur, opinio, quod nempe baptismi materia cœlestis sit S. S. *Trinitas*. Id quod censet etiam *D. Spenerus*, qui in Tabb. Catech. tab. LVI. diserte scribit, *baptismi materiam cœlestem esse sacrosanctam Trinitatem, inprimis Spiritum Sanctum, Verbum autem unire materiam cœlestem & terrestrem, atque has duas materias unitas esse, dum actus durat.* Tandem *Hülsemannus* Breviar. cap. X. thes. 8. statuit, Verbum, Spiritum, Sangvinem, & totam S. S. Trinitatem simul & conjunctim materiam baptismi cœlestem constituere.

Th. XIX.

Baptismi FORMA partis est certa actionis aqua abluendi habitudo ad institutionem divinam (in eo scil. consistens, quod ablutio illa a DEO instituta, & exacte juxta divinam institutionem, & sic etiam adhibito ac pronunciato simul institutionis Verbo, seu invocata & expresse nominata S. S. Trinitate exercetur;) FORMA totius vero (seu conceptus primus totalis) est actio abluendi aqua, ad conferendam aut obsignan-

gnandam gratiam divinitus ordinata, quæ juxta divinam institutionem, atque adeo etiam invocata & expresse nominata simul S. S. Trinitate peragitur.

§. 1. *B. Bajerus* noster in Comp. Theol. Pos. P. III, c. X. §. 6. aliique quidam Theologi, illi cumprimis, qui non verbum institutionis, sed aliud quid pro baptismi materia cœlesti habent, baptismi *formam* (seu formale, materiale contradistinctum) Verbum institutionis, ut ablutioni aqua factæ additum, esse contendunt. Verum enim vero proprie & accurate loquendo Verbum illud Baptismi forma seu formale appellari nequit. Nam posita forma ponitur res ipsa: at vero contingere potest, ut quis aqua abluatur, Verbumque institutionis baptismi simul adhibeatur ac recitetur, nec tamen verum baptismi Sacramentum celebretur. Vid. ea, quæ supra in *Loc. Theol. X.* Xhes. XXIV. §. 6. hanc in rem disseruimus.

§. 2. Ipsi quidem superius pag. 1579. docuimus, Verbum institutionis esse *potius* formam, quam materiam baptismi, & pag. 1587. monuimus, verbum illud ad baptismum formæ *quasi* habitudinem importare: ast illud haud eo intelligimus sensu, quod verbum institutionis proprie & accurate loquendo baptismi forma seu ratio formalis sit, sed mens nostra est, quod Verbum institutionis in ordine ad baptismum insignem ali-

quam cum forma analogiam & similitudinem habeat, in eo certe positam, quod, sicut forma (scil. forma partis) conceptum rei genericum ad certam speciem restringit, ita verbum institutionis ad actionem abluendi aqua adhibitum, cæteris paribus, actionem illam, utpote conceptum baptismi communem, ad esse sacramenti, & baptismi quidem, determinet.

§. 3. Nostra vero de forma baptismi sententia, quam ipsa thesis enunciat, liquidissima ratione comprobatur. Videlicet uti cujusvis sacramenti forma actionis, circa elementum sacramenti proprium occupatæ, exactissimam cum divina institutione conformitatem importat: ita baptismi forma *ablutionis aqua facta omnimodam cum divina baptismatis institutione conveni-entiam* in se continet. Cum autem Christus baptismum *Matth. XXIIX, 19.* instituens expressam trium divinitatis personarum invocationem & nominationem in actu baptizandi peragendam præscripserit, ideo ad baptismi formam pertinet, quod actio aqua abluendi invocata & expresse nominata sacrosancta Trinitate exercetur. Cæterum Christum, in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizare expressis verbis jubentem, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum in actu baptizandi voce externa & sensibili invocare ac nominare jussisse, liquet (1) exinde, quod si sola mentis intentio in actu baptizandi occurrens, non autem externa verborum pronunciatio ad

im-

implendam baptismi institutionem sufficeret, nemo sane de baptismi sibi collati veritate certus esse posset: Nec enim nobis certo constare potest, quale nomen is, qui nos baptizavit, intenderit. Id ipsum patescit (2) ex Apostolorum exacte juxta Christi institutionem baptizantium praxi. Illi enim non sola mentis intentione, sed facta trium Divinitatis personarum expressa nominatione & sensibili invocatione, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti baptismum administrarunt, aut administrari jusserunt. Paulus quippe *1. Cor. I, 13.* ex suis sciscitatur auditoribus: *Num in nomen Pauli baptizati sint?* Quod si vero Apostoli sola mentis intentione, non autem sacram Trinitatem expresse nominando, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti baptizassent aut baptizari jussissent, frustra Paulus quæstionem istam instituisset, cum regerere potuissent Corinthii, nescire se, quale nomen baptizans intenderit. Vid. *B. Scherzeri* Syst. Theol. Loc. XIV. §. XIV.

§. 4. Quod si igitur forma & substantia baptismi exigit, ut actio aqua abluendi cum invocatione & expressa nominatione totius sacrosanctæ Trinitatis fiat, omnis ablutio, quæ sub alia quadem ratione peragitur, non est verus & legitimus baptismus. Hinc immane quantum hic hallucinatur *Zwinglius*, qui in Libr. de *Vera Relig.* cap. de Bapt. actionem mutam ex baptismo facit, certamque verborum formulam in admi-

nistrando eo necessariam non esse contendit: Quem errorem quidam alii Doctores *Reformati* (de quibus *Vossius* Part. II. de Bapt. Thes. V. videatur) amplectuntur. Damnandus porro hic est (1) baptismus *Gnosticorum*, qui (ut *Irenæus* Lib. I. c. XIIX. refert) in nomen ignoti Patris, in veritatem matrem omnium, & in nomen descendentis in Jesum ad unctionem, & redemtionem, & communionem virtutum, (2) *Arianorum*, qui (ut *Hieronymus* in Dial. adversus *Luciferianos* narrat) in solo Patre vero DEO, in Jesu Christo Servatore & creatura, & in Spiritu Sancto, utriusque servo, (3) *Eunomianorum*, qui (teste *Socrate* Histor. Eccles. Lib. V. c. XXIII.) ea, quam Christus injunxit, formula omissa in mortem Domini, (4) *Aetianorum*, qui (ut *Epiphanius* hær. 76. perhibet) in nomine increati DEI, Filii creati, & Spiritus Sancti sanctificati, & a creato filio creati; (5) eorum denique, qui (ut *Bernhardus* in epistola 340. ad Henricum quendam, a se, quod baptismum illum ratum habuerit, jam confutatum memorat) in nomine DEI & sanctæ crucis baptizarunt. Baptismus enim, quem omnes illi homines administrabant aut defendebant, non erat verus & legitimus baptismus, cum forma & substantia baptismi destitueretur.

§. 5. Nostram vero in paragrapho proxime præcedente traditam assertionem, *omnem illam ablutionem, quæ non fit cum sensibili invocatione, & expressa nominatione totius sacrosanctæ Tri-*

Trinitat. non esse verum & legitimum baptismum, minime subvertes, si objeceris fortean, baptismum, quem administrarunt Apostoli, verum & legitimum fuisse, nec tamen ullibi Scripturam S. quod in baptismi actu expressam S. S. Trinitatis invocationem illi adhibuerint, testari, sed quod ἐπὶ τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, vel εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου Ἰησοῦ, vel ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Κυρίου baptizaverint, aut baptizari jusserint, *Act. II, 38. Act. VIII, 16. c. X, 48.* commemorare. Quando enim Apostoli in nomen vel in nomine Jesu baptizasse aut baptizari jussisse dicuntur, non exprimuntur ipsa formalia verba, quibus in actu baptismi usi fuerint, (seu non significatur, quod, intermissa sensibili S. S. Trinitatis invocatione & expressa nominatione, sub hac verborum formula: *Baptizo te in nomine Jesu, baptismus* fuerit collatus,) sed hoc tantum innuitur, quod Apostoli eos, quos ex præscripto Christi nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti baptizarunt, baptizaverint in Christum, in doctrinam & fidem Christi, seu ita baptizaverint, ut baptizati obligarentur Christo, tanquam vero Messiæ, cujus doctrinam sequi, in quem credere, cui servire & cultum exhibere deberent; prout e. gr. *Act. II, 38.* Petrus, quando ad conversos Judæos dicit: *Respiscite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi*, nihil aliud significat, quam unumquemque conversorum Judæorum debere in nomen Jesu Christi, seu in Jesum, ejusque do-

ctrinam & fidem, baptizari. Quod enim phraseos: *baptizari in nomine Jesu*, is, quem jam indicavimus, sensus sit, patescit liquidissime ex *Act. XIX, 4. 5.* ubi docet Paulus, quod, postquam Johannes populum cohortatus esset, ut in Christum Jesum crederent, ejus auditores in nomen Domini Jesu (h. e. in Jesum a Johanne annunciatum, ejusque doctrinam & fidem) baptizati fuerint. Atque huc pertinet, quod *Spenerus* Tab. Catech. LVI. scribit: *Cum Apostoli dicuntur baptizasse in nomine Christi Act. 8, 16. non arguitur, quod mutarint formulam. Nos etiam hodie, qui solenni formula utimur, baptizamus in nomine Christi.* Consimilia his tradit *B. Königius*, qui Cas. Consc. IV. de Bapt. p. m. 216. ait: *Ex omnibus formulis, qua in Baptismo vel olim adhibita sunt, vel etiamnum adhiberi possunt, sola illa veritati ejus nihil derogat, nec actum vitiat, nec conscientiam violat, qua tenorem verborum Christi: Baptizate in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti, fideliter servat. A qua etiam Apostolos non recessisse putamus, quoniam Act. II, 28. & c. X. v. 48. in Christi nomen baptizasse perhibentur. Nam his locis non narratur, qua formula Apostoli usi sint, quando baptismum administrarunt, procul dubio, nulla alia, nisi ea, quam ex ipsius Christi ore exceperunt: Sed quod homines ex Judæis aut gentibus ad Christianismum transeuntes, autoritate, virtute & jussu Christi baptizarint, & ad cultum atque obsequium, deinceps ipsi præstandum, consecrarint.*

§. 6.

§. 6. Etsi igitur baptismi forma & substantia totius sacrosanctæ Trinitatis invocationem & expressam nominationem importet, non tamen de ratione formali & substantia baptismi est, ut baptizans juxta morem Ecclesiæ Latinæ in prima persona activa ajat: *Ego baptizo te in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*; neque ex baptismi natura necessarium est, ut is, qui baptizat, pro more in Ecclesia Græca recepto in persona tertia passiva dicat: *Baptizetur hic servus Domini in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti*; sed cujusvis ecclesiæ libertati relictum est, in qua persona baptizans ipse inter baptizandum loqui debeat. Namque divina institutio aut Scriptura Sacra neutrum eloquendi modum determinavit. Hinc perperam fecit Alexander III. Papa, quando baptismum, in quo baptizans in prima persona activa non est locutus, pro vero & legitimo baptismo non habuit, ac proinde l. 3. *decret.* tit. 42. c. 1. hæc sancivit: *Si quis puerum ter in aquam immerserit, in nomine Patris & Filii & Spiritus S. amen, ut non dixerit, ego te baptizo in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, non est puer baptizatus.* Sic & vehementer errarunt aliquando græci, cum suam formulam ubivis tantopere urgerent, ut a Latinis baptizatos rebaptizarent: Quem errorem Concilium *Lateranense* sub *Innocentio* III. celebratum can. IV. refert ac damnat.

Th. XX.

Subjectum baptismi (h. e. illa supposita, quorum bono baptismus institutus est, & quibus is applicari debet) sunt homines veri, carnaliter geniti ac viventes, & quidem omnibus illis hominibus absque sexus, aut ætatis aut nationis discrimine baptismus actu & reapse conferendus est, si nullum alias conferendi baptismi impedimentum obstet. Atque quodvis eorum suppositorum tum demum evadit baptismi *objectum personale* (h. e. id, circa quod tanquam personam sacramentum baptismi occupatur) quando actu & reapse baptizatur.

§. 1. Non est confundendum baptismi *subjectum* cum ejus *Objecto*. Datur enim baptismi aliquod subjectum, quod nunquam fit ejus objectum, cum e. gr. homines adulti ex paganismo conversi, qui ante baptismum morte abripiuntur, sint baptismi subjectum, siquidem illorum hominum bono baptismus institutus est, ipsisque juxta intentionem ac voluntatem Dei baptismus, qvem desiderant, conferri debet,) minime vero sint baptismi objectum.

§. 2. *Homini*, & ei quidem soli, conferendum esse baptismum, liquidissime constat.

Præ-

Præterquam enim quod Christus in institutione baptismi non nisi homines baptizari jusſit, id ipsum ex baptismi fine absolute ac sine additamento, sic dicto, seu ex ejus *Fine Cujus*, patescit. Argumentamur quippe huncce in modum: *Cui soli acquiritur baptismi finis, ei soli conferendus est baptismus* (quia alias vanus & inanis foret baptismi usus.) *Atqui homini soli acquiritur baptismi finis* (cum solus homo sit regenerandus, renovandus & salvandus.) *Ergo soli homini baptismus conferendus est.*

§. 3. Non autem nisi hominum *carnaliter natorum* bono baptismus institutus est, atque adeo soli istiusmodi homines sunt baptismi subjectum. *Cui* enim *soli per baptismum acquiritur tum regeneratio, tum renovatio, & salvatio, ejus solius bono baptismus institutus est. Atqui soli homini carnaliter nato per baptismum acquiritur tum regeneratio, tum renovatio & salvatio*: Christus enim baptizatus non est, ut regeneraretur, renovaretur, & salvaretur, sed baptismum per eam susceptit dispensationem, qua alias ea, quæ ad homines infirmos pertinent, illorum bono libere sustinuit.

§. 4. Nec vero hominibus *mortuis* baptismus conferri debet. Ei enim, qui baptizatur, baptismus tanquam medium consequendæ salutis adhibetur: ad mortuis hominibus nulla amplius salutis nanciscendæ media applicari debent, quia non sunt in via salutis, sed vel beati vel damnati.

§. 5. *Omnibus* autem hominibus veris, carnaliter natis, & viventibus, queis nullum alias baptismi conferendi impedimentum obstat, conferendum esse baptismum, ex eo probamus, quod DEUS omnes illos homines salvos fieri velit, iis autem omnibus, quos DEUS vult salvos fieri, baptismus ex intentione & voluntate DEI reapse conferendus sit, si nullum alias baptismi impertiendi impedimentum obstet. Sane qui vult salutem, is etiam vult ordinaria salutis media. Atqui baptismus est medium salutis consequendæ tam necessarium, ut nemo sine ipso ordinaria via ad salutem pertingere valeat.

§. 6. Speciatim *fœmellas* admittendas esse ad baptismum, ex eo adparet, quod Samariæ, ubi Philippum Evangelium concionantem auscultaverant, ἄνδρες τε καὶ γυναῖκες (*viri pariter & mulieres*) baptizati legantur *Actor. VIII, 12.*

§. 7. *Infantibus* quoque in lucem jam editis dandum esse baptismum, nostrates non solum ex Scripturis Sacris, verum etiam ex primitivæ, seu Apostolorum ævo proximæ Ecclesiæ praxi commonstrant.

§. 8. Ex Scriptura Sacra multæ ac variæ demonstrationes arcessuntur. Quippe (a) ita argumentamur: *Quoscunque Christus vult salvos fieri, iis vero nullum alias baptismi actu conferendi impedimentum obstat, illi ipsi ex intentione & voluntate DEI actu & reapse baptizandi sunt.*

Atqui

Atqui infantes in lucem jam editos Christo vult salvos fieri, iis vero nullum alias baptismi actu conferendi impedimentum obstat. Ergo infantes in lucem jam editi actu & reapse baptizandi sunt. Major propositio exinde patet, quod, qui vult salutem, is velit etiam ordinaria salutis consequendæ media. Prius minoris propositionis membrum ex *Marc. X, 14.* manifestum est. Sic & alterum minoris membrorum clarissime liquet. Si enim aliquid impediret, quo minus infantes in lucem jam editi ad baptismum admitterentur, obstaculum illud foret vel ex parte DEI, vel ex parte ipsius actus baptismalis, vel ex parte infantum. Sed nullibi id deprehenditur. Sane non ex *parte DEI:* DEUS enim per suam infinitam potentiam actum baptizandi ad gratiam spiritualem conferendam elevare potest. Nec *ex parte ipsius actus baptismalis*, cum actus ille, seu actus in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti abluendi, infantibus quoque applicari queat. Nec deniq; *ex parte infantum.* Uti enim DEUS in infantibus fidem, aliosque spirituales motus efficere ac per baptismum operari potest, ita infantes quoque fidem ac motus spirituales a DEO per baptismum operante recipere possunt. (β) Concludimus hunc in modum: *Quicunque ex carne nati sunt, adeoque caro sunt, illi debent baptizari: Atqui infantes ex carne nati sunt, adeoque caro sunt. Ergo infantes debent baptizari.* Minor propositio, quippe quam in Loco de

Pecc.

Pecc. Orig. demonstratam dedimus, non eget probatione. Majoris veritas ex eo adparet, quod Christus *Joh. III, 6.* universalis suæ assértionis in versu proxime antecedente 5. traditæ: nullum hominem, qui non est renatus ex aqua & Spiritu, non posse regnum cœlorum ingredi, eam assignet rationem, quod omnis, qui de carne natus est, caro sit. (γ) Colligimus hoc pacto: *Si circumcidi infantes oportebat, eos quoque baptizare decet.* Baptismus enim tanquam sacramentum initiationis in locum circumcisionis successit. (δ) Argumentamur hoc modo: *Si Apostolorum ævo integræ familiæ fuerunt baptizatæ, sequitur, quod etiam infantibus ab Apostolis collatus sit baptismus.* Excluſis enim infantibus integra & tota domus non est. Rationes complures pro adstruendo pædobaptismo ex sacris literis petitas B. noster *Bajerus* in Comp. Theol. Pos. P. III. cap. X. §. VII. proponit.

§. 10. In primitiva ecclesia pædobaptismum usu fuisse receptum, ex multis Patrum testimoniis luculente patet. *Irenæus* quippe, Polycarpi, qui una cum Ignatio Johannis Evangelistæ discipulus fuit, auditor, Libr. II. c. XXXIX. sic scribit: *Omnem ætatem* (Dominus) *sanctificat: Omnes venit salvare; omnes, inquam, qui per eum renascuntur in DEUM* (baptismo,) *infantes & parvulos & pueros & juvenes & seniores. Ideo per omnem venit ætatem; & infantibus infans factus, sanctificans infantes: in parvulis parvulus,*

san-

sanctificans hanc ipsam habentes ætatem. Origenes porro in c. II. L. inquit: *Si etiam gravissimis delictoribus remissio peccatorum datur, & a baptismo atque a gratia nemo prohibetur: quanto magis prohiberi non debet infans, qui recens natus nihil peccavit, nisi quod secundum Adam carnaliter natus, contagium mortis antiquæ prima nativitate contraxit? Et hæc fuit in CONCILIO* (LXVI. scil. episcoporum) *nostra sententia. Augustinus* quoque serm. XIV. de *Verb. Apost.* Tom. X. opp. fol. 324. edit. Bas. ann 1569. ceu contra Pelagianos ita disputat: *Ubi ponis parvulos baptizatos? Profecto in numero credentium. Nam ideo ex consuetudine Ecclesiæ antiquæ Canonicæ, fundatissima, parvuli baptizati fideles vocantur. Et sic de his quærimus: iste infans Christianus est? Respondetur, Christianus. Catechumenus an fidelis? Fidelis utique a fide, fides a credendo. Inter credentes igitur baptizatos parvulos numerabis: nec judicare ullo modo aliter audebis, si non vis esse apertus hæreticus.* Consimilia his *Cypriani, Ambrosii*, & aliorum testimonia vide apud *Vossium* de *Baptism.* Disp. XIV, fol. 178. seqq.

§. 11. Uti igitur manifestum est, infantes debere baptizari, ita iis ob varios, quibus exponi possunt, casus, *mature* ac *tempestive* baptismus conferendus est. Cum enim tanta sit baptismi necessitas, nihil autem occurrat, quod baptismum in infantibus, quippe qui doctrinæ & informationis capaces non sunt, remorari possit,

paren-

parentes sane gravi se culpa adstringunt, si ipsorum negligentia moram adferat, & hinc contingat, ut morte præventus infans sine baptismo decedat.

§. 12. *Adultis* vero tum demum actu conferendus est baptismus, ubi recte ac sufficienter in *religionis Christianæ capitibus informati fuerunt.* Docet hoc ipsa Apostolorum & primitivæ ecclesiæ praxis, qua bapismus adultis ante non dabatur, quam in doctrina fidei Christianæ erant instituti. Petrus quippe, postquam auditoribus nondum baptizatis doctrinam de Christo proposuisset, eosque ad poenitentiam cohortatus esset, *Act. II, 38.* subjiciebat: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi in remissionem peccatorum.* Consimili ratione Philippus *Act. IIX. 35. 38.* præfectum Candaces, reginæ Æthiopum, prius in doctrina de Christo informaverat, quam baptizabat. Atque in Ecclesia prisca baptizandus primum constituebatur inter catechumenos, seu illos, qui viva ac resonante voce in doctrina Christiana instituebantur, & fidei capita interrogando & respondendo docebantur: Deinde cum eo esset perductus, ut interrogatus fidei suæ rationem reddere posset, & baptismi percipiendi desiderio teneri, eumque ab ecclesia petere inciperet, inter catechumenos *competentes*, ut vocabantur, locum sortiebatur, cum hactenus saltem inter catechumenos *audientes* locum habuisset: Tandem voti & desiderii com-

compos factus baptizatusque fidelibus ac Christianis reliquis annumerabatur.

§. 13. Cæterum singulari studio in thesi nostra monui, omnibus hominibus actu & reapse conferendum esse baptismum, *si nullum conferendi baptismi impedimentum alias obstet*. Licet enim omnium hominum bono baptismus institutus sit, sæpe tamen obstaculum aliquod intervenit, quod, ne his vel illis hominibus actu & reapse baptismus conferatur, prohibet. Quippe infidelium infantes, de quibus nulla spes est, quod ineunte ætate doctrinam Christianam amplexuri & professuri sint, illi nempe infantes, qui post baptismum parentibus in idololatria sua procul dubio educaturis reddendi essent, (quales sunt aut Turcarum & Gentilium infantes, qui plane in Christianorum potestatem non veniunt, aut infantes, qui quidem mediantibus parentibus, Christiano magistratui subjectis, sunt sub Christianorum potestate, non autem in Christianorum familiam transierunt, ut Judæorum in Imperio Romano degentium liberi,) non sunt baptizandi. Verendum enim est, ne interim eos baptizando sanctum canibus, & margaritæ porcis objiciantur. Baptismus quoque est quoddam κειμήλιον ecclesiæ, cujus jura ad eos tantum, qui intra ecclesiam sunt, pertinent; infidelium vero infantes, qui juste servari non possunt, sed parentibus reddi debent, sunt extra ecclesiam, cum adhuc sint pars familiæ parentum infideli-

um,

um. Hinc nullum Apostolorum vel primitivæ ecclesiæ testimonium pro baptismo infantibus istiusmodi conferendo extat, nec ullum baptismi istius exemplum in tota ecclesiastica historia deprehenditur. Similiter adultis invitis & sacramentum hoc aspernantibus baptismus actu non est conferendus. Alias enim non solum sacra canibus data opera projicerentur, sed etiam sumenti baptismum imponeretur peccandi necessitas, & juberetur hypocrisis. Nec talis baptismus foret sacramentum DEI foederis, quo non trahimur inviti, sed id volentes amplectimur. Ac vera religio svaderi debet, non obrudi, nec hominum metu suscipi, sed solius DEI timore. Quem qui colit invitus, eo non est melior, qui idolis sponte servit Denique baptismus in locum circumcisionis succesit: Ast non apparet, quenquam ad circumcisionem mera vi adactum fuisse. Quando enim *Gen. XVIII, 12. Exod. XII, 44.* dominis, ut servum emtitium circumcidant, injungitur, non jubentur simpliciter, ut servos a se emtos circumcidant, sed ut circumcidant, quantum in se est, aut aliter a se abdicent. Atque hoc modo legem illam divinam ab Hebræis intelligi, *Maimonides* in Tr. de *Circumcisione* cap. I. sect. 6. docet, ubi hæc scribit: *Si quis servum jam adultum a Cuthæis comparavit, qui circumcidi nolit, revolvuntur cum eo omnes duodecim anni menses* (hoc est, is toto anno servatur,) *sed non licet eum servare diutius incircum-*

cumcisum. Debet igitur Cuthæis iterum venundari.

§. 14. Quamvis vero iis infidelium infantibus, qui juste servari nequeunt, baptismus reapse non sit conferendus, illi tamen infidelium infantes, qui in Christianorum potestatem plenissimam venerunt, h. e. ita venerunt in Christianorum potestatem, ut in eorum familiam transierint, & pars familiæ facti sint, (quales sunt infantes infidelium bello capti, vel pretio emti, vel dono dati, nec non infantes eorum infidelium, qui vernæ Christianorum sunt, & in familiam eorum cooptati,) baptizandi sunt, etiamsi parentes renitantur. Uti enim alias, quando paterfamilias pro iis, qui suæ familiæ pars sunt, baptismum petit, baptismus administrandus est; ita quando paterfamilias pro infidelium infantibus, qui in suam transiere familiam, baptismum exposcit, iis hoc sacramentum denegari non debet. Tales enim liberi non tam sunt patris, quam heri. Hinc Abrahamus *Gen. XVII. 23.* omnium servorum (licet eorum aliqui adhuc a vera religione alieni essent) parvulos circumcidebat.

§. 15. Ex iis, quæ hucusque exposuimus, constat abunde, multis variisque sectis ac doctoribus nos hic adversari. Ipsa videlicet thesis, dum homines baptismi subjectum esse docet, prima statim fronte opponit se *Pontificiis*, qui campanis quoque, & aliis rebus tam inanimatis,

quam animatis, sed irrationalibus, baptismum conferendum putant: Quem detestabilem errorem jam supra in Loc. Theol. X. thes. XXVI. §. 8. perstrinximus. Eadem illa thesis nostra, dum non nisi homines vivos baptismi capaces esse contendit, refragatur *Cerinthianis*, qui (ut *Epiphanius* hær. 28. refert) baptismum ad mortuos quoque pertinere statuerunt, quatenus, quando morte aliquis præventus absque *baptismo* decesserat, substituebant alium, quem loco ejus baptizarent, ne is in resurrectione poenas luere necessum haberet, quod baptizatus non esset. Sic & iis hic reluctamur omnino, de quibus *Balsamon* Synod. Carthag. Schol. can. 20. & *Albaspinæus* Observ. Lib. I. c. 9. testantur, quod mortuos ipsos olim baptizaverint. Cumprimis thesis nostra, quæ omnibus hominibus *absque ætatis discrimine* baptismum conferendum asserit, opponitur *Anabaptistis*, *Socinianis*, *Quakeris*, qui omnes baptismum infantum verum ac rectum esse inficiantur, atque adeo eum omittendum esse sentiunt. *Anabaptistæ* enim, a rebaptizando sic dicti, hanc adpellationem ob eam potissimum rationem sustinent, quod infantum baptismum non validum esse opinentur, & propterea rebaptizent eos, qui in infantia baptizati fuerant. Hinc in errore isto convenire omnes Anabaptistas, licet alioqui multis in rebus inter se dissentiant, *Johannes Calvinus* in *institutione contra Anabaptistas* recte observavit. Passim autem

Libri

Libri nostri symbolici in doctores istos pestilentissimos invehuntur. Nunc enim *Augustana Confessio* art. IX. expresse damnat Anabaptistas, quod *improbent baptismum puerorum, & affirment, pueros sine baptismo salvos fieri.* Nunc confessionis illius *Apologia* pag. 156, 157. Anabaptistas eo, quod baptismum parvulorum damnent, *impie sentire* profitetur, simulque monet, *in ecclesiis nostris nullos extitisse Anabaptistas, quia populus verbo DEI adversus impiam & seditiosam factionem illorum latronum munitus est.* Nunc *Catechismus Major* B. Lutheri pag. 544. pronunciat, *quæstione illa: num pueri recte baptizentur? hodie Diabolum per sectas suas mundum varie illaqueare,* & pag. 547. hac occasione anabaptistas vocat *fanaticos spiritus, qui usque adeo excoecati sint, ut DEI præceptum ac Verbum perspicere nequeant.* Anabaptistis hic *Sociniana secta* prorsus assentitur. Quippe de *Michaele Serveto* (qui Lælio & Fausto Socinis præivit) *Calvinus* Libr. IV. Instit. c. XVI. §. 29. testatur, quod docuerit, baptismum homini non debere conferri nisi anno XXX. qua ætate Christus baptismum suscepit. *Ministri* quoque *Transsylvani* qui anno 1567. duos contra Trinitatem & Incarnationem Domini libros edidere, sub finem eorum argumenta XXXVI. contra pædobaptismum protulerunt. Sic & *Catechismus Racovienſis* Libro V. (qui est de prophetico Christi munere) capite IV. (quod est de Bapt. Aquæ) p. m. 195. 196. ad

Quæstionem II: *Num ad eum ritum* (baptismi aquæ) *infantes pertinent?* Respondetur: *Nullo pacto.* Et *Smalcius* in Exam. CLVII. Error. pag. 37. Error. 140. *baptismum infantium pro re puerili prorsus se habere* confitetur. Novissime Anabaptistarum & Socinianorum errorem propugnarunt *Quakeri.* Cum enim *Nicolaus Arnoldus* in Exerc. de *Quakerismo* docuisset, negationem pædobaptismi ad gangrænam Anabaptisticam pertinere, *Robertus Barclajus* ex adverso in *Animadvers.* ad illam Exercitat. p. 36. 37. *Quod si ego regeram,* scribit, ipse *Pædobaptismus ad Anti-Christi regnum pertinet & gangrænam Papisticam*; eadem facilitate responderem, *qua ille impugnavit.* Et *William Ames* contra Lassen. cap. XV. pædobaptismum pro *fabula* habet, qua *nostri populum DEI captivare* conentur. Atque hunc *Quakerorum* & *Anabaptistarum* errorem multis retro seculis nonnulli foverunt, etsi olim infantum baptismus tanta religione in Ecclesia custoditus fuerit, ut ne *Pelagiani* quidem (ceu *Augustinus* Lib. II. contr. Pelag. & Cœlest. de Peec. Orig. cap. I. T. VII. opp. & Serm. XIV. de verbis Apost. Tom. X. opp. testatur) illum abrogare aut omittere auderent, Christianas aures hoc ferre non posse persvasi. *Bernhardus sane Serm. LXVI. super Cantica,* p. 765. scribit, hæreticos quosdam sui temporis irridere consvevisse orthodoxos, quia baptizent infantes, & *Epist. CCXL. p. 1591. Henricum* hæreticum eo nomine increpat, quod *parvulis*

lis Christianorum Christi intercluserit vitam, dum Baptismi negaverit gratiam, nec saluti propinquare siverit.

§. 16. Nobis eo excurrere, ut omnia *Anabaptistarum* argumenta hic excutiamus, non licet. Unum illud hic expendere visum est, quod *B. Lutherus* in *Catech. Maj.* pag. 545. seqq. commemorat, ac solidissime refellit. Consvevere isti homines inter alia sic argumentari; *In quoscunque non cadit fides, eorum baptismus rectus esse non potest. Atqui in infantes non cadit fides, Ergo infantum baptismus rectus esse non potest.* Ast *B. Lutherus* l. c. eam *Rottensium* βαπτισμομαχίαν objectionem vanam & nullius roboris esse inquit, ac licet minor quoque falsissima sit, respondet tamen potissimum negando majorem prolati argumenti propositionem. Sic quippe ibi scribit Megalander: *Quanquam pueri non crederent, quod nullo modo affirmandum est, tamen Baptismus verus esset, neque quisquam eos rebaptizare debet: veluti Sacramento nihil detrahitur, tametsi aliquis ad ejus participationem improbo animo accedit: neque ferendum esset, ut eadem hora propter priorem abusum ad sumendum accedat denuo, quasi initio verum Sacramentum non percepisset. Hoc enim esset summa contumelia, & ignominia Sacramentum afficere.* Sane quanquam hodierno die Judæus quispiam (ut B. vir paulo ante docet) fraudulenta quapiam simulatione, & malitioso proposito veniret, se baptizandum offerens, nos-

que eundem serio omni studio baptizaremus, nihilominus nobis dicendum esset, Baptismum verum & rectum esse. Hic enim aqua una cum Verbo DEI præsto est, tametsi ille non recto animo, ut debebat, susceperit: sicut illi, qui indigne ad cœnam Domini accedunt, verum corpus Domini (verumque sacramentum altaris) accipiunt, quanquam non crediderint.

§. 17. Ex eo, quod in præced. §. 9. pædobaptismum tot ex Scriptura sacra petitis validissimis argumentis vindicavimus, adparet luculente, adversari nos *Pontificiis*, qui pædobaptismum ex Scriptura demonstrari posse negant, atque hoc ipso Anabaptistis aliisque hæreticis frigidam suffundunt, ac dogma catholicum ridendum proponunt. Videatur hic ex Papistis *Bellarminus* Libr. IV. de Verb. Dom. cap. IV.

§. 18. Quando in præcedente §. 13. probatum dedimus, baptismum *adultis invitis* & sacramentum hoc aspernantibus actu conferendum non esse, improbamus non solum *Moscovitas*, qui (uti tale exemplum *Olearius* Itiner. Persic. fol. 288. commemorat) invitos & reluctantes baptizant, verum etiam complures *Papistarum Moralistas*, qui nixi illo principio: *Homines cogi ad religionem posse, imo debere*, baptismum homini invito & renitenti dari posse contendunt.

§. 19. Quando porro in §. 13. monuimus, *illos infidelium infantes, qui post baptismum salva*

salva naturali ac divina lege (quippe quæ plagium *Exod. XXI, 16. Deuter. XXIV, 7.* severe interdicit) *retineri non possent, sed parentibus in idololatria ipsos educaturis reddendi essent, non esse baptizandos*, disputavimus studiose contra eos *Canonistas* & *Scholasticos*, qui præpostero zelo acti statuunt, liberos parentibus infidelibus auferendos, & baptismatis ritu initiatos iisdem restituendos esse, quo e faucibus Diaboli eripiantur, æternæque saluti consocientur: De quo errore *Franciscus Amicus* Disput. XI. de Bapt. sect. 7. *Estius IV.* Dist. VI. §. 2. *Maldonatus* Tom. 1. Dispp. fol. 72. videantur.

§. 20. Quando tandem in §. præced. §. 14. docuimus, illos *infidelium infantes, qui in Christianorum potestate plenissimam veniunt, refragantibus etiam parentibus baptizandos esse*, luctati sumus adversus *Bezam*, qui, uti in *Annot. Majoribus* super *1. Cor. VII, 14.* causam, propter quam sanctorum liberi ad baptismum admittendi sint, in eo collocat, quod sint sancti (h. e. ab utero matris in foedere DEI comprehensi,) ita Part. II. qq. q. 120. infidelium infantes ex ea ratione, quod foederali privilegio destituantur, a baptismo penitus excludit. Sic enim in loco posteriore jam jam citato scribit: *Neque enim quosvis infantes admisero. Nam neque Mahumetanorum, neque Judæorum liberos recepero, quia fœderis tabulis non comprehenduntur.*

Thes. XXI.

Ex eo, quod in Thesi XX. proxime antecedente asseruimus, non nisi hominem verum baptismate impertiendum esse, sponte sua fluit, ne quidem omnibus humanis fœtibus, vitam aliquam habentibus, baptismum debere applicari. Dantur enim foetus humani, vita aliqua præditi, qui non sunt veri homines: Cujusmodi sane foetus sunt monstra illa, quæ specie prorsus ab homine generante discrepant.

§. 1. Docent Theologi, magistratus esse, jubere, ut ejusmodi monstris subtrahentur alimenta, aut ut illa interimantur, & extra cœmeterium obruantur terra. Vid. *B. Königius* in Cas. Consc. Cas. XI. de Bapt. pag. 255. seq. & *B. Bechmannus* in Theol. Conscient. Tit. 1. sect. V. Cas. XII. §. 2. Hinc anno 12 sec. XI. magistratus duos infantes, qui, cum rostris aliisque anserum membris a muliere in pago prope Magdeburgum in lucem editi, tertio a nativitate die riserunt, necari jussit.

§. 2. Cæterum illis monstrosis foetibus humanis, qui prorsus *non discrepant specie* ab homine generante, baptismus omnino conferendus, atque adeo, si aliquis ejusmodi foetus sit duplicatus, & sic duos adesse homines constet, cuivis seorsim administrandus est: Ejusmodi enim par-

partus adhuc sunt veri homines. Vid. *B. Leonh. Hutterus* L. Theol. p. 650.

Th. XXII.

Exinde porro, quod solis hominibus veris conferri debeat baptismus, colligunt quidam Theologi, partus ex abominabili hominis & bestiæ coitu enatos non esse baptizandos: Istos enim partus haud esse veros homines contendunt.

§. 1. Ita ex nostratibus sentiunt *B. Zachar. Schilterus* in Thes. Catechet. de Bapt. p. 498. B. *Königius* l. c. pag. 260. *B. Bechmannus* l. c. §. 9. Quibus ex Pontificiis adstipulatur *Henricus Henriquez*, qui in *Summa Theol. Moral.* L. II. de Sacr. Bapt. c. XXI. p. 92. expresse scribit: *Si qui ex bruto & homine concipiantur, ideo baptizari non possunt, quia homines rationales vere non sunt.*

§. 2. Cæterum contrarium hic judicarunt quondam Dnn. *Jenenses*, qui apud *Dedekennum* Part. II, Vol. I. Thesaur. Consil. p. 63. statuerunt partibus ex nefando instiusmodi concubitu prognatis, si unum latus a capite ad pedes formam hominis referat, baptismum conferendum esse.

Th. XXIII.

Ex eo denique, quod solis hominibus veris impertiendus sit baptismus, conclu-

dunt quidam, *Campsores*, si ex certis indiciis statim a nativitate cognoscantur, ad baptismum non esse admittendos. Arbitrantur enim, eos apparere saltem tanquam infantes, revera autem esse larvas diaboli. Vid. *B. Königius* l. c. pag. m. 264.

Th. XXIV.

Baptismi, spectati ut est organon aut medium, quod per virtutem DEI, tanquam causæ principalis, sibi conjunctam operatur, *effectus* complures *supernaturales* sunt. Scilicet baptismi, ut infantibus collati, effectus proximus ac immediatus in omnibus infantibus est *regeneratio* in se spectata, ex qua *fides*, ut primum accenditur, tanquam terminus actionis productus resultat, & mediante fide *remissio peccatorum* ac *beneficia* spiritualia *remissioni peccatorum* annexa (ut *adoptio in filios DEI*, *inhabitatio Spiritus Sancti*, *renovatio*, *hæreditas vitæ æternæ*) tanquam baptismi effectus mediati ac remoti proveniunt: Baptismi vero, ut adultis dati, non solum tunc, quando primum suscipitur, sed & quando olim susceptus nunc memoria repetitur, effectus supernaturales sunt *regeneratio*, *fides*, *remissio*

pec-

peccatorum, ut *confirmantur & obsignantur*, nec non *renovatio* & *vita aterna*. Atque hi effectus, si ratione intentionis spectentur, sunt simul baptismi FINIS absolute ac sine additamento sic dictus (seu FINIS CUJUS.)

§. 1. Eam, quam thesis nostra de baptismo prædicat, efficaciam non tribuimus aquæ ipsi in se consideratæ, aut actioni circa aquam occupatæ, quatenus externa est & in se præcise spectatur, sed baptismo, ut per virtutem DEI, tanquam causæ principalis, sibi conjunctam operanti. Docemus nempe cum *Augustana Confessione* ex quinto ejus articulo, *per Verbum & Sacramenta, tanquam per instrumenta, donari Spiritum Sanctum, qui fidem efficiat, ubi & quando visum est DEO in iis, qui audiunt Evangelium.*

§. 2. Regenerationem in se spectatam Fidemque per baptismum in infantibus *omnibus* effici, thesis nostra edocet. Cum enim infantes ob ætatis defectum per resistentiam malitiosam impedire non possint operationem, qua DEUS fidem producit, omnes sane per baptismum in usu constitutum fidem æque concipiunt.

§. 3. Regenerationem autem, Fidem, & Remissionem peccatorum, ut *confirmantur* & *obsignantur*, baptismi, ut *adultis* collati, effectus

voca-

vocamus. Nec enim regeneratio per baptismum in adultis peragi incipit & peragitur, nec fides per baptismum in iis primum producitur, sed regeneratio Verbo prædicato peracta, ac fides per Verbum producta, baptismo velut visibili signo confirmatur & obsignatur. Et quemadmodum peccatorum remissio cum regeneratione, vel potius cum accensa per illam fide individuo nexu cohæret, ita quo sensu per baptismum renasci, eo & a peccatis ablui, vel in remissionem peccatorum baptizari adulti dicuntur: Adulti enim, si plane regeniti non sunt, sed absque fide se se offerunt ad baptismum, sunt hypocritæ, qui propter improbitatem, & obicem, quem ponunt, nulla bona spiritualia per baptismum recipiunt. Hinc *B. Georgius Calixtus* in *exposit. literali* in epist. ad Tit. c. III. pag. 33. accurate scribit: *Constat igitur, baptismum gratiam regenerationis omnibus, atque ipsis adeo hypocritis offerre: reliquis autem conferre, infantibus quidem ipsam, quam alias non habebant nec haberent, dando; adultis vero eam, cujus jam ante per fidem ex auditu verbi conceptam participes facti, confirmando & obsignando: nam is quoque quidam conferendi modus est. Quemadmodum si homo amicus vel opulentus tibi ædes donasset, tuque eas jam possideres & habitares; si quis postea instrumentum & tabulas donationis legitime confectas testimonioque & sigillo roboratas tibi afferret, is profecto donationem*

edi-

adium afferre diceretur: pari modo & ratione adultis, quamvis jam fidelibus & regenerationis participibus, nihilominus baptismus lavacrum regenerationis est, nempe quia gratiam illam regenerationis obsignat & stabilit.

§. 4. Atque baptismi veros effectus esse *regenerationem* & *renovationem*, superius in Locis Theolog. de *Regenerat.* & *Renovat.* ex *Tit. III*, 5. ubi baptismus diserte *lavacrum regenerationis* & *renovationis* vocatur, demonstravimus. Speciatim *regenerationis* veram & realem causam esse baptismum, probamus ex *Joh. III*, 5. ubi Christus inquit: *Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum DEI.* Hic enim Salvator indicat, tam vere hominem ex aqua baptismi renasci, quam vere homo ex Spiritu, seu a Spiritu S. renascitur. Jam vero ex Spiritu S. homo revera renascitur, nec Spiritus S. est signum duntaxat, sed realis causa regenerationis. Ergo etiam ex aqua baptismi homo revera nascitur, nec baptismus est signum saltem, sed vera & realis causa regenerationis. *Piscator* equidem in *Commentar.* in *cap. III. Matth. p. m. 18.* existimat, per lavacrum regenerationis & renovationis *Tit. III.* 5. non intelligi baptismum, sed ipsas operationes Spiritus Sancti, nempe regenerationem & renovationem, atque has dici lavacrum, partim quod fidem & sanctitatis studium generent, part. quod sordes peccati ex natura per peccati inhabitantis mortificationem eluant. Ast nus-

quam

quam in scripturis vel regeneratio vel renovatio lavacri nomin. venit, baptismo vero ita appellatur *Eph. V. 26.* ubi Eccles. *lavacro aquæ in Verbo* sanctificari & mundari dicitur. Nec vero *Piscat.* commeretur applausum, quando ibidem subjicit: *Quod si maxime concedatur, per lavacrum regenerationis intelligend. baptismum, tamen, non sequetur, illum ex eo sic appellari, quod regeneratio per ipsum efficiatur, sed sic appellari dicendum erit, quia est sacramentum regenerationis, hoc est, divinum testimonium credentibus, quod DEUS ipsos per spiritum S. regenerarit seu renovarit, ac porro magis magisque renovare velit.* Inauditum enim est in omni lingva, nudum signum ac testimonium regenerationis aut renovationis jam peractæ, ac porro peragendæ, lavacrum regenerationis & renovationis vocari. Pessima quoque dicti *Joh. III, 5.* occurrentis detorsio est, quando *Socinus* Lib. de Bapt. fol. 46. scribit, Christum ibi non loqui de aqua baptismali, seu de baptismo aquæ, verum de *poenitentia*, atque eam vocare aquam, quod ipsa *quodammodo renascamur denuo.* Christum enim disserere ibidem de baptismo aquæ, occasio disputationis cum Nicodemo institutæ, & scopus Salvatoris ostendit. Disputabat quippe cum uno Pharisæorum, qui aquæ baptismum jam tunc ad Jordanem a Johanne administratum videbant ex ea opinione falsa, quod actio ista regenerare, & effectus spirituales progignere nequeat. Hunc igitur remoturus scrupulum

pulum subjiciebat: *Nisi quis natus fuerit ex aqua* (videlicet tali, qualem Johannes usurpat) *& Spiritu, non potest introire in regnum cœlorum.* Atqui Johannes, cum baptizaret ad Jordanem, non aliam, quam veram & naturalem aquam adhibebat. Quid? quod isthæc expositio ipsis *Socinianis* hypothesibus adversetur. Cum enim *Sociniani* pœnitentiam & regenerationem pro actu eodem habeant, certe eo, quod *Socinus* commentus est, glossemate admisso talis, quam Salvatori tribuere nefas est, sententia erit: *Nisi quis renatus fuerit ex regeneratione & ex Spiritu*, non potest ingredi regnum cœlorum. Nec melior ejusdem dicti explicatio est, quando *Calvinus* Institut. Lib. IV. c. XVI. & *Piscator* l. c. docent, aquam ibi non significare aquam baptismi, sed significare ipsum spiritum sanctum, &, cum particula ET in verbis: *Ex aqua ET Spiritu*, idem valeat ac *id est*, sensum esse, quod *homo ex aqua, id est, ex Spiritu renasci* debeat. Christum enim de ipso aquæ baptismo verba facere, jam jam demonstratum dedimus.

§. 5. Baptismum igitur, cum sit regenerationis causa, *fidei* etiam, quippe quæ est terminus per regenerationem productus, causam esse oportebit. Quicquid enim est causa actionis, id quoque est causa termini per actionem producti.

§. 6. Quod si baptismus est causa fidei, est quoque causa *justificationis* seu *peccatorum remise*

missionis, cum posita fide, & per fidem statim homo justificetur.

§. 7. Quod si baptismus est causa justificationis, est quoque causa *adoptionis in filios DEI, inhabitationis Spiritus Sancti, renovationis, hæreditatis vitæ æternæ.* Hæc enim spiritualia bona remissioni peccatorum individuo nexu cohærent, ejusque effectus sunt.

§. 8. Et si baptismus est justificationis causa, causa etiam est vitæ æternæ propter justificationis & æternæ salutis connexionem.

§. 9. Baptismum autem, subjecto interius non resistenti collatum, non solum tunc, quando primum suscipitur, sed & quando olim susceptus memoria nunc repetitur, effectus supernaturales producere, superius in *Loco Theol. VII. Th.* XXVIII. §. 1. & 2. ostensum est.

§. 10. Nostra hucusque elucidata & demonstrata thesis multos ac varii generis adversarios habet. Efficaciam quippe baptismi, quam thesis illa adstruit, impugnarunt jam olim *Messaliani*, de quibus *Theodoretus* Libr. IV. *Histor. Eccles.* cap. XI. testatur, quod *ex divino baptismo iis, qui illum consequi meruissent, nullam obvenire utilitatem* docuerint. Recentioribus temporibus non solum *Menno* in Libro, quem *Fundamentum* vocat, adversus baptismi efficaciam scribens asseruit, *imbecille elementum non posse Christianos efficere aut in Christo conservare*, verum etiam, ejus asseclæ seu *Mennistæ* in Confessione sua art.

XXI.

XXI. contenderunt, *baptismum aquæ non aperire aditum ad regnum coelorum, neque gratiam ullam vel salutem posse conferre; non habere vim conferendi remissionem peccatorum, immunditiem carnis nostræ purgandi, sed esse tantum signum & testimonium gratiæ & sanguinis Christi in ablutione peccatorum, quam homo per fidem & regenerationem ex gratia ante baptismum, per depositionem corporis peccati carnis, quæ in Baptismo annunciatur, in corde acceperit.* Una etiam voce *Sociniani*, *Quakeri*, multique alii *Fanatici*, veram & realem baptismi efficaciam hodie impugnant; *Socinianorum* huc pertinentia dicta superius in Loc. Theol. X. Thes. XXVII. §. 12. pag. 1640. allegavimus. Et uti *Quakeri* efficaciam sacramentorum in genere (quod ibidem ex *Roberto Barclajo* a nobis ostensum est) inficiantur, ita ex turba ista *Thomas Lawson* in tractatu contra *Zantgraffium* edito pag. 27. speciatim baptismi efficaciam ex eo subvertere audet, quod per experientiam constet, homines, aqua baptizatos, cum adolescerent, multo pejores factos fuisse, id vero non contigisset, si illi vere fuissent regeniti. Ex *Fanaticis* reliquis *Caspar Schwenckfeldius* passim in suis epistolis calumniatur, doctrinam de baptismi efficacia continere in se *Papismum idololatricum*, *creaturismum*, *Ecclesiæ Christi atque omnis pietatis desolationem*. Sic & *David Georgius* im Ausspruch der wahren religion cap. IIX. affirmat, baptismum aquæ esse *ceremoniam ina-*

nem & typum sequentis substantiæ (eine leere Ceremonie und Vorbild des nachfolgenden Wesens.) Nec non *Valentinus Weigelius* P. I. Postill. pag. 57. in B. Lutherum haud obscure invectus inquit: *Magnam confusionem facit falsus Propheta, cum docet, Baptismum aquæ abluere peccatum originis, aut operari fidem, afferre Spiritum S.* Atque *Hohburgii* plura adversus baptismi efficaciam effusa dicta vide apud Theologos Lubec. Hamburg. & Luneb. P. II. *Tract. contra Patronum Revel. Æg. Guthmann.* Punct. I. §. 39. & c. V. §. 7.

§. 11. Nostram thesin, quæ ipsam regenerationem, & sic fidem regeneratione productam, baptismi veros ac reales effectus esse statuit, ne *Reformati* quidem prorsus approbant. Quamvis enim ipse *Johannes Calvinus* in capit. III. epistolæ Pauli ad Tit. scribat, *baptismum congruenter & vere lavacrum regenerationis dici, & tametsi neque abluantur in baptismo impii, neque renoventur, nihilominus vim istam, quod ad DEUM, baptismum retinere*; nec non *Zwinglius* anno 1529. Marpurgi in colloquio inter ipsum & Lutherum habito huic articulo: Die H. Tauffe ist nicht allein ein ledig Zeichen oder Losung unter den Christen / sondern ein Zeichen und Werck GOttes / darinn unser Glaube gefördert ꝛc. una cum *Oecolampadio*, *Bucero* & *Hedione* subscripserit, alii tamen Reformati apertius & distinctius animi sui sensa hic declararunt. *Piscator* enim in comm. ad cap. III. *Matth.* diserte scribit:

bit: *Falsum docent, qui tradunt, baptismum esse organum regenerationis conferendæ ac fidei donandæ. At nullum, inquam, Sacramentum organum est fidei donandæ: (hæc enim per solum verbi organum donatur Rom. 10.) Sed Sacramenta sunt organa fidem jam donatam confirmandi: ad hunc enim usum a DEO sunt instituta ac testimonio verbi adjuncta, tanquam sigilla adjunguntur literis ad id ipsum plenius testificandum, quod per literas testatum redditur.* Sic & *Wendelinus* Lib. 1. Theol. Christ. c. XXII. th. 14. explic. 2. expresse negat, *baptismum esse organon, quo fides in infantibus & regeneratio inchoetur.* Atque hanc sententiam *Bezæ* & *Collegarum* ad dogma 7. *Würtebergicorum* de Baptism. Part. II. Respons. fol. 222. *Ursini* Explic. Catechet. qu. 69. fol. 494. & aliorum apud Darnestadin. Deduction. Fundament. fol. 769. seqq. fuisse olim, adparet.

Th. XXV.

Atque per regenerationem in baptismo obtingentem parentum fidelium infantes evadunt demum sancti, non autem ante Baptismum sancti sunt velut jure nativitatis ex parentibus fidelibus.

§. 1. Non loquitur thesis nostra de sanctitate *legali* aut civili, in eo, quod quis spurius non est, consistente: Namque etiam ante baptismum liberi (tam fidelium, quam infidelium) ea sanctitate sancti sunt, modo ex legitimo conju-

gio sint progeniti. Nec vero in thesi nostra sermo est de sanctitate *ecclesiastica* (quæ in eo posita est, quod in ecclesia nati aditum habeant ad baptismum): Liberis enim Christianorum ipso nativitatis jure aditus ad baptismum patet. Loquimur autem de sanctitate *spirituali*, quæ in fide in Christum consistit.

§. 2. Theseos nostræ veritas vel ex illa Christi *Joh. III, 5.* comprehensa comminatione: *Nisi quis natus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest ingredi regnum cœlorum*, patescit. Si enim fidelium liberi ante baptismum sanctitate spirituali sancti, ac fide præditi essent, via ordinaria absque regeneratione ex aqua & Spiritu facta, in regnum cœlorum introire possent.

§. 3. Lutherani igitur hic disputant contra *Reformatos*, ex quibus *Beza* Vol. I. pag. 256. asserit, liberos sanctorum & fidelium vi foederis cum DEO jam in ipso utero esse adoptatos, itemque infantes in ecclesia natos nascendo inseri Christo. Videatur hic inter alios multos nostratos Theologos *B. Bechmannus*, qui in *Theol. Polem.* Part. III. Loc. XIII. controv. V. pag. 986. *Bezæ* & aliorum Reformatorum rationes potissimas accurate examinavit.

Th. XXVI.

Ad tantam baptismi efficaciam, qua ipse regenerat, justificationem (seu remissionem peccatorum) operatur, nos hæredes

des vitæ æternæ, filiosque DEI adoptatos, ac templa & habitacula Spiritus Sancti reddit, atque adeo a reatu peccati & Satanæ potestate liberat, graviter significandam, & simul ad docendum ac profitendum, quod infantes fidelium ante baptismum velut suæ nativitatis jure non sint sancti, nec non ad DEUM cum fiducia, & quadam adversus hostem animositate precandum *exorcismi ritum* in ecclesiis suis recte adhiberi, *Lutherani* arbitrantur.

§. 1. Nec enim pravum quid, sed salutare potius, ac pium est, homines de baptismi efficacia admonere, confessionem contra adversarios baptismi efficaciam impugnantes edere, Deumque cum fiducia, & quadam adversus communem hostem animositate precari.

§. 2. Nititur quoque iste *Lutheranorum* ritus primitivæ ecclesiæ exemplo. Quippe *Gregorii Nazianzeni* tempore, quo donum ejiciendi dæmonia subtractum erat, vigebat adhuc ordo exorcistarum, qui catechumenos baptizandos exorcismis & sufflationibus ad baptismum præparabant, & sic de baptismi efficacia, nempe de hominis ereptione ex potestate tenebrarum, & de translatione in regnum DEI, monebant. Vid. *Chemnitii* Examen Concil. Trident. part. II. p. m. 38.

LOCUS

LOCUS XIII.
DE
SACRA CŒNA.

Thes. I.

LOco Theologico de *Baptismo* succedit Locus de *Sacra Coena*, quod homines non nisi, postquam baptizati sunt, ad Sacram Cœnam admittantur, res autem eo ordine, quo in praxi se invicem excipiunt, in disciplinis quoque tractari soleant.

Th. II.

Sacra Cœna multis aliis nominibus venit. Appellatur quippe (1.) *Cœna Dominica*, (2) *Mensa Domini*, (3) *Eucharistia*, (4) *Synaxis*, (5) Sacramentum *Communionis*, (6) *Liturgia*, (7) Ἀγάπη (8) *Missa*, (9) Sacramentum *Altaris*.

§. 1. Κυριακὸν δεῖπνον (Dominica Cœna) *1.Cor. XI, 20.* expresse vocatur: *Coena* scilicet a tempore, quo instituta & primum celebrata fuit; *Domini* autem cœna a Domino nostro Jesu Christo (a) tanquam a *causa efficiente principali* (cum præceperit eam, & instituerit Chri-

Christus,) (β) tanquam a *materia circa quam*, (quia circa corpus & sanguinem Christi versatur, cum sit actio sacra & solennis, in qua corpus Christi pro nobis in mortem traditum sub pane benedicto ad manducandum, & sanguis ejus pro nobis effusus sub vino benedicto ad bibendum communicantibus exhibentur, & ab iisdem accipiuntur) (γ) tanquam a *fine*, (cum propter Dominum nostrum Jesum Christum in memoriam revocandum instituta sit.)

§. 2. Τράπεζα κυρίε (Mensa Domini) *1. Cor. X, 21.* dicitur per metonymiam subjecti pro adjuncto : namque Apostolorum ævo in mensa celebrabatur.

§. 3. *Eucharistia* (gratiarum actio) apud antiquos ecclesiæ Doctores, speciatim *Irenæum* Libr. IV. c. 32. & *Clementem Alexandrinum* Lib. II. Pædagogi cap. II. nominari solet, cum quod Christus ipsam instituerit εὐχαριστήσας (gratias agens) *Matth. XXVI, 27.* tum quod in ejus usu Salvatori juxta illud Apostoli *1. Cor. XI, 26 : Quotiescunque ederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annuncietis*, pro nostræ redemtionis opere gratiæ agendæ sint. Confer. *Galasf.* in annot. ad Libr. IV. Iren. cap. XXXII.

§. 4. Σύναξις (congregatio) antiquitus nuncupabatur, quia in publicis ecclesiæ conventibus (uti etiam ex *1. Cor. XI, 22.* adparet) ce-

lebrata fuit, ut publicorum congressuum nervus, & unitatis Christianæ vinculum esset.

§. 5. Jam olim sacramentum *communionis* dicebatur, quod in ipsa poculum benedictum, quod est communio sanguinis Christi, & panem benedictum, qui est communio corporis Christi, accipiamus *1. Cor. X, 16.*

§. 6. Λειτεργία (ministerium, quod circa cultum DEI obitur,) itemque ἱερεργία (rei sacræ operatio) quondam vocabatur, quia ipsius administratio utique est rei sacræ operatio, nec postrema pars ministerii, quod circa cultum DEI obitur.

§. 7. Ἀγάπη (charitas) adpellabatur tum propter donaria a Christianis ad S. Cœnam accessuris mitti solita, (quæ signum & effectus Christianæ charitatis erant,) tum propter convivia post Sacræ Cœnæ celebrationem adornata, quæ vocabantur ἀγάπαι. Confer. *Irenæus* Libr. IV. c. XXXIV. & *Tertullianus* Apologet. c. XXXIX. Ista vero convivia, cum in luxum degenerarent, postea penitus abrogata fuerunt. Vid. *Augustinus* Epist. LXIV. Concilium *Laodicenum* can. 28. & *Theodorus Balsamon* ad cit. can.

§. 8. *Missa* dicebatur Latinis vel a more rerum missarum, vel a ritu formulæ dimissionis populi, quæ ante & post ipsius celebrationem recitabatur. Ea enim in primitiva ecclesia consvetudo obtinebat, ut Christiani, opulentiores in-

inprimis, ad S. Cœnam acceſſuri panem & vinum, aliaque edulia mitterent, atque ex iſtis rebus miſis pars panis ac vini ſegregata ad uſum S. Cœnæ ſumeretur, reliqua vero miniſtris Eccleſiæ & egenis cederent. Sic & iſte in veteri eccleſia mos invaluit, ut Diaconus non ſolum Catechumenos, quippe quibus nondum baptizatis Sacræ Cœnæ celebrationi intereſſe non permittebatur, ante S. Cœnæ adminiſtrationem ſic alloqueretur: *Ite, catechumeni, Miſſa eſt* (h. e. dimiſſio veſtra adeſt;) verum etiam celebrata jam cœna, totoque cultu publico peracto fideles, qui digreſſis catechumenis remanſerant, ita compellaret: *Ite miſſa eſt* (h. e. abite, jam dimiſſio eſt totius congregationis.) Videlicet uti antiquitus vocabulum remiſſa idem erat ac remiſſio, ita & miſſa pro miſſione ſeu dimiſſione accipiebatur. Vid. *Gerhardus* L. de S. Cœn. §. 9. & *Dannhauerus* Myſterioſoph. f. 390. ſeqq.

§. 9. Ex antiquo Eccleſiæ uſu ipſa *Auguſtana Confeſſio* in Art. de *Miſſa* pag. m. 24. Sacram Cœnam appellitat miſſam, ubi ita inquit: *Falſo accuſantur Eccleſiæ noſtræ, quod Miſſam aboleant, retinetur enim Miſſa apud nos, & ſummâ reverentia celebratur.* Quando vero *B. Lutherus* Artic. Smalcald. P. II. p. m. 307. ſcribit: *Diaconis cauda iſta (Miſſam intelligo) peperit multiplices abominationes & idololatrias*, non loquitur de ipſa a Chriſto inſtituta S. Cœna, ſed de miſſa ſenſu Papiſtico accepta, quæ juxta Doctores Pon-

tificios definitur, quod sit *proprie dictum sacrificium incruentum Novi Testamenti propitiatorium & satisfactorium, in quo Sacerdos proprie dictus & solus communicans super altari proprie dicto, patri cœlesti eundem Christum eandemque hostiam, quæ in cruce fuit oblata, sub specie panis & vini pro vivorum ac mortuorum purgatorio nondum plene purgatorum, peccatis, pœnis, satisfactionibus, aliisque necessitatibus offerat.*

§. 10. Sacra Cœna nuncupatur quoque Sacramentum *Altaris*, non quidem intuitu *sacrificii proprie dicti*, quasi in ipsa, aut ejus celebratione occurrat aliquid, quod etiamnum sit sacrificium proprie dictum (hoc est, uti *Bellarminus* Libr. I. de Missa cap. II. definit, *oblatio externa soli DEO facta, qua ad agnitionem humanæ infirmitatis & professionem divinæ Majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur ac transmutatur*, id est, ut itidem *Bellarminus* ibidem explicat, sic mutatur, ut destruatur & desinat esse illud, quod erat,) sed habito respectu ad mensam sacram, ubi ea, quorum mentionem ante fecimus, donaria deponebantur. Nec enim ipsam Sacræ Cœnæ celebrationem sacrificium proprie dictum esse, nec in ea aliquid, quod etiamnum sacrificium proprie dictum sit, occurrere, sub finem hujus Loci docebitur. Dixi jam, in Sacræ Cœnæ celebratione non occurrere aliquid, quod sit *sacrificium proprie dictum*. Ibi enim sacrificia, in signi-

significatu improprio sic dicta, nimirum preces, gratiarum actio, cor contritum, &c. deprehenduntur. Monui jam porro, in S. Cœna, ejusque celebratione haud occurrere aliquid, quod *etiamnum* sit sacrificium proprie dictum. Concedimus enim, illud, quod olim in ara crucis tanquam sacrificium oblatum fuit, in Sacra Cœna ejusque celebratione realiter præsens esse, & exhiberi.

Th. III.

Recte autem Sacra Cœna statuitur esse *sacramentum* ex usu loquendi ecclesiastico sic dictum, & quidem *Novi Testamenti proprium.*

§. 1. Sacram Cœnam esse *sacramentum* ex usu loquendi ecclesiastico sic dictum, inde patet, quod omnia & singula sacramenti istius requisita, quæ in præced. Loco Theol. X. Thes. V. exposuimus, in ipsam cadant.

§. 2. Eandem illam Cœnam esse Sacramentum *Novi Testamenti proprium*, liquidissime constat. Præterquam enim, quod ipse Christus *Luc. XXII, 20.* Sacram Cœnam diserte vocat καινὴν διαθήκην, sane sacramentum illud in Veteri Testamento eo locum habere non potuit, quod corpus Christi, quod in hoc sacramento sub pane benedicto ad manducandum exhibetur, & sanguis Christi, qui sub vino benedicto ad bibendum porrigitur, in Veteri Testamento nondum extiterit. §. 3.

§. 3. Atque ex eo, quod S. Cœna sit Sacramentum *Novi Testamenti proprium*, oppido colligitur, eam non esse sacrificium proprie dictum. Talia enim sacrificia (ut Apostolus *Ebr. VII.* per totum edocet) solius Veteris Testamenti sunt. *Pontificii* igitur, dum Sacramentum Cœnæ pro sacrificio proprie dicto venditant, fovent utique hypothesin, ex qua consequentia necessaria fluit, S. Cœnam non esse sacramentum Novi Testamenti proprium.

§. 4. Thesin nostram oppositum potissimum plerisque *Socinianis*. Quippe ex secta ista *Johannes Volkelius* Lib. IV. de Ver. Relig. cap. XXII. fol. 303. sic scribit de sacra Cœna. *Si hæc actione Sacramentum quidem est, quo pacto, quæso, corporis Christi Sacramentum erit?* Sic & *Smalcius* c. Tranz. Disp. XII. fol. 347. contendit, *vocem Sacramenti ab hominibus otiosis, qui Sacræ Cœnæ aliquid superstitiosum, aut etiam idolatricum ex parte tribuere non sint veriti, ad tegendum dolum usurpatam esse, at proinde præstare, aliis nominibus Sacram Cœnam appellari.* Quanquam *Schlichtingius* c. Meisn. de Trinit. fol. 781. S. Cœnam Sacramentum appellet, nec de hoc cum *B. Meisnero* disputare velit.

Th. IV.

Sicut quodvis aliud Sacramentum proprie ac stricte dictum est actio, ita etiam Sacra Cœna vera & realis *actio* est.

§. 1.

§. 1. Thesin hanc superius *Loc. X. thes.* V. §. 7. demonstratam vide.

§. 2. Hanc ipsam thesin urgemus potissimum propter *Pontificios*, qui Sacramentum Cœnæ actionem esse inficiantur, idque rem esse permanentem, atque etiam extra usum consistere statuunt. Vid. *Bellarminus* Libr. IV. de *Euchar.* cap. 1. seqq.

Th. V.

Atque ut unumquodque aliud sacramentum (ceu supra in *Loco.* X. thes. XVII. ostensum est) non est simplex, sed complexa, & ex pluribus partialibus ipsius constitutionem ingredientibus, ordinemque inter se habentibus actionibus *aggregata* actio, ita etiam Sacramentum Cœnæ talem esse actionem manifestum est.

§. 1. Concurrunt enim in Sacra Cœna consecratio, symbolorum consecratorum distributio, eorundem acceptio, manducatio & bibitio, quæ actiones omnes velut partiales Sacramenti hujus constitutionem ingrediuntur, atque inter se ordinem habent.

§. 2. Aderant equidem in prima ab ipso Christo celebrata Cœna adhuc plures aliæ actiones, cum Christus acciperet panem in manum, & ubi benedixerat, frangeret eum ac daret discipulis, & dubio procul vinum in poculum infunderet,

deret, sed sacramenti illius constitutionem non ingrediebantur, verum arbitrariæ erant, quæ sive exerceantur sive omittantur, sive sic sive aliter adhibeantur, substantiæ & integritati sacramenti nihil decedit, prout e. gr. bene potest adhiberi panis jam ante divisus, ut in actu celebrationis Cœnæ Dominicæ eum frangi necesse non sit.

Th. VI.

Causa *efficiens principalis* Sacræ Cœnæ est Christus (h. e. Christus *sua autoritate Sacram Cœnam celebrari jussit, ac quomodo, & qua ratione celebrari debeat, determinavit, itemque sua autoritate eidem ritui promissionem gratiæ evangelicæ addidit, atque etiamnum efficit, ut actio ad ejus præscriptum circa symbola panis & vini suscepta Sacramenti vim ac rationem habeat*).

§. 1. Christum sua autoritate jussisse Sacram Cænam celebrari, ac quomodo & qua ratione celebrari debeat, determinasse, itemque sua autoritate eidem illi ritui promissionem gratiæ evangelicæ addidisse, ex historia & verbis institutionis *Matth XXVI, 26. Marc. XIV, 22. Luc. XXII. 19. 1. Cor. X, 23.* seq. per se patet.

§. 2. Christum quoque efficere etiamnum, ut actio, ad ipsius præscriptum circa symbola panis & vini suscepta, Sacramenti vim & rationem habeat, ex eo manifestum est, quod corpus suum atque sangvinem cum symbolis benedictis, ut simul cum iis accipiantur, conjungat, & sic fidem confirmet atque augeat.

Thes.

Th. VII.

Non solum autem Christus est Sacræ Cœnæ causa efficiens *principalis*, sed & DEUS *Pater* ac *Spiritus Sanctus* istiusmodi causæ habitudinem ad Sacramentum illud obtinent, atque adeo etiam DEUS Trinunus Sacræ Cœnæ causa efficiens principalis recte dicitur.

§. 1. Omnes enim ac singulæ actiones, in thesi proxime antecedente enarratæ, quas causa efficiens principalis hujus Sacramenti obit, sunt *Divinæ* actiones, seu soli DEO competunt, cum solus autor gratiæ evangelicæ media illius gratiæ (cujusmodi sane medium est Sacra Cœna) sua & propria autoritate definire eamque gratiam sua & propria autoritate promittere valeat, atque is solus, qui infinita virtute pollet, quandam hominum actionem tanquam organon ad gratiam evangelicam obsignandam elevare, & corpus ac sangvinem Christi cum pane & vino ita, ut cum iis simul accipiantur, conjungere possit. Quod si igitur actiones illæ sunt actiones DEi, profecto actiones DEI Trinunius sunt: Habent enim se per modum actionum DEI ad extra, hujusmodi vero divinæ actiones sunt indivisæ.

§. 2. Thesin nostram probamus insuper hocce argumento: *Si autoritas, potestas, & potesta-*

tentia, qua Christus in efficiendo hocce sacramento usus est, ipsi est communis cum Patre & Spiritu Sancto, sequitur, quod etiam Pater & Spiritus Sanctus hoc ipsum Sacramentum effecerint, seu hujus Sacramenti sint causa efficiens principalis. Consequentia ex eo patet, quod, cujus est autoritas, potestas, & potentia, ejus quoque sit actus & effectus a tali autoritate, potestate & potentia proveniens. Antecedens vero exinde liquet, quod autoritas illa, potestas & potentia, quam Christus in efficiendo S. Cœnæ Sacramento usurpavit, sit infinita, talis vero autoritas, potestas & potentia in omnibus tribus divinitatis personis una eodemque numero existat.

Th. VIII.

Causa impulsiva Sacræ Cœnæ (h.e. id, quod *Christum una cum Patre & Spiritu Sancto movit, ut Sacram Cœnam mandaret reapse & institueret, atque hodienum movet ad efficiendum id, ut actio circa panem & vinum occupata, & juxta divini præscriptum administrata, rationem & vim Sacramenti habeat*) est tum DEI *Bonitas* tum ipsum Christi *Meritum*, nec non certo respectu ac modo tum *Institutio* Sacramenti divina, tum symbolorum *Consecratio*.

§. 1. Divinam Bonitatem Christum, DEUM Patrem ac Spiritum Sanctum, ut Sacram Cœnam mandarent & instituerent, atque movere hodienum ad id efficiendum, ut actio circa panem

panem vinumque susceptа, & juxta præscriptum divinum exercita rationem & vim Sacramenti habeat, luculentissime adparet. Illæ enim divinæ actiones ingens divinum in nos collatum beneficium arguunt; omne autem divinum in nos derivatum beneficium ex bonitate ac misericordia DEI dimanat. Sic & ipsum Christi Meritum DEUM Trinunum ad easdem illas divinas actiones partim permovisse, partim adhuc permovere, manifestum est ex *Eph. I, 3.* ubi *DEUS omni benedictione spirituali in Christo* (h. e. propter Christum, ejusque Meritum) *nobis benedicere* perhibetur. Illæ ipsæ enim divinæ actiones insignem benedictionem spiritualem important.

§. 2. Divina Sacræ Cœnæ *institutio*, & symbolorum *consecratio* in tantum sunt Sacramenti hujus causa impulsiva, in quantum Christum movent, ut corpus & sangvinem suum ad veram manducationem & bibitionem cum pane & vino conjungat. Ad id autem tum institutione illa, tum ista consecratione moveri Christum, liquidissime constat. Postquam enim Christus constituit, in Sacra Cœna, quoties illa institutioni divinæ conformatur, corpus & sangvinem suum cum pane & vino ad veram manducationem & bibitionem conjungere, idque verbis istis: *Hoc est corpus meum, Hoc est Sangvis meus*, promisit, ipse certe tunc, quando Sacra Cœna juxta divinæ institutionis normam celebratur, ad istiusmodi conjunctionem vi suæ

institutionis impellitur ac commovetur. Sic & ex illo ipso Christi decreto & promisso evenit, ut etiam symbolorum consecratio Christum ad eandem illam conjunctionem moveat. Quando enim minister ecclesiæ symbolorum consecretionem juxta præscriptum Christi peragit. Sacra Cœna secundum divinam institutionem celebratur.

§. 3. Sicut autem institutio Cœnæ est Sacramenti hujus causa impulsiva *principalis*, ita symbolorum consecratio, ut est actio ministri ecclesiæ, in ordine ad hoc ipsum sacramentum non nisi causæ impulsivæ minus principalis (h. e. causæ impulsivæ, quæ non propria, sed unice ac in solidum aliena virtute causam efficientem ad agendum movet) rationem habet. Actus enim consecrandi voluntatem Christi non virtute propria, & ut Ministri actio est, sed vi ipsius institutionis a Christo profectæ ad id efficiendum, ut actio circa symbola externa juxta præscriptum Christi susceptа vim & rationem Sacramenti obtineat, commovet.

Th. IX.

Sacræ Cœnæ *causa efficiens minus principalis* est solus Minister ecclesiæ (h. e. sacram cœnam nullo tempore ac nullo in casu ulli alii, quam ecclesiæ ministro, seu ei, qui ad Verbum docendum & ad sacramenta-

ta porrigenda ab ecclesia vocatus est, administrare licet.)

§. 1. Nam sacramenta extra necessitatis casum administrare nemini prorsus præter ministrum ecclesiæ permissum est, cum solis ecclesiæ doctoribus titulus ille, quo oeconomi mysteriorum DEI salutantur, competat *1. Cor. IV. 1.* Ast in baptismi, non autem in S. Cœnæ Sacramento necessitatis casum locum habere, superius in *Loco.* X. Theolog. thes. XIV. §. 3. demonstratum dedimus.

§. 2. Quod si igitur nullo tempore ac nullo in casu concessum est Laico Sacram Cœnam administrare, certe ministro ecclesiæ permissum non est symbola consecrata homini sacram cœnam anxie desideranti mittere, ut ipse sibi, aut alius quidam ipsi applicet. Nec enim Sacræ Cœnæ administratio in sola symbolorum consecratione consistit, sed præter hanc involvit quoque consecratorum symbolorum exhibitionem & distributionem. Sicut igitur in nullo casu Laicis Sacram Cœnam administrandi facultas competit, ita nec iis ullo in casu permissum est symbola consecrata exhibere ac distribuere. Huc quoque pertinet, quod Sacra Cœna (ut Dn. *Wittebergenses* part. II. *Consil.* p. 164. recte monent) formaliter sit plurium actionum sacramentalium in verbis institutionis præscriptarum (consecrationis videlicet, distributionis, comestionis & bibitionis) individuus, ac simul sumtus

cumulus, illæ vero actiones divellantur, si consecratio symbolorum in hoc, eorum autem exhibitio in alio loco peragatur.

§. 3. Hic autem observandum probe est, quod, cum minister ecclesiæ sit vel *ordinarius*, vel *extraordinarius*, qui scilicet ab ecclesia, ut Verbum saltem legendo doceat, & Sacramenta tamdiu administret, donec de ministro ordinario prospiciatur, provisionaliter vocatus est, in ordinariorum ministrorum defectu, qualis tempore persecutionis aut pestis contingit, a ministro extraordinario Sacra Cœna recte omnino administretur.

§. 4. Nec vero dissimulandum hic est, inter ipsos Doctores *Lutheranos* dissensum quendam hic deprehendi. Alii quippe nullo tempore & nullo casu Laicis citra vocationem ab ecclesia obtentam jus porrigendi Eucharistiam competere contendunt, alii jus illud certo in casu Christianis ab ecclesia non vocatis convenire arbitrantur. Diserte B. *Schertzerus* System. Theol. Loc. XV. §. XIV. scribit. *Distinctio inter casum ordinarium & necessitatis non habet locum in præsenti: quia Eucharistia non est Sacramentum talis necessitatis, qualis est Baptismus.* Sic & B. *Bechmannus* in *Theol. Conscientiar.* Tit. I. Sect. VI. Cas. VI. §. 3. inquit. *Diversa est ratio Baptismi & Sacræ Cœnæ ratione necessitatis. Ille necessarius est, ut sine eo via ordinaria Homo Regnum Cœlorum ingredi non possit Joh. III, 5. Tanta ve-*

ro

vo necessitas non est S. Cœnæ: unde in baptismo datur casus necessitatis, qui tamen in S. Cœna non datur, & consequenter dici non potest, quod in casu necessitatis in Cœna Domini Laico consecratio permitti possit. Ac B. *Bajerus* noster in *Comp. Th. Pos.* P. III. c. XI. §. IV. not. (c) non æque, ut in Baptismo, etiam Laico aliquando, aut fœminæ administrationem Sacramenti Cœnæ permittendam esse, usque adeo contendit, ut non nisi ministrum ecclesiæ *Ordinarium* causam S. Cœnæ ministerialem esse statuat. Contra vero *B. Brochmandus* System. Loc. de Minist. Eccl. c. II. *Cas. Consc. II.* docet, *in tali casu, ubi ecclesia aut corrupta, aut publicis persecutionibus ita turbata est, ut ordinarii ministri, qui Verbum DEI sincere doceant, & sacramenta legitime administrent, loco ordinariæ vocationis esse posse & debere vocationem ad Christianismum, & χάρισμα, divinitus datum, & ad serviendum proximo obligationem.* Similiter B. *Spenerus* tum in *Tab. Catechet.* tab LXXI. tum in *Catechismus-*Predigten/ p. 600. statuit, *in defectu omnium ministrorum, inprimis cum quis tentatus non satis se erigere potest solatio spiritualis manducationis, sed sacramentum etiam anxie anhelat, alium fratrem fidelem, ubi gravius scandalum timendum non est, Sacram Cœnam administrare posse.*

§. 5. Nos uti *Scherzero* & *Bechmanno* hic prorsus suffragamur, ita, etsi rigorem *Bajeria-*

num, quo in omni casu *ordinarius* ecclesiæ minister deposcitur, non approbemus, sed in certis casibus extraordinarium quoque ecclesiæ ministrum Sacramentum Cœnæ aliis porrigere posse existimemus, non tamen *Speneriana* opinioni applaudimus. Præterquam enim, quod illæ, quas *Spenerus* allegat, rationes plane non evincant, quod probandum erat, ipsæ etiam a *Socinïana* secta ad illum suum errorem, quod privatus potestatem & jus administrandi Sacram Cœnam habeat, constabiliendum eodem concludendi modo adhibentur. Urget *Spenerus* (1.) *in defectu omnium ministrorum vocationem charitatis ad omnes actus ministeriales sufficere.* Sed respond. (α): Si vocatio, qua ad opera charitatis proximo exhibenda adstringimur, ad omnes actus ministeriales sufficeret, cuilibet Christiano licitum foret in certo casu citra specialem vocationem officio magistratus fungi: Magistratus enim officium charitatis opera, ut defensionem afflictorum, curam pauperum, commodi publici promotionem &c. importat. Resp. (β): Quamvis ad opera charitatis communia peculiaris vocatio non requiratur, ejusmodi tamen vocatio exigitur, si charitatis opera certis personis in officio publico constitutis propria obeunda sint. Provocat *Spenerus* (2.) ad *sacerdotium omnibus Christianis commune.* Verum enim vero a sacerdotio omnibus Christianis & fidelibus communi ad potestatem & jus Sacram Cœnam in certo casu ci-

citra specialem vocationem administrandi consequentia non procedit. Id enim sacerdotium non importat jus Sacramenta administrandi, sed (ut *Petrus* 1. epist. cap. II. v. 5. expressis verbis explicat) in eo consistit, quod fideles *offerant spirituales hostias* (h. e. laudes DEI, gratiarum actiones, preces, opera misericordiæ, ipsa denique sua corpora & animas.) Confer. Rom. XII, 1.

§. 6. Cumprimis vero *Anabaptistis*, *Socinianis*, *Hugoni Grotio* & recentioribus quibusdam *Fanaticis* thesin nostram, quæ Sacræ Cœnæ causam efficientem minus principalem solum ecclesiæ ministrum esse asserit, opposuimus. *Anabaptistæ* enim (de quibus *B. Chemnitius* Part. III. LL. c. de eccles. & *Botsaccus* Anabapt. reprob. c. 63. p. 502. videantur) ut generatim jus sacramenta administrandi, ita speciatim potestatem Sacram Cœnam peragendi cuilibet privato attribuunt. Idem est error *Socinianorum*. Quippe *Volkelius* Resp. ad van. Refut. Dissolut. Nod. Gord. c. XVII. fol. 171. scribit: *Administrent sane ministri Cœnam Domini baptismumque in Ecclesiis constitutis, ut & Paulus aliique fortasse fecerunt, ordinis decorique conservandi causa, non autem, quia necessario solique hi facere teneantur.* Sic & ex eadem secta *Ostorodus* Instit. Germ. cap. XLII. fol. 440. seq. inquit: So die Adversarii sagen wolten, daß die jetzigen Lehrer der Gemeinen nicht allein predigen, sondern auch täuffen, und das Nachtmahl des

Herrn administriren und verrichten, welches ohne sonderliche Vocation und Sendung nicht geschehen könne: Geben wir zur Antwort, daß solches nicht könne bewiesen werden, nemlich, daß niemand die Dinge thun könne, er sey denn darzu beruffen und gesandt. Recentiorum vero *Fanaticorum* furorem descripsit retuditque *Ministerium Lubeccense* in peculiari libello sub hac rubrica edito: Christliche Prob der neuen Schwärmerey, da etliche Mannes- und Weibes-Personen eigene kleine Zusammenkünffte halten, darinnen nicht allein unberuffene Männer, sondern auch Weiber das H. Abendmahl austheilen. *Grotium* tandem, qui in anonymo tractatu *de modo communicandi per Symbola* potestatem Sacramentum Eucharistiæ administrandi Laicis adjudicavit, *Dionysius Petavius* anno 1639. in peculiari dissertatione *de potestate consecrandi & sacrificandi Sacerdotibus a DEO concessa* refutavit. De cætero *Grotius* in dissertatione de *administratione S. Cœnæ, ubi Pastores non sunt*, ex facto Petronillæ, quod in *Martyrologio* consignatum legitur, probare satagens, etiam foeminas eucharistiam celebrasse, inde statim refellitur, quod quæ de Petronilla Petri filia memorari solent, omni antiquitatis fundamento destituantur. Videatur hic *Henricus Dodwellus* in dissertatione de *jure Laicorum sacerdotali* c. ult. ubi illud *Grotii* argumentum prolixius excutitur.

§. 7 Ul-

§. 7. Ultimo ad noſtram illuſtrandam theſin annotandum eſt, quod, etſi hodie, ubi Chriſtus in terris viſibiliter præſens eſſe deſiit, & ubivis in Eccleſia epiſcopos & paſtores, qui loco & nomine ipſius paſcant Eccleſiam, conſtituit, inter Sacræ Cœnæ cauſam efficientem minus principalem, & inter eum, qui Sacramentum illud peragit, nulla ſit differentia, in prima tamen Sacræ Cœnæ celebratione res aliter ſe ſe habuerit. Tunc enim Chriſtus non ſolum autoritate propria Sacram Cœnam inſtituit, verum etiam ipſe virtute & autoritate ſua peregit, quod jam eccleſiæ miniſtri tanquam ipſius Chriſti Miniſtri nomine & autoritate ejus peragunt. Sic igitur Chriſtus in prima Sacræ Cœnæ celebratione cauſa efficiens principalis ubivis fuit.

Theſ. X

Cauſæ efficientis minus principalis, in ordine ad Sacram Cœnam ſic dictæ, munus in ſymbolorum externorum *conſecratione* & *diſpenſatione* ſitum eſt.

Theſ. XI.

Conſecratio illa in duplici ſignificatu accipi ſolet: (1) *totaliter*, h. e. pro tota miniſtri eccleſiæ actione, qua non tantum ſuper ſymbolis, pane & vino, benedictionem ſeu gratiarum actionem peragit, ſed et ſuper iis verba inſtitutioois pronunciat;

(2) *partialiter*, i. e. vel pro sola illa gratiarum actione, vel pro sola verborum institutionis super pane & vino pronunciatione.

§. 1. Consecratio igitur priori modo accepta duos partiales actus, nempe benedictionem seu gratiarum actionem, & verborum institutionis pronunciationem includit.

§. 2. Dum benedictionem & gratiarum actionem promiscue, & tanquam actus *secundum rem* haud differentes hic accipimus, consectamur Evangelistas, apud quos itidem promiscue usurpantur. Quod enim *Matthæus & Marcus* ajunt, Christum *benedicentem* accepisse panem, pro eo *Lucas* dicit, cum *gratias agentem*, panem accepisse. Quamvis igitur benedictio & gratiarum actio in præsenti materia secundum rem non distingvantur, videntur tamen *ratione* quodam modo differre. Eadem enim precationis formula, qua Christus in institutione Cœnæ usus est, ad DEUM Patrem relata rationem εὐχαριστίας seu gratiarum actionis, sed ad symbola, super quibus DEO Patri actæ sunt gratiæ, relata rationem benedictionis habere videtur.

§. 3. Benedictio seu gratiarum actio super symbolis in ecclesia cumprimis oratione Dominica peragitur. Cum enim Scripturæ non memorent, quibus verbis Salvator Patri cœlesti gratias egerit, & symbolis benedixerit, sed testen-

tur

tur saltem, ipsum accepisse panem εὐχαριστήσαντα (gratias agentem,) vel εὐλογήσαντα (benedicentem,) in ecclesiæ libertate positum est, certam benedictionis seu gratiarum actionis formulam, quæ in S. Cœnæ administratione adhibeatur, determinare. Hinc igitur in ecclesia usu receptum est, ut gratiarum actio seu benedictio inprimis *oratione Dominica* peragatur.

§. 4. Gratiarum actio, quæ super symbolis peragitur, consecratio *destinationis* (eo, quod symbola ad sacrum usum destinet,) pronunciatio autem verborum institutionis consecratio *unitionis* (quod causa sit, ut cum pane & vino jam per benedictionem ad usum sacrum destinatis corpus & sanguis Christi ad veram manducationem & bibitionem uniantur) nonnullis Theologis dici solet. Nec enim verborum institutionis pronunciatio, quæ fit a ministro ecclesiæ, est nuda repetitio & historica tantum recitatio verborum institutionis, sed minister ecclesiæ verba illa recitans profitetur (1.), quod sanctissimum Christi Testamentum juxta ipsius præscriptum jam celebrare velit, & proinde ut mysteriorum DEI oeconomus Christi loco & in persona ipsius mysterium hoc peragere; (2.) quod vi verborum institutionis in Christi persona prolatorum efficiat, ut cum pane & vino corpus & Sanguis Christi ad veram manducationem & bibitionem conjungantur.

§. 6. Hic vero de vi & efficacia consecrati-

tionis partialis, quæ in verborum institutionis super symbolis pronunciatione consistit, controverti solet. Reformati nihil tribuunt consecrationi, nisi quod symbola terrena sanctificet, seu ad usum sacrum destinet. Sentiunt enim, in S. Cœna nihil substantialiter adesse præter symbola, panem & vinum, quæ per verborum institutionis recitationem sanctificentur, & in esse signorum sacrorum constituantur. *Pontificii* contra statuunt, per consecrationem fieri conversionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sangvinis ejus. Ast *Lutherani* Doctores hic media via incedunt, & consecrationi non quidem cum *Pontificiis* eam adscribunt virtutem, qua Symbolorum externorum substantiam in substantiam corporis & sangvinis Christi convertat, nec cum *Reformatis* eam tantum vim, qua symbola in esse sacrorum signorum constituat, attribuunt, sed assignant ei virtutem, qua corpus & sangvinem Christi cum pane & vino, in sua substantia permanentibus, ad veram manducationem & bibitionem uniat. Atque hanc consecrationis efficaciam ex ipsis institutionis verbis probatum eunt *Lutherani*. Illa enim Salvatoris instituentis verba: *Hoc est corpus meum, Hoc est Sangvis meus*, clarisime indicant, hoc, quod porrecto pane benedicto ad manducandum exhibetur, esse ipsum Christi corpus, &c, quod poculo porrecto benedicto exhibetur ad bibendum,

es-

esse ipsum sangvinem Christi. Ast non ante consecrationem, seu verborum institutionis super symbolis pronunciationem, sed post verba illa pronunciata porrecto pane benedicto exhibetur corpus Christi ad manducandum, & porrecto poculo benedicto sangvis Christi ad bibendum exhibetur. Ergo per consecrationem fit, ut quod porrecto pane benedicto exhibetur ad manducandum, sit corpus Christi, & quod porrecto poculo benedicto exhibetur ad bibendum, sit sangvis Christi, atque adeo corpus & sangvis Christi cum pane & vino ad veram manducationem & bibitionem uniantur. Hinc non nisi poculum *consecratum* κοινωνία τῦ αἵματος χριστῦ *1. Cor. X, 16.* dicitur.

§. 7. Ea autem virtus, quæ consecrationi in ordine ad corporis & sangvinis Christi cum symbolis unitionem convenit, non consistit in vi quadam physica principali aut instrumentali: Corpus enim Christi cum symbolo panis ad veram manducationem vere ac realiter unire solius Dei tanquam causæ principalis, & Divini Verbi tanquam agentis instrumentalis opus est; sed morali, qua per modum causæ impulsivæ (minus principalis tamen) voluntatem Christi movet ad corpus suum cum pane, & sangvinem suum cum vino sua omnipotentia uniendum. Cæterum distingvendum hic probe est inter consecrationem, seu actum, quo verba institutionis super symbolis pronunciantur, & inter verba institutio-

tionis super symbolis pronunciata. Videlicet etsi consecrationi, seu ministrorum ecclesiæ actioni, qua verba institutionis super symbolis pronunciantur, non competat vis corpus & sanguinem Christi cum symbolis benedictis vere & realiter uniendi non competat, ipsis tamen verbis institutionis convenit non solum virtus moralis, qua voluntatem Christi ad corpus & sanguinem suum cum symbolis conjungendum movent, verum etiam vis, qua simul ac proferuntur, non quidem ut nude historica, nec ratione literarum ac syllabarum spectata, sed ut ratione sensus divini operativa sunt, & tanquam verba omnipotentis Filii DEI, id ipsum, quod sonant, una cum concursu Christi reapse præstant.

§. 8. Constat igitur ex jam dictis, *Bellarminum* Libr. IV. de *Euchar.* cap. XII. injuriam facere *Lutheranis*, quando de iis scribit, quod verba institutionis pro *nuda relatione* & *concione* habeant: Quam calumniam & *B. Gerhardus* h. l. §. 153. confutavit.

Th. XII.

Dispensatio, quam minister ecclesiæ in Sacræ Cœnæ administratione obit, recte peragitur, sive dando in communicantium manus panem consecratum & poculum benedictum, sive utrumque ori communicantium applicando. Quanquam ob infirmos a consuetudine semel recepta non temere rece-

recedendum sit, nec absque Ecclesiæ totius consensu quicquam mutandum.

§. 1. Recte peragi distributionem illam, sive priori, sive posteriori modo fiat, inde patet, quod nihil hic a Christo determinatum sit (h. e. nec traditio in manus, nec ingestio in os ullibi sit præcepta,) distributio autem, in se determinata, utroque modo fieri queat. Hinc tempore *S. Ambrosii*, episcopi Mediolanensis, moris fuit, ut panem eucharisticum communicantes manu acciperent. Hoc quippe clarum est ex *Ambrosii* verbis, quibus (ut *Theodoretus* Hist. Eccles. c. 17. perhibet) Imperatorem Theodosium propter cædem illius mandato in cives urbis Thessalonicæ perpetratam objurgavit. *Istas ne*, inquiebat, *adhuc stillantes injustæ cædis cruore manus extendes, & iis sanctissimum Domini corpus prehendes? Vel, num pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinis dictato furentis animi?*

§. 2. A consuetudine autem, qua alteruter illorum modorum receptus est, haud temere recedendum esse, ex eo liquet, quod Christiani infirmi, quia inter substantialia Sacramenti & ea, quæ eidem accidunt, distinguere satis non possunt, quavis vel levi mutatione facile scandalizentur.

§. 3. Quæ cum ita sint, morem illum quo communicantes ipsi sine turbatione, aut scan-

scandalosa innovatione vel singularitate panem consecratum, & poculum benedictum sumunt, non damnamus, ut ut receptæ sit apud nos consuetudinis, ut minister dispensator singulorum communicantium ori panem & poculum benedictum admoveat. Confer *B. Gerhardus* L. de *Cœna* cap. XV. §. 169.

§. 4. Dissentimus igitur in thesi nostra a *Pontificiis*, qui nulli Laico aut fœminæ Eucharistiam in manus ponendam esse, sed tantum in os ejus, in *concilio Rhotomagensi Can. II.* sanciunt, imo ne sacra vasa quidem ab illis tractari licere Cap. In *sede Romana XLII. dist. I.* de *Consecr.* statuunt.

§. 5. Neque vero ullam hic deprehendimus sufficientem causam, cur unum illum distribuendi & accipiendi modum, quo panis consecratus, & calix benedictus in manus communicantium traduntur, *Reformati* & *Sociniani* tantopere urgeant. *Smalzius* certe ex Socinianis sine ulla solida ratione c. *Franz.* fol. 349. scribit: *Panem ac calicem in manus communicantium tradi nonne est convenientius, quam hominibus ea ab alio ita porrigi, ac si manibus capti essent?* Ipse quoque *Socinus* alterum dispensandi & accipiendi modum, quo panis & calix communicantium ori a ministro dispensatore applicantur, ex falsissima saltem hypothesi perstringit, quando de *us. & fin. Cœn. Dom. Tom. I. Oper.* fol. 756. inquit. *Scio Christianorum vulgus ita ad Cœnam*

Do-

Domini accedere, quasi a Christo aliquid per ejus Ministri manum accepturum, quæ persuasio omnis erroris, qui circa hunc ritum extitit, pravæque superstitionis ac idololatriæ tandem prima origo ac causa fuit. Neque vero ex Reformatis *Johannes Piscator* asserta sua solide probat, quando in *Commentar.* ad *Matth. c. XXVI. pag.* 150. contendit, tum ministri Lutherani Cœnam Dominicam administrantis actionem, qua panem eucharisticum non dat communicantibus in manum, sed indit ori, a Christi Sacram Cœnam celebrantis actione discrepare, tum in Lutheranis ecclesiis, ubi panis eucharisticus e manu ministri non accipitur manu, sed excipitur ore, mandato Domini, qui panem eucharisticum λαβεῖν (i e. manu prehendere,) eumque ori ad edendum indere jusserit, non geri morem.

Th. XIII.

Materia EX QUA Sacræ Cœnæ non datur, cum Sacramentum hoc proprie & in casu recto non sit *substantia* ex materia & forma composita, sed *actio* sacra & ab ipso Christo instituta, in qua corpus ejus sub pane consecrato ad manducandum, & sanguis ejus sub vino benedicto ad bibendum communicantibus exhibentur, & ab iisdem accipiuntur. Unde nec corpus & sanguinem Christi, sed actionem sacram

de Cœna Sacra proprie loquendo & in casu recto prædicare possumus.

Th. XIV.

Differendum igitur de Sacræ Cœnæ materia alio sensu sic dicta, nimirum tum de *materia circa quam* (quæ vulgo dicitur *objectum*,) tum de materia, quatenus hæc idem est quod *materiale* [h. e. conceptus rei communis ac genericus, qui ad plura specie distincta indifferens est, & ad esse talis rei aliunde determinatur.]

Th. XV.

Materia circa quam Sacræ Cœnæ est vel *personalis*, vel *realis*. *Personalis* sunt homines Sacramento Cœnæ reapse fruentes. *Realis* est vel *terrena* vel *coelestis*.

§. 1. Homines sacramento Cœnæ reapse fruentes vocamus sacramenti hujus materiam circa quam seu objectum, quatenus ipsum hoc sacramentum, ut actum distributionis in sua natura includit, circa eos occupatur.

§. 2. Sacramenti *materia cœlestis* hic non sumitur in latissimo illo significatu, quo quamvis rem sacramenti cœlestem denotat: Sic enim non solum verbum institutionis, Sacramento Cœnæ proprium, verum etiam Sacramenti illius causa efficiens principalis & fructus materia ejus cœlestis vocari possent; sed in pro-

proprio & stricto accipitur sensu, quo designat *rem cœlestem* (h. e. rem, quæ etsi non hæreat in cœlo tantum, nec cœlestis sive sidereæ sit substantiæ, rebus tamen terrenis seu corruptibilibus opponitur,) & quidem *eam cœlestem rem, quæ cum elemento externo Sacramenti proprio (ut pane & vino) sacramentalem unionem habet, ut actio sacramentalis,* (nimirum actio distribuendi, accipiendi, comedendi & bibendi,) *dum circa elementum illud versatur, simul circa ipsam occupetur, eamque tractet* (nempe dum panis consecratus dispensatur, accipitur & editur, simul cum pane illo corpus Christi distribuatur, accipiatur & comedatur, & dum vinum benedictum dispensatur, accipitur & bibitur, simul cum vino illo sanguis Christi distribuatur, accipiatur & bibatur.)

Th. XVI.

Materiam terrenam constituunt tantum *panis verus, & vinum verum.* Res enim seu materia terrena, circa quam actio sacramentalis occupata est, ad hoc sacramentum debet esse divinitus destinata: Ast non aliam terrenam rem seu materiam, quam verum panem, verumque vinum ad Sacram Cœnam Christus destinavit.

§. 1. Elementa veri panis & vini veri ad sacramentum Cœnæ divinitus destinata esse, ex

ſacramenti hujus inſtitutione, quam tres Evangeliſtæ & Paulus deſcribunt, pateſcit. Quod enim ad panem attinet, omnes illi ſcriptores ſacri uno ore affirmant, Dominum *Jeſum*, Sacramentum hoc inſtituentem, accepiſſe panem, eumque benedictione præmiſſa fregiſſe: cur autem a proprietate vocabuli panis hic recedamus, nulla plane cauſa adparet. Et quamvis Evangeliſtæ illi & Apoſtolus poculi tantum meminerint, vinum tamen verum & proprie dictum in poculo fuiſſe, evincunt clariſſime, quæ Chriſtus (ut *Matthæus c. XXVI, v.* 29. perhibet) eodem temporis articulo, quo poculum conſecravit & porrexit, elocutus eſt, dicens quippe, ſe poſthac non bibiturum ἐκ τούτου τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου h. e. *ex hoc gennimine vitis*.

§. 2. Theſis noſtra omnibus iis oppoſita eſt, qui loco panis & vini alia elementa terrena in Sacra Cœna ſubſtitui poſſe putarunt, aut ſimul cum pane & vino aliud inſuper elementum uſurparunt: Videlicet (1) *Gnoſticis*, qui, (teſte *Epiphanio* hæreſ. 26.) loco panis ſemine humano uſi ſunt; (2) *Manichæis*, qui *Auguſtino* hær. 46. referente, panem humano ſemine conſperſum adhibuerunt; (3) *Artotyritis* (ἀπὸ τοῦ ἄρτου a *pane*, & τυροῦ *caſeo* ſic dictis) qui *Auguſtino* hær. 28. narrante, cum pane euchariſtico caſeum quoque manducarunt; (4.) *Cataphrygibus*, qui (ut idem *Auguſtinus* hær. 26. teſtatur) loco panis veri ſubſtituerunt maſſam ex farina, & ſanguine, quem

ex

ex infantis anniculi corpore minutis punctionum vulneribus extorsere, confectam; (5) *Aquariis* (quos ideo hoc nomine insignitos *Isidorus* Libr. VIII. *Orig.* c. V. scribit, quod aquam solam in calice Sacramenti obtulerint,) ac proinde illam corruptelam olim amplexis *Enratitis* (de quibus *Clemens Alexandrinus* Libr. II. Pædag. c. 11. videatur,) *Ebionitis* (quibus id tribuit *Epiphanius* hær. 30.) *Manichæis* (quos in eodem hæsisse luto, ex *Augustin.* Libr. XX. contr. Faust. c. 13. liquet;) (6) Jis, quibus loco vini (ut ex concilio *Bracarensi III. c.* 1. constat) lac in usu fuit; (7.) Illis, qui (ut ex Concilio *Carthagin. III. cap.* 24. adparet) vini loco lac & mel usurpaverunt. Qui errores omnes, & si qui alii suppullularunt, licet una cum autoribus suis extincti sint, præstat tamen, eos non ignorari penitus, ut vel inde manifestum evadat, quanta semper Diaboli fuerit malitia, ne quid uspiam sani vel in sacratissimis mysteriis relinqueretur. Vid. *B. Königius* in Cas. Consc. Cas. I. de *Institut. Cœnæ.*

Th. XVII.

Quod si igitur materiam Sacræ Cœnæ terrenam constituunt tantum panis & vinum, sane nec in eo loco, ubi panis aut vinum haberi nequit, aliud quoddam esculentum aut potulentum velut ad sacram Cœnam celebrandam adhibere, nec homini a vino penitus abhorrenti liquorem a-

lium tanquam Sacræ Cœnæ materiam applicare licet. Actio enim, qua præter eam, quæ Sacramenti propria est, materiam alia tractatur, non est Sacramentum.

§. 1. Cæterum homines illi, qui a vino ita abhorrent, ut ne unam quidem ejus guttulam citra nauseam vomitusque periculum forbere queant, adhortandi sunt, ut, dum Sacræ Cœnæ participes fieri non possunt, ejus celebrationi frequentius intersint, & beneficia, passione ac morte Christi parta, devota mente expendant, sibique per fidem applicent. Vid. *B. Bechm.* Theolog. Conscient. Tit. 1. Sect. VI. Cas. XI. §. 4.

§. 2. Pessime autem egit Romanus Pontifex, *Innocentius VIII.* quando (teste *Volaterrano* Lib. VII. Geographiæ fol. 248.) *Norwegis*, penes quos vinum non generatur, & importatum ab immensa frigoris vi cito corrumpitur, in Sacræ Cœnæ celebratione vinum cum mulso permutandi licentiam indulsit. Unde hic quoque errant vehementer *Onuphrius Panvinius* in Chronico ad ann. 1490. & *Bellarminus* Lib. IV. de Eucharist. cap. XXIV. ubi Innocentii autoritatem adversus *Vasquetium* & *Bzovium* tuentur.

§. 3. Nec vero adstipulandum hic *Theodoro Bezæ*, ejusque defensoribus *Reformatis* aliis, qui sub aliis elementis, ubi naturalis panis & vini copia non sit, S. Cœnam celebrare licere contendunt. Ita enim *Beza* Vol. III. Tr. Theol. Ep 2. ad Thom.

Thom. Tilium pag. 195. scribit: *Panis & vinum sunt Cœnæ signa ex Domini institutione. Ubi igitur panis aut vini vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? imo rite celebrabitur, si quod panis aut vini vicem vel ex usu communi, vel pro temporis ratione, supplet, panis aut vini loco adhibeatur.* Atque hoc *Bezæ* assertum propugnarunt *Bucanus* in Institut. Theol. Loco XLVIII. q. 21. p. 712. *Alstedius* in Theol. Polem. part. V. Class. 7. controv. 4. & controv. 8. *David Paræus* Libr. 1. de symbolis sacram. cap. IX. *Samuel Maresius* Syllog. fol. 523. Quorum argumenta B. noster *Königius* in Cas. Conscient. Cas. III. de *Instit. Cœn.* pag. m. 459. seqq. accurate solideque refutavit.

§. 4. Hic quoque nobis adversatur *Socinus*, & ex ejus asseclis *Volkelius*. Ille enim de *us. & fin. Cœn. Dom.* T. I. Oper. fol. 774. scribit: *Absemii aquam bibant.* Hic vero Libr. IV. *de Ver. Relig. c. 22. p. 309.* inquit: *Qualiscunque panis, & qualecunque vinum haberi potest, tali utamur. Imo si cujuspiam natura vinum respuat, nihil vetare existimem, quo minus aqua is utatur: cum sic de Cœnæ Dominicæ summa nihil detractatur.*

§. 5. Quid? quod modeste hic recedamus ab ipso nostro *Bechmanno*, qui in *Theol. Conscientiar.* Tit. I. Sect. VI. Cas. IV. §. 6. docet, cibum ex medulla radicis Indicæ pistum, atque

subacta aqua ad ignem coctum, ad Sacram Cœnam recte adhiberi. Nec enim esculentum illud est verus panis, cum verus & proprie dictus panis ex *farina* & aqua conficiatur, & ad certam consistentiam coquatur, radicis vero Indicæ medulla, molæ contritu ad pinsendum præparata, proprie loquendo non sit farina, quia hæc nomen habet a *farre*, quod est frumentum, solum in usu panis apud priscos Romanos totis trecentis annis habitum, referente *Verrio* apud *Plinium* Libr. *XVIII.* Nat. Hist. c. *VII.* Ratio vero, qua nititur *Bechmannus*, (quod scilicet cibus ex medulla radicis Indicæ pistus eodem modo, quo alius panis, conficiatur, & æque ac alius panis ad nutritionem corporis idoneus sit,) non est valida. Nec enim ad verum panem sufficit, si quid pinsatur, aqua subigatur, atque accedente calore ad masticabilem consistentiam redigatur, &, ad nutriendum corpus aptum sit, sed etiam *farina*, tanquam materia ex qua, & causa intrinsece constitutiva requiritur. Alias enim panis quoque dicendus erit cibus, qui conficitur ex carne, quæ tanta siccitate, ut reddatur ad pinsendum apta, arefit, aqua subigitur, ac per calorem ad masticabilem consistentiam redigitur.

Thes. XVIII.

De ipso autem ad Sacram Cœnam adhibendo pane, sive azymus is sit, sive fermentatus, sive triticeus sive frumentarius

rius alius, sive subtilior & tenuior, sive crassior & vulgaris, per se nihil refert. Hinc ecclesiæ nostræ panem azymum, triticeum, & tenuiorem in Sacræ Coenæ celebratione ex Christiana libertate usurpant.

§. 1. Eam, de qua thesis nostra loquitur, panis eucharistici indifferentiam *Lutherani* Doctores tribus potissimum rationibus comprobant. Quippe (1) neque in institutione Cœnæ, neque alibi in Scriptura Sacra de eo, an azymus vel fermentatus, an triticeus aut frumentarius alius, an tenuior, vel crassior & usualis panis in S. Cœna esse debeat, quicquam determinatur, atque adeo hoc totum in libertate ac dispositione ecclesiæ positum est. (2.) Præcise verus panis ad Sacram Cœnam divinitus destinatus est: Ast tum azymus tum fermentatus, tam triticeus quam frumentarius alius (ut siligineus, hordeaceus, &c.) nec tantum subtilior & tenuior, verum etiam crassior & usualis panis est verus panis, cum azymum & fermentatum esse, crassities & tenuitas accidentia sint, quæ substantia panis manente integra adesse & abesse possunt, neque aliqua frumenti species substantiæ panis quicquam detrahat. (3) Ex illa, quam thesis nostra asserit, indifferentia factum est, ut Ecclesia modo azymum, modo fermentatum panem usurpaverit. Quippe Ecclesia tum Latina, tum *Græ-*

ca inde ab Apostolorum temporibus pane fermentato in Sacræ Cœnæ administratione usa est. Postea vero *Alexander* I. episcopus Romanus (ut *Platina* in vita ejus refert) primus instituit, ut oblatio fieret in azymo, seu ut in S. Cœnæ celebratione panis non fermentatus adhiberetur: Qui mos etiamnum in universa ecclesia Romana, atque in Lutheranis coetibus viget. Ac licet olim super pane evcharistico concertatio qvædam suborta fuerit, Græcis fermentatum, Latinis azymum urgentibus ita, ut Græci (ceu *Magdeburgenses* Centur. X. Histor. Eccles. c. V. perhibent) Latinos azymitas, Latini Græcos fermentarios odiose cognominaverint, ea tamen lis anno 1439. in concilio *Florentino* ita decisa est, ut sua cuilibet parti libertas relinqueretur. Hinc ipsa *Græca* ecclesia nunc fermentato, nunc azymo pane usa est. Namque *Metrophanes Critopulus* in Confess. Cathol. & Apostol. cap. IX. exerte inquit; *In Cœna Dominica requiritur primo materia a Domino tradita: Est autem hæc ἄρτος ἔνζυμος* (i. e. panis fermentatus). *Jeremias* vero, Constantinopolitanus Patriarcha, in *epist.* ad Theologos Würteberg. de *August. Confess.* art. de Cœn. Dom. non scribit solum: *Ultimur ἄρτῳ οὐκ ἐνζύμῳ ἀλλ' ἀζύμῳ* (h. e. pane non fermentato, sed azymo); verum etiam subjungit, *rem non magni momenti esse, sive fermentatus sive azymus panis adhibeatur.*

§. 2.

§. 2. Negari equidem nequit, Christum, quippe qui post manducatum agnum paschalem, atque adeo eo tempore, quo alium, quam azymum panem per legem Mosaicam comedere non licebat, Evchariſtiæ Sacramentum inſtituit, in prima Cœna pane non fermentato uſum eſſe: Aſt negant noſtrates, ex eo conſequi, quod de neceſsitate ſit, ut azymus panis adhibeatur. Nec enim Chriſtus azymo pane uſus talem panem inſtituit, cum nec τὸ azymum eſſe ſit de ſubſtantia panis, nec in inſtitutione Cœnæ de eo, an azymus an fermentatus eſſe debeat evchariſticus panis, quicquam determinetur.

§. 3. Dixi autem ſtudio in theſi noſtra, *per ſe* nihil referre, qualis panis verus adhibeatur. Quamvis enim *per ſe* nihil referat, adhibeaturne azymus an fermentatus, triticeus an frumentarius alius, craſſus uſualis an tenuior & ad hunc uſum peculiariter præparatus panis, quilibet tamen ad Eccleſiæ, cui inſervit, conſvetudinem ſe attemperare debet, ne quid temere mutet. Unumquemque enim eccleſiæ miniſtrum axiomatis illius Theologici: *Ordo in eccleſia bene conſtitutus ſtudio novitatis nequaquam eſt pulſandus*, meminiſſe, ne pacatum ſuæ eccleſiæ ſtatum turbet, & infirmis ſcandalum præbeat, omnem dare operam oportet.

§. 4. Licet igitur non niſi panem azymum in Sacræ Cœnæ adminiſtratione Eccleſiæ Lutheranæ uſurpent, non tamen id fit ex neceſsitate

stitate per Romani Pontificis mandatum imposita, sed ex Christiana, qua illæ Ecclesiæ pollent, libertate: Nec enim Romano episcopo ullam in se jurisdictionem aut potestatem ecclesiæ illæ concedunt. Confer. *B. Tarnovius* Tract. de Minist. Libr. II. cap. XXX. qu. II. Quocirca *Lutherani* panem azymum ad sacram Cœnam alia ex causa adhibent, quam *Pontificii*, quippe qui istiusmodi panem in Sacramento Cœnæ esse debere contendunt, non quidem quod ea qualitas adeo necessaria existimanda sit, ut si illa pani desit, sacramentum confici non possit, sed quod Pontifices Maximi Latinis sacerdotibus præceperint, ut ex azymo tantum sacra mysteria conficiant. Vid. *Catech. Trident.* cap. III. de Euchar. p. 188. 189. §. 4. Ac licet pane tantum triticeo in Sacra Cœna ecclesiæ nostræ utantur, non tamen idem hic statuunt cum *Pontificiis*, qui (ut ex *Catech. Trid. c. III.* de *Euchar.* p. m. 188. constat) panem ex tritico confectum ad Sacramentum Eucharistiæ rigorose requirunt, ac nullum panem, nisi triticeum, aptam ad sacramentum materiam putandum esse docent, atque hinc cætera omnia panis genera, quæ a triticeo materia differunt, nominatim panem ex hordeo, aut ex leguminibus, cæterisque terræ fructibus confectum expresse removent. Existimant enim Lutherani, quemcunque panem proprie dictum, seu frumentarium per se aptam ad Sacramentum Cœnæ materiam esse, panemque tritice-

ticeum ex Christiana saltem libertate usurpant.

§. 5. Dissentiunt hic insuper *Lutherani* a quibusdam *Reformatis*, necessitatem fermenti ad panem eucharisticum urgentibus, quos alii ecclesiæ Reformatæ Doctores, nominatim *Casaubonus* Exercit. Anti-Baron. XVI. cap. XII. confutarunt.

Th. XIX.

Quia igitur de pane in Sacra Cœna usurpando per se nihil refert, sive is sit subtilior & tenuior, sive crassior & vulgaris, ac præcise verus panis ad Sacramentum eucharistiæ necessarius est, ideo ecclesiæ Lutheranæ placentulas orbiculares, quæ vulgo hostiæ vel oblatæ vocantur, in Sacræ Cœnæ administratione recte adhibent. Ille enim placentulæ verus omnino panis sunt, etsi tenuior.

§. 1. Placentulas istas verum esse panem, hocce demonstramus argumento: *Cuicunque convenit essentia, pani inesse debita, illud est verus panis. Atqui placentulis illis orbicularibus convenit essentia, pani inesse debita. Ergo placentulæ illæ orbiculares sunt verus panis.* Cujus argumenti propositio major liquet ex veri illius, de quo hic sermo est, descriptione, qua verum esse dicitur, cui convenit essentia rei inesse debita,

bita, e. gr. verum aurum, quod habet essentiam auro inesse debitam. Sic & minor patet, si omnia panis requisita essentialia expendamus. Videlicet ad panem requiritur (1.) ut ex farina proprie dicta (seu ex farina frumentaria) & ex aqua inter se mixtis constet, (2) ut humiditas virtute ignis sit absumta, (3) ut tota massa ad masticabilem consistentiam consolidata sit & redacta, (4) ut sit substantia nutritioni corporis idonea. Quæ essentialia panis requisita *Plinius* Libr. XV. Nat. Hist. c. XV. sic enunciat: *Panis constat farina & aqua inter se commixtis, ut crassiore humore per calorem absumto consistant, atque masticari & in corporis nutritionem cedere queant.* Atqui omnia illa requisita in placentulas nostras orbiculares cadere manifestum est. Præterquam enim quod ex farina triticea & aqua inter se mixtis constant, & humiditate per calorem fornacis absumta ad masticabilem consistentiam consolidatæ sunt, sane etiam (si in debita quantitate sumantur) nutritioni corporis inserviunt. Cur autem ea quantitate, qua nutriendi vim sensibiliter actu exerunt, in S. Cœna non comedantur, causa est, quod non nutriendi corporis gratia Sacra Cœna instituta est, neque in Sacramento illo panis hoc fine ad vescendum datur, sed ut sit corporis Christi exhibendi medium atque vehiculum. Hinc ex ipsis Reformatis *David Pareus* im Bedencken von Brodt-brechen/ fol. 59. placentulis nostris orbicularibus definitionem panis competere confitetur. §. 2.

§. 2. Nostrum insuper assertum, quod hostiæ vulgo sic dictæ verus panis sint, multi *Reformati* partim voce, partim ipsa sua praxi approbarunt. *Embdenses* enim im kurtzen schrifftmäßigen Bericht fol. 16. 17. edit. Marburg. ann. 1605. & *Martinius* Tract. V. cap. VI. fol. 228. hostias nostras verum panem esse agnoscunt. Sic & *Basileenses*, *Bernenses*, & *Angli* Reformati, qui referente *Zanchio* Libr. 1. Epistol. fol. 233. hostias in Sacra Cœna adhibuerunt, hac ipsa sua praxi testati sunt, se istas placentulas pro vero pane habere: Namque ad verum Eucharistiæ sacramentum verus panis requiritur.

§. 3. Ipsa nostra thesis tum *Reformatis* compluribus, tum Sociniano *Doctori Valentino Smalzio* adversatur. Ex multis Reformatis producimus nunc *Wendelinum*, qui Libr. 1. Christ. Theol. c. 23. th. 13. expl. n. 2. contra hostiarum usum prolixe disputat, & placentulas illas, quippe quas nebulas panis dicit, verum panem esse inficiatur. *Smalzius* vero contr. Franz. fol. 349. scribit: *Defendi nullo modo potest, quod pro pane hostia usurpatur.* Cui Doctori præter nostrum in præcedentibus traditum argumentum opponimus autoritatem antesignani sui, ipsius *Socini*, qui de *us. & fin. Cœn. Domin.* Tom. I. Oper. fol. 774. ait: *Hostia etiam, quam Oplateck vocant* (Poloni,) *esse potest, quia panis est & frangi potest.*

§. 4.

§. 4. *VVendelini* argumenta contra thesin nostram directa *Bechmannus* in Annot. ad Hutter. Loc. *XXI.* Qu. I. §. 16. seqq. & in *Theol. Polem.* Part. *III.* Loc. XIV. contr. IV. examinavit. Nos in præsenti occurremus exceptioni, quæ argumenti nostri in §. præced. 1. prolati minori propositioni a *VVendelino* opponitur. Videlicet quando is materiam panis proximam, quam farina & aqua rite elaborata & dispositam constituit, placentulis orbicularibus convenire negat, regerimus nos, placentulas illas omnino ex farina & aqua rite elaborata & dispositam constare, cum farina & aqua invicem misceantur, totaque massa, humiditate per calorem fornacis absumta, ad masticabilem consistentiam consolidetur ac redigatur.

Th. XX.

Et cum loco placentularum orbicularium *Lutherani* panem crassiorem & usualem adhibere vi libertatis Christianæ potuerint, eas tamen retinuerunt, quia a multis retro seculis fuerunt receptæ, &, cur abolerentur, causæ nihil apparuit.

§. 1. Placentulæ illæ jam tum tempore *Epiphanii*, adeoque seculo IV. in usu fuisse videntur. Is enim in *Ancor.* mentionem facit panum στρογγυλοειδῶν (h. e. *rotundam formam habentium*,) per quos placentulas nostras orbiculares intelligere videtur.

§. 2.

§. 2. Illa, quæ ad abolendas hostias a quibusdam *Reformatis* adduci solet, ratio, quod nempe *Pontifices Romani eas contra institutionem Christi introduxerint*, nulla plane est. Negamus enim, quod placentulæ illæ contra institutionem Christi introductæ sint. Christus enim præcise panem verum & substantialem, sive crassus ille sit sive tenuior, instituit ac determinavit: at placentulas illas verum & substantialem panem esse, liquidissime constat. Nec vero sufficiens easdem illas placentulas rejiciendi causa est, quod in Papatu ex ea ratione *hostiæ*, itemque *oblatæ* dicantur, quia in sacrificio missæ, quod *Pontificii* confingunt, offerantur in victimam incruentam, ut illi loqvuntur. Neque enim ex illa causa, eumque in finem, sed tantum, ut corporis Christi exhibendi medium & vehiculum sint, ad veteris ecclesiæ, ex qua etiam ad *P*apatum pervenerunt, exemplum apud nos usurpantur, cum nullum sacrificium proprie dictum, nihil, quod etiamnum victima sit, in Sacræ Cœnæ celebratione agnoscamus. Accedit, quod propter abusum, qui rei per accidens competit, non statim res ipsa tolli debeat, sed abusum abrogasse sufficiat.

Thes. XXI.

De ipso etiam ad S. Cœnam adhibendo vino, sive id rubrum sit sive aliter coloratum, sive nobile sit & forte, sive ignobile ac minus generosum, nihil refert.

§. 1. Nam (1) Christus præcise verum vinum ad Sacram Cœnam destinavit, cum historia evangelica, in qua institutio hujus sacramenti consignata est, simpliciter fructus vitis, seu vini mentionem faciat: Ast tum rubrum, tum aliter coloratum, nec solum forte ac nobile, sed & ignobile ac minus forte vinum est verum vinum, cum rubrum aut album esse, forte aut ignobile esse, sint accidentia, quæ, substantia vini manente integra, adesse & abesse possunt. (2) Neque in institutione Cœnæ, neque alibi in Scriptura Sacra de eo, an rubrum vel aliter coloratum, an generosum vel minus forte vinum in Sacra Cœna esse debeat, quicquam determinatur, atque adeo hoc totum libertati nostræ relinquitur.

§. 2. Negari equidem prorsus nequit, Christum, qui in regione orientali ac generosi vini ferace Sacram Cœnam instituit, in prima cœnæ celebratione vinum forte adhibuisse; sed quod ipse tantæ etiam præstantiæ vinum ad Sacramentum hoc destinaverit, ex nulla ratione adparet.

Thes. XXII.

Neque necesse est, ut *vinum*, quod in Sacra Cœna usu venit, *aqua temperatum* sit.

§. 1. Si enim ulla vini istiusmodi usurpandi necessitas esset, ea vel ex institutione divina vel ex alia quadam causa nasceretur. Atqui necessitas illa haud oritur ex divina institutione, quia

quia in tota historia evangelica, quæ Sacræ Cœnæ institutionem tradit, nulla prorsus vini diluti mentio fit, sed in ea simpliciter fructus vitis commemoratur. Nec vero ulla alia causa, quæ istam necessitatem progignat, hic conspicitur. Certe cum *Pontificiis* asserere haud licet, eam aut ex Christi, quem vinum aqua temperatum ob vini orientalis generositatem in prima Cœnæ celebratione adhibuisse Patres credunt, exemplo, aut ex eo, quod in S. Cœna per vini & aquæ mixturam res spirituales ex intentione divina significandæ ac repræsentandæ sint, promanare. Non, inquam, Christi exemplum necessitatem aliquam hic inducit. Si enim Christus (quod multis improbabile videtur) in prima cœnæ celebratione vinum aqua temperatum adhibuit, id non factum est, quod in sacramento hoc materiæ terrenæ pars esse debeat, sed per accidens & eo contigit, quod vinum in ista regione ita forte esset, ut sine temperamento bibi non soleret: Quæ causa quia in nostris regionibus cessat, merito vinum merum nostræ ecclesiæ adhibent. Et, si ideo, quod CHRISTUS vinum dilutum in prima Cœnæ celebratione adhibuerit, tale vinum, quandocunque S. Cœna celebratur, necessario usurpandum esset, hostias quoque abrogari oporteret: Salvator enim in prima Cœna pane crassiore usus est. Neque vero affirmati potest, ex eo, quod in S. Cœna per vini & aquæ mixturam res quædam spirituales (nempe sangvinis & aquæ ex perfosso

Christi latere profluentes rivi, unio Christi cum ecclesia, duarum in Christo naturarum conjunctio) ex intentione divina significandæ ac repræsentandæ sint. Profecto mixtura illa nec debet nec potest sangvinis & aquæ ex Christi latere ebullientes rivulos repræsentare. Unde enim ex Scriptura evinci poterit, Christum usquam repræsentationem istam intendisse? Et quomodo, quæso, vinum dilutum istos ex Christi latere excurrentes fluvios poterit repræsentare? Nec enim aqua sangvini permixta, sed alio sangvis, alio ac separato rivulo aqua liquida ex Salvatoris latere exivit. Hinc ex ipsis Pontificiis *Suarezius* in Thom. Part. III. qu. 51. art. 31. Disp. XLI. §. 2. scribit: *Dicendum sine dubio est, in passione Christi sangvinem & aquam exivisse impermixta & loco separata.* Sic & nulla ratione probari potest, quod in S. Cœna per aquæ & vini mixturam unio Christi cum ecclesia repræsentari debeat. Quamvis enim per panis benedicti, qui est communio corporis Christi, & per calicis benedicti, qui est κοινωνία sangvinis Christi, participationem unio Christi cum ecclesia significetur, nullo tamen pacto evinci potest, talem unionem in S. Cœna per vini & aquæ mixtionem ex DEI intentione repræsentari. Neque tandem ulla verisimilitudine inferri potest, vinum dilutum in S. Cœna ex divina intentione unionem duarum Christi naturarum repræsentare debere. Nec enim de illa DEI intentione quicquam in S. Cœnæ

næ institutione continetur, nec alias in sacris literis ipsa Sacra Cœna ad unionem illam designandam instituta esse perhibetur.

§. 2. Hic igitur contradicimus magnopere *Pontificiis*, qui, licet *sacramentum constare posse* concedant, *si aqua desit*, statuunt tamen, *aquæ vino admiscendæ ita graves rationes esse, ut eam sine mortali peccato prætermittere non liceat.* Vid. *Catechismus Tridentin.* cap. III. de Evch. p. 190. Conferatur *Bellarminus*, qui quamvis Libr. IV. de Sacram. Evchar. cap. 19. dicat, quod *Ecclesia Catholica semper crediderit, ita necessarium esse aqua vinum misceri in calice, ut non possit id sine gravi peccato omitti*, capite tamen 9. ubi quærit, an sacramentum evchariſtiæ sine aqua consistere possit? subjungit, *communem opinionem in partem affirmativam propendere.*

§. 3. Non autem licentiam, sed *necessitatem* tantummodo vini diluti ad S. Cœnam adhibendi in thesi nostra negamus. Quod si enim in locis calidioribus, ubi vinum maxime generosum nascitur, & consvetudo requirit, ut vinum aqua misceatur, Sacramentum hoc administratur, vinum aqua temperatum adhiberi posse non inficiamur.

Thes. XXIII.

Atque duo illa, de quibus hucusque disseruimus, symbola, panis & vinum, in Sacra Cœna etiam post consecrationem

quoad substantiam (seu essentiam) permanent, quod antea erant.

§. 1. Acris hic controversia toti *Protestantium* choro intercedit cum *Pontificiis*, qui unanimiter contendunt, per consecrationem panem & vinum *transsubstantiari*, seu id effici, ut tota panis & vini substantia removeatur, nec quicquam præter externam speciem, seu præter nuda accidentia, sub quibus corporis & sangvinis Christi substantia præsens sit, de pane & vino in S. Cœna reliqvum maneat. Duæ autem de transsubstantiatione ista sententiæ in *Tridentino Concilio* (ut *Petrus Suavis* in synodi illius historia Libr. IV. pag. 366. 367. refert) olim tradebantur. Docebant enim *Franciscani*, panem & vinum in S. Cœna ita transsubstantiari, ut in vicem substantiæ panis & vini corpus & sangvis Christi in momento succedat, hancque mutationem transsubstantiationem, non quod ex substantia panis substantia corporis CHRISTI fiat, sed quod hæc illi succedat. *Dominicani* vero statuebant, totam substantiam panis & vini in substantiam corporis & sangvinis Christi, materiam panis & vini in materiam corporis & sangvinis Christi formam panis & vini in formam corporis & sangvinis Christi converti, atq; hanc conversionem proprie appellari transsubstantiationem. Quam (*Dominicanorum*) sententiam ipsum *Concilium* sess. XIII. cap. IV. disertis verbis inculcavit, & quidem can. II. tanto impetu, ut, si quis negaverit *mirabilem illam conver-*

versionem seu *transsubstantiationem*, ei *anathema* denunciaret.

§. 2. Protestantes suam doctrinam jam ante Tridentinum Concilium in ipsis *Smalcaldicis Articul.* P. III. art. VI. p. m. 330. probarunt ex 1. *Cor. X. 16.* ubi Paulus scribit: *Panis, quem frangimus, nonne est communio corporis Christi?* & ex 1. *Cor. XI. 28.* ubi idem Apostolus inquit: *Probet autem homo se ipsum, & ita edat de pane.* Verba *Protestantium* memoratu digna l. c. ita habent: De *Transsubstantiatione nihil curamus subtilitatem sophisticam, qua fingunt* (Sophistæ Pontificii,) *panem & vinum relinquere & amittere naturalem suam substantiam, & tantum speciem & colorem panis & non verum panem remanere. Optime enim cum sacra scriptura congruit, quod panis adsit & maneat, sicut Paulus ipse nominat: Panis quem frangimus. Et; ita edat de pane.* Ipsum igitur argumentum in forma quasi huc redit: *Quemcumque panem Apostolus plus vice simplici sine ullo acceptionis, qua panis denotet id, quod fuit panis, aut alterius cujusdam impropriæ significationis indicio panem vocat, ille proprie loquendo est panis* (seu est panis verus & substantialis). *Atqui panem eucharisticum, & voce ministri jam per verba institutionis pronunciata consecratum Apostolus plus vice simplici sine acceptionis, qua panis denotet id, quod fuit panis, aut alterius cujusdam impropriæ significationis ullo indicio panem vocat. Ergo panis eucharisticus, & voce ministri jam per*

verba institutionis pronunciata consecratus, proprie loquendo est panis (seu est panis verus & substantialis). Major propositio evidentissima est. Propriæ enim vocum significationi inhærendum est, quamdiu non evidens necessitas aut ratio urget, ut ab ea discedamus. Hinc ex ipsis Doctoribus Pontificiis *Bellarminus* Lib. 1. de Evchar. c. XII. scribit: *Sensus proprius & literalis semper est eligendus, nisi evidenter probetur contrarium.* Minor quoque propositio clarissime patet. Quando enim Apostolus in locis citatis panem evcharisticum & consecratum appellitat panem, nulla apparent indicia, ex quibus constet, vocabulum panis denotare id quod fuit panis, aut alium quendam significatum improprium obtinere.

§. 3. Ad primum illud *Protestantium* argumentum (1.) excipiunt *Pontificii*, sæpe in scripturis id, quod dicitur aliquid esse, sumi pro eo, quod fuit, cum e. g. in illa *Matth. XI, 5.* consignata propositione: *Cæci vident*, vox cæci sumatur pro iis, qui fuerunt cæci, & baculus Aaronis, licet conversus fuerit in serpentem, *Exod. VII. 12.* adhuc vocetur baculus. Verum enim vero exceptio hæc majorem laudati argumenti propositionem, contra quam tamen directa est, nulla ratione subvertit. Ea enim propositio saltem de pane, qui Apostolo sine acceptionis, qua denotet id, quod fuit panis, aut alterius cujusdam improprii significatus indicio panis dicitur, asse-

rit,

rit, quod sit verus & substantialis panis. Ast in Scripturis manifesta extant indicia, ex quibus constat, vocem *cœci Matth. XI, 5.* pro iis, qui cœci fuerunt, accipi, & *Exod. VII, 12.* baculi nomen pro eo, quod fuerat baculus, usurpari: Diserte enim de cœcis illis dicitur, quod Christus eos videntes fecerit, & de baculo isto, quod in serpentem fuerit mutatus. Unde si *Pontificii* majorem nostram propositionem prosternere velint, adferre in medium necesse habebunt ea Scripturæ loca, in quibus id, quod dicitur aliquid esse, absque ullo impropriæ hujus acceptionis indicio pro eo, quod fuit, accipiatur. Excipiunt *Pontificii* (2), occurrere omnino *1. Cor. X.* indicium, ex quo pateat, versu etiam decimo sexto, ubi panis, quem frangimus, communio corporis Christi vocatur, vocem panis pro eo, quod panis fuit, accipi: Urgent quippe hæc versus proxime insequentis decimi septimi verba: *Unus panis multi sumus.* Sed vero nullum deprehenditur indicium, ex quo manifestum fiat, in hisce Apostoli verbis panem sumi pro eo, quod fuit panis. Ipsi certe *Pontificii* fatentur, Apostoli mentem esse, quod nos multi (Christiani) unus quasi panis, & quasi unum corpus simus, cum nos omnes ex uno illo pane participemus. Scilicet Apostolum a pane sacramentali ad panem mysticum, seu corpus mysticum argumentari patet.

§. 4. Aliis insuper rationibus validissimis suam *Protestantes* thesin constabiliunt. Hunc quippe in modum porro argumentantur: *Si accidentia panis & vini, ut color, figura, sapor, &c. post consecrationem supersunt, sequitur, quod ipsa quoque panis & vini substantia post consecrationem remaneat.* Antecedens non solum sensibus patet, verum etiam ab ipsis edocetur *Pontificiis* qui (ut ex *Bellarmin.* Lib. III. de Eucharist. c. XVIII. & *Tanner. p. III.* Disp. V. cap. VI. Dub. 1. constat) in Eucharistia sub panis & vini accidentibus corpus & sanguinem Christi poni sentiunt. Sic & consequentia liquidissima est & inconcussa. Si enim accidentia panis & vini post consecrationem remanent, sane post consecrationem inhærent subjecto, cum τὸ subjecto inhærere sit essentia & natura accidentis, naturæ autem seu essentiæ rerum æternæ sint ac immutabiles (h.e. cum rebus illis, quarum sunt essentiæ, connexionem tam necessariam habeant, ut ab iis, quamdiu sunt & qua sunt, ne quidem per absolutam DEI potentiam separari possint.) Illud autem subjectum, cui residua post consecrationem panis & vini accidentia inhærent, aliud esse non potest, quam panis & vini substantia. Quod si enim accidentia ista non ipsi panis & vini substantiæ, sed alii cuidam subjecto substantiali inhærerent, subjectum illud foret corpus & sanguis Christi, atque adeo (quod absurdissimum dictu est) corpus Christi æque, ut panis, rotundum

dum ac coloratum esset, aliaque panis accidendentia in se contineret.

§. 5. *Pontificii*, ut invictum secundi hujus *Protestantium* argumenti robur infringant, modo hanc, modo illam exceptionem frivolam comminiscuntur. Nunc enim obtendunt, essentiam accidentis esse tantum *potentialem inhærentiam*, non vero requiri ad accidens, ut actu insit in subjecto. Ast sicut non sufficit ad rationem substantiæ in oppositione ad accidens prædicamentale sic dictæ, si possit sine subjecto existere, etiamsi sine subjecto non existat actu; ita etiam essentia accidentis non consistit in eo, quod illud in subjecto existere possit, sed ratio accidentis in eo posita est, quod ipsum *existat actu* in subjecto. Hinc & *Aristoteles*, quem suum velut ducem assectatur alias schola Pontificia, haud docet accidens id esse, quod in subjecto esse potest, sed in subjecto esse ait.

§. 6. Cæterum suum illud commentum, quod *actualis inhærentia non sit de essentia accidentis*, antagonistæ ratione multiplici comprobatum eunt. Videlicet (1) urgent, quod juxta *Basil.* Homil. 2. & 6. de *Opere sex dierum* lux primo die creata tribus diebus sine subjecto manserit; (2) quod juxta *Aristotelem* Libr. III. de Anim. t. 9. aliud sit magnitudo, aliud magnitudinis esse seu existentia, adeoq; & inhærentia, quippe quæ est quidam existentiæ modus, ab accidente ejusque essentia distinguatur; (3) quod *Aristote-*

ſtoteles Libr. IV. Phyſ. t. 58. quærat, an ſpatium cenſendum eſſet vacuum, ubi eſſet color aut ſonus? Sed reſp. ad 1. *Lux* primigenia minime fuit accidens ſine ſubjecto exiſtens, ſed corpus quoddam æthereum & lucidum, dependenter a ſubſtantia cœli productum, & *ſolis vice* fungens, imperfectum tamen, cui poſtea pleniorem lucem & perfectionem DEUS addidit, ut tunc demum ſolis rationem plane obtineret. Nec vero aliud quid hic olim *Baſilius* tradidit. Neque enim docuit ille, lucem primigeniam extitiſſe velut accidens ſine omni ſubjecto, ſed ſtatuit ſaltem, quod lux iſta absque ſole fuerit. Ad 2. reſp. Sophiſtæ Pontificii *Ariſtotelis* ſui mentem non aſſeqvuntur. Is enim ſicut Libr. III. de *Anim.* t. 9. per magnitudinem ipſum ex forma & ſubjecto ſeu materia compoſitum intelligit, ita τὸ eſſe magnitudinis non pro exiſtentia, ſed pro forma compoſiti accipit. Quæ *Ariſtotelis* ſenſa ex eruditiſſimis ejus interpretibus Græcis *Themiſtius* in paraphraſ. Libr. III. de *Anim.* t. 16. ſic declarat: *Primum illud ſciendum, aliud eſſe aquam ipſam, aliud eſſentiam aquæ. Aqua enim eſt id, quod uſurpatur ſenſu, ex materia & forma concretum eſſe: forma autem eſt* τὸ εἶδος καὶ καθ' ὃ ἐστιν ὕδωρ (h. e. ſpecies & id, ſecundum quod eſt aqua.) *Nec aliter de artefactis ſentiendum eſt. Aliud enim ſunt ædes, aliud eſſe ædibus ſuum: aliud ſtatua aliud eſſe ſive eſſentia ſtatuæ. Ædes ſunt figura ipſa cum Lateribus, lignis, tegulis, ſcandulis: eſſentia ædium*

ἡμιοφὴ

ἡμορφὴ καὶ σύνθεσις ἡ τοιάδε (forma ipsa & structura talis.) Ad 3. resp. *Aristoteles* Libr. IV. Phys. t. 58. non quærit, an spatium putandum esset vacuum, ubi solus esset color aut sonus sine omni subjecto substantiali, sed, cum refellat eos, qui vacuum esse docebant, in quo non est corpus tangibile, scisitatur potius, ecquid dicendum sit, si in eo sit color & sonus, non quidem sine subjecto, sed cum subjecto? Quam genuinam *Aristotelis* mentem ex interpretibus Græcis *Simplicius* explicat, quando *comment.* in h. l. inquit: *Si aër, quem vacuum dicunt, accipiat colorem aut sonum, aut aliam sensibilem qualitatem, differentem ab iis, quæ tactu percipiuntur, utrum manet vacuum, an non?*

§. 7. Jesuita *Tannerus*, ubi animadvertit, essentiam accidentis in *actuali inhærentia* positam esse, *p. III. Disp. V. qu. VI. dub. 1.* novum quoddam miraculum hic confingit, accidentia panis & vini post consecrationem novo miraculo *per se* existere contendens. Ast licet divina potentia nullo plane limite circumscribatur, id tamen miraculum per ipsam effici non potest, ut res sine sua essentia existat: Hoc enim contradictionem implicat, DEI vero potentia ad ea, quæ important contradictionem, se se non extendit. Excipit ibidem *Tannerus*, porro, *DEUM posse solo suo concursu in genere causæ efficientis supplere munus dependentiæ, quam habet accidens a subjecto.* Sed vero hoc quoque Negatur, Namque

que concursus, quo suppletur munus dependentiæ, quam habet accidens a subjecto, nihil aliud est, quam actio, qua accidens extra subjectum constituitur; at vero per nullam DEI omnipotentis operationem accidens extra subjectum constitui potest, cum ejus (accidentis) essentia in dependentia a subjecto consistat, essentiæ autem æternæ ac simpliciter immutabiles sint, salvis que manentibus rebus illis, quarum sunt essentiæ, ne quidem per absolutam & immensam DEI potentiam tolli possint.

§. 8. *Protestantes* tertio contra *Pontificios* hic ita disputant: *Quæcunque sententia essentialem accidentium significationem tollere nititur, falsaque signa in Eucharistia ponit, ea omnino explodenda est. Atqui sententia de transsubstantiatione essentialem accidentium significationem tollere nititur, falsaque signa in Eucharistia ponit. Ergo sententia de transsubstantiatione omnino explodenda est.* Major inde liquet, quod essentialis rerum significatio tolli non possit, & Sacramento sit adversum, falsa in eo signa ponere. Minor ex eo patet, quod accidens, quippe quod per essentiam suam subjecto substantiali ineat, natura & per essentiam sit signum substantiæ existentis, ea vero, quam *Pontificii* de transsubstantiatione fovent, sententia doceat, accidentia panis & vini sine ipsa panis & vini substantia adesse. Vid. hic omnino *B. Christiani Drejeri* Disp. adversus Pontificios trigesima tertia.

§. 9.

§. 9. *Quarto* itidem ex Aristotelicæ Philosophiæ principiis, quibus tota addicta est secta Pontificia, sic argumentamur: *Si quantitas panis in Eucharistia remanet, sequitur, quod tota panis substantia in Sacramento isthoc non deperdatur.* Antecedens *Pontificii* ubivis profitentur. Consequentia inde liquet, quod panis utique sit corpus, doceant vero *Aristotelici*, quantitatem corpori non accidentaliter, sed *per se* competere, cum illud sit quantum per se, & quantitas sit differentia ejus essentialis. Quo pertinet sane, quod ex Græcis *Aristotelis* interpretibus *Ammonius Hermiæ* in commentar. ad categor. Quant. scribit: *Quærunt, cur corpus inter quantitatis species numerarit, cum corpus substantia sit? Dico & quantitatem substantialem esse, ut in igne calor est substantialis qualitas, in corpore trina dimensio substantialis quantitas est.*

§. 10. Speciatim *tandem* contra *Dominicanos*, omnesque eos Doctores Pontificios, qui totam panis & vini substantiam in substantiam corporis & sanguinis Christi converti ac transmutari opinantur, sic disputamus: *Si ista in Eucharistia conversio & transmutatio fit, sequitur, quod ante illam ipsam conversionem & transmutationem corpus & sanguis Christi non sint actu, sed tantum potentia:* Conversio enim & transmutatio substantialis est, cum substantia, quæ antea non actu sed tantum potentia erat, ex substantia alia producitur, idque vel per naturam, ut

cum

cum e. gr. ex ovo pullus generatur, vel per absolutam DEI potentiam, ut quando e. gr. aqua in vinum convertebatur.

Th. XXIV.

Quamvis vero symbola illa, panis & vinum, per totam eucharistiam in esse suo permaneant, tamen consecratione peracta, ac ipsa consecrationis vi cum alia insuper *materia*, *coelesti* nimirum, quæ in *corpore* & *sanguine Christi* consistit, ita uniuntur, ut cum pane corpus Christi communicantibus æque omnibus vere ac realiter dispensetur, & ab illis etiam accipiatur, & proprie loquendo seu *oraliter* manducetur, atque cum vino sanguis Christi communicantibus pariter omnibus vere ac realiter dispensetur, & ab illis etiam accipiatur, proprieque loquendo seu *oraliter* bibatur. Id quod liquido evincunt *verba institutionis*, siquidem accipiantur in *sensu proprio*, in quo etiam accipi omnino debent.

§. 1. Manducatio illa, qua corpus Christi una cum pane, cui sacramentaliter unitum est, ore manducatur, dicitur manducatio *sacramentalis*; sicut & bibitio, qua sanguis Christi una cum vino, cui sacramentaliter unitus est, ore

ore bibitur *sacramentalis* bibitio appellatur.

§. 2. Licet vero *tota* manducatio sacramentalis, ut & *tota* bibitio sacramentalis peragatur ore, & illa uno actu simul manducationem panis benedicti & manducationem corporis Christi, hæc uno actu simul bibitionem consecrati vini, & sanguinis Christi complectatur, non tamen quo modo panem & vinum benedictum, eo etiam corpus & sanguinem Christi manducamus & bibimus. Nam symbola, panem & vinum, manducamus & bibimus naturali, sensibili & vulgari modo, ita ut sensu tactus & gustus percipiantur, & easdem, quas cibi ac potus alii, mutationes experiantur: Corpus autem & sanguinem Christi manducamus & bibimus modo supernaturali, insensibili, nobisque plane incognito & incomprehensibili: Non enim tactu Christi corpus, non gustu illud percipimus: Non dentibus comminuimus, imo, quod illud accipiamus & manducemus, nec sensu nec ratione cognoscimus, sed tantum credimus propter verba Christi modo, quo illud fiat, divinæ sapientiæ relicto. Similiter sanguinem Christi non tactu non gustu percipimus, imo quod eum bibamus, nec sensu, nec ratione assequimur, sed rursum propter verba Christi credimus.

§. 3. Manducatio corporis & sangvinis Christi sacramentalis contradistingvitur manducationi & bibitioni corporis ac sangvinis Christi *Spirituali*, non quatenus manducatio & bibitio

spiritualis opponitur naturali, & idem est ac supernaturalis, sed quatenus opponitur orali, atque idem esse dicitur ac manducatio & bibitio, quæ tantum per fidem fit. Quocirca *manducatio* corporis Christi *spiritualis*, uti h. l. accipitur, consistit in actu credendi, prout hic fertur in carnem Christi, in qua pro nobis passus est, seu in corpus ipsius pro nobis in mortem traditum (h. e. in actu credendi, quo quis Christi passionem ac mortem ita secum expendit, ut credat, pro se etiam in individuo corpus Christi in mortem traditum esse): Similiter bibitio sangvinis Christi spiritualis posita est in actu credendi, prout hic fertur in ipsius sangvinem pro nobis effusum (h. e. in actu credendi, quo homo credit, pro se etiam in individuo sangvinem Christi effusum, & ea sangvinis effusione sibi in individuo gratiam DEI, remissionem peccatorum, & salutem æternam acquisitam esse). Ipsomet autem Salvatore *Joh. VI. 35. 50, 51.* & seqq. præeunte illi credendi actus manducatio & bibitio corporis & sangvinis Christi *spiritualis* vulgo dicuntur. Quando enim (α) Salvator v. 35. inquit: *Ego sum panis illæ vitæ: qui venit ad me nequaquam esuriet: & qui credit in me, non sitiet unquam*, actioni veniendi ad Christum, seu (ut ipse explicat) actioni credendi in ipsum tribuit, quod expleat famem & sitim, quod alias manducationi & bibitioni convenit: Quo ipso sane Servator actionem credendi manducationem & bibitionem quandam

(non

(non quidem corporalem, sed spiritualem) haud obscure nuncupat. Quando (β) Christus v. 50. & 51. inquit: *Hic est panis ille, qui e coelo descendit, ut qui eo vescitur, non moriatur. Ego sum panis ille vivificus, qui e coelo descendit. Si quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum; Panis autem, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita*; diserte manducationem vocat, quod antea dixerat credere in Christum. Quando (γ) v. 53. ait. *Nisi ederitis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habetis vitam in vobis*, non nisi de manducatione & bibitione, quæ credendo peragitur, disserit. Quamvis enim carnem Christi etiam sacramentaliter edamus, ejusque sangvinem etiam sacramentaliter bibamus, illa tamen carnis Christi manducatio, & sangvinis ipsius bibitio, ad quam vita æterna præcise est alligata, non nisi spiritualis manducatio & bibitio est.

§. 4. Ad differentiam manducationis hujus spiritualis manducatio corporis Christi *sacramentalis* haud abnuentibus Patribus & ecclesiæ Doctoribus priscis (utpote qui, ut eorum locis & verbis longa serie adductis *Chemnitius* in in tract. de *fundamentis Cœnæ* c. 10. & *Gerhardus* L. de S. *Cœna* §. 178. observant, in usu frequenti fuit, ut corpus Christi ore accipi, ejusque sangvinem ore bibi dicerent) manducatio corporis Christi *Oralis* vocari solet. Ita autem appellatur ab *organo*, quo peragitur, seu ita denominatur

quod *ore* corporis fiat. Unde & per oralem corporis Christi manducationem in S. Cœna nihil intelligimus aliud, quam *actum oris, quo panem benedictum accipientes & manducantes, simul corporis Christi modo supernaturali, insensibili, nobisque incomprehensibili reddimur participes, ut sicut illud acceptum & manducatum in corporis nutrimentum naturale cedit, idque per conversionem sui in illius substantiam ad hanc terrenam vitam nutrit aut nutrire aptum est, ita hoc simul acceptum in animæ nutrimentum spirituale cedat, eamque per suam vim vivificam absque ulla sui mutatione ad vitam æternam nutriat.* Atque ex his simul apparet, non tantum inter *oralem* corporis Christi manducationem, quam *Lutherani* statuunt, & inter manducationem corporis Christi *Capernaiticam* (seu qualem Capernaitæ, h. e. Christi in synagoga Capernaitica auditores, *Joh. VI, 52.* sibi imaginabantur,) sed & in genere inter manducationem oralem & naturalem probe distingvendum. Multis videlicet modis manducatio corporis Christi *oralis* (quam *Lutherani* credunt) & Capernaitica invicem differunt. Quippe (1) Capernaitæ existimabant, Christum carnem suam physico, vulgari, & sensibili (seu visibili ac palpabili) modo comedendam offerre: Lutherani vero statuunt, carnem Christi ore corporis in S. Cœna supernaturali & insensibili modo accipi. (2) Capernaitæ putabant, Christum suam carnem immediate comedendam proponere: *Luthe-*

Lutherani vero docent, corpus Christi in *S.* Cœna mediante pane manducari (z) Capernaitæ eam corporis commestionem, quam corruptio sequatur concipiebant: Ast tantum abest, ut corporis Christi manducationem *Lutherani* asserant, ut potius omnem corruptionem a corpore Christi abesse credant, eique immensam conservandi & vivificandi vim tribuant. Plura discrimina vide apud *Bechmann.* in Ann. ad Hutt. Loc. XXI. qu. 19.

§. 5. Nec vero solum manducatio corporis Christi oralis ab ea, quam Capernaitæ sibi imaginabantur, discernenda, sed in *genere* inter manducationem oralem (seu manducationem organo oris peractam aut peragendam,) & naturalem solicite distingvendum est. Scilicet manducatio oralis simpliciter importat manducationis veritatem, naturalis autem quendam etiam manducandi modum, physicum nempe, vulgarem ac sensibilem, formaliter includit. Hinc & omnis manducatio naturalis est oralis, sed non omnis oralis est naturalis: Cum enim oralis præcise & simpliciter manducationis veritatem importet, oralis esse potest, quæ non sit naturalis. Id quod etiam comprobant nonnulli exemplo Christi e mortuis resuscitati, qui oraliter quidem, sed non naturaliter cibum manducasse fertur.

§. 6. Manducatio autem corporis Christi sacramentalis non tantum per hoc, quod est ac

dicitur oralis, verum etiam in eo a spirituali corporis Christi manducatione distingvitur, quod ipsa ad substantiam (seu essentiam) sacramenti pertineat, seu ita ad sacramentum Cœnæ requiratur, ut sine ipsa Sacramentum Cœnæ non detur, spiritualis vero ad substantiam hujus sacramenti non spectet (quia homines indigni & manducationis spiritualis expertes totum sacramentum nanciscuntur,) sed pertineat saltem ad fructum sacramenti salutarem h. e. requiratur ad hoc, ut corpus Christi ad animarum salutem accipiant & manducent, quotquot illud accipiunt & edunt.

§. 7. Cæterum manducatio & bibitio corporis & sangvinis Christi *spiritualis*, cui manducatio & bibitio corporis & sangvinis Christi oralis contradistingvitur, manducationis & bibitionis denominationem sortitur propter similitudinem, quæ actibus fidei, in quibus manducatio & bibitio spiritualis consistit, cum manducatione & bibitione cibi & potus orali & naturali intercedit. Nam corpus & sangvis Christi itemque benificia, quæ Christus patiendo & moriendo in carne sua, & sangvinem suum effundendo nobis acquisivit, fide apprehensa præstant animæ esurienti ac sitienti, quicquid cibus & potus naturalis esurienti & sitienti corpori præstant, cum tam recreent, confortent & nutriant animam ad spiritualem æternamque vitam, quam cibus naturalis, ore corporis naturaliter mansus, & potus naturalis ore corporis naturaliter haustus, corpus

pus esuriens & sitiens recreant, confortant, & ad hanc terrenam vitam nutriunt. Vid. *B. Joh. Musc.* Colleg. Anti-Wendel. Disp. XVIII. Qu. II. §. 4. seqq.

§. 8. Manducationis corporis Christi *oralis*, & bibitionis sangvinis Christi *oralis*, quam hucusque declaravimus, veritatem & certitudinem *Lutherani* hocce inprimis argumento probant: *Si illa Christi verba:* Accipite, comedite: Hoc est corpus meum: Accipite, bibite: Hoc est sangvis meus; *proprie ac sine significatione impropria accipienda sunt, sequitur quod in Sacra Cœna corpus Christi ore nostro accipiatur, & sangvis ejus ore nostro bibatur.* Consequentia liquida & evidentissima est. Sensus enim istorum Christi verborum proprius hincre dit: *Accipite, & ore vestro comedite: Hoc ens, quod vobis do, & quod vos accipere, & ore comedere jubeo, est ipsum corpus meum. Accipite, ore vestro bibite: Hoc ens, quod vobis porrigo, & quod vos accipere & ore bibere jubeo, est ipse sangvis meus.* Quippe non solum τὸ comedere proprie denotat comestionem oralem, & τὸ bibere in significatu proprio importat bibitionem oralem, verum etiam ceu in *Instit.* nostris *Logicis* S. pag. 489. seqq. ostensum est) in illis exhibitivis propositionibus, in quibus particula Hoc sibi nullum nomen substantivum habet additum, ipsum prædicatum semper docet tuto ac infallibiliter, quænam distincte, & sub ratione magis propria ac specifica sit res illa, quæ per pronomen Hoc in

casu recto confuse designatur, quod nimirum sit ipsa res in prædicato distincte significata. Antecedens rationibus variis constabilitur. Scilicet (α) immota & in ipsa naturali ratione fundata interpretationis regula est, quod verborum significationi propriæ inhærendum, nec ab ea ad tropum deflectendum sit nisi propriam non posse locum habere, ex contextu vel aliunde, liquido constet, atque adeo necessitas urgens ad significationem impropriam descendere cogat. Quæ regula inprimis in interpretandis illis Scripturæ locis, quæ res supernaturales & ad fidem spectantes concernunt, solicite observanda est, utpote in quibus majori cum periculo errat, qui temerario a propria verborum significatione discessu errat. At vero nulla urgens, omnique exceptione major ratio afferri potest, quæ ab illorum Christi verborum, de quibus hic sermo est, significatione propria nos depellat, & ad impropriam descendere cogat. (β) Cum tres Evangelistæ, & Paulus Apostolus, qui Cœnæ Dominicæ institutionem in literas retulerunt, sint scriptores diversi, iique locorum ac temporum intervallis disjuncti, sane si Dominus illis suis verbis: *Hoc est corpus meum, Hoc est sangvis meus*, non id, qvod proprie accepta important, sed hoc e. gr. significare voluisset, quod panis sit signum corporis sui, & vinum sit signum sangvinis sui, non omnes laudati isti scriptores illud tacuissent: Alias enim scriptores sacri has mutuas sibi præstiterunt operas, ut,

quod

quod alius forte minus plene, vel verbis minus propriis scripsit, alius plenius, vel verbis magis propriis & plenius exprimeret. Ast vero memorati tres Evangelistæ & Apostolus de eo, quod Salvatoris verba sensu isto tropico accipienda sint pariter tacuerunt, nec quisquam illorum, non ipsum corpus & sangvinem Christi, sed eorum signa tantummodo esse, quæ ad edendum & bibendum porriguntur vel verbo indicavit. (γ). Quilibet testator sapiens & candidus, inprimis ubi ipsa bona inter hæredes dispensanda commemorat, verbis propriis ac perspicuis in testamento utitur, ut futurarum litium rixarumque materiam præscindat. Jam vero verba Christi: *Hoc est corpus meum, Hoc est sangvis meus*, sunt verba testamenti, quibus instante mortis hora ultimam suam voluntatem testatus est sapientissimus ac veracissimus Dominus, qui nec data opera, nec imprudenter verborum improprietate contentionum materiam præbuisse credendus est.

§. 9. *Lutherani* porro illud suum assertum, quod in S. Cœna *ipsum Christi corpus ore comedamus, & ipsum ejus sangvinem ore bibamus*, hacce argumentatione confirmant: *Si ex verbis institutionis*: Hoc est corpus meum, Hoc est sangvis meus, *recte concluditur, quod indignus Eucharistiæ conviva sit reus ipsius corporis & sangvinis Christi, sequitur omnino, corpus Christi in Sacra Cœna ore comedi & sangvinem ejus ore bibi.* Antecedens liquet ex

1. *Cor. XI, 27.* ubi Apostolus, dum scribit: ὥστε (itaque) *quisquis manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis & sangvinis Christi*, ex Cœnæ institutione v. 24. & v. 25. repetita concludit, quod quisquis ederit panem eucharisticum indigne aut biberit poculum Domini indigne, reus teneatur corporis & sangvinis Christi. Nam vocula ὥστε hic illativa est, & respectum importat ad præcedentia institutionis verba, utpote in quibus ipsa concludendi ratio continetur. Consequentia exinde liquet, quod ex institutione illa non alia concludendi ratio elici possit, quam hæc, quod, quisquis edit panem evcharisticum, & bibit benidictum calicem, vi verborum institutionis edat etiam corpus Christi bibatque ejus sangvinem, atque adeo indigne edens panem evcharisticum indigne simul edat corpus Christi, & indigne bibens benedictum poculum indigne simul bibat sangvinem Christi, omnis autem, qui indigne edit corpus Christi, & indigne ejus sangvinem bibit, ipsius corporis & sangvinis Christi reus evadat.

§. 10. *Lutherani* ad evincendum suum assertum tertio hunc in modum argumentantur: *Si panis benedictus est communicatio corporis Christi, sequitur, quod mediante pane benedicto ore comedamus corpus Christi, & mediante benedicto vino sangvinem Christi ore bibamus.* Antecedens est Apostoli 1. *Cor. X. 16.* Consequentia ex eo patet, quod panem esse communicationem corporis

ris Christi, & calicem esse communicationem sangvinis Christi sit nihil aliud, quam panem esse medium, per quod corporis Christi, & vinum esse medium per quod sangvinis Christi participes reddimur, panis autem & vinum non possint esse media, per quæ corporis & sangvinis Christi participes reddimur, nisi mediante pane corpus Christi ore comedamus, & mediante vino sangvinem Christi ore bibamus.

§. 11. In thesi nostra XXIV. non tantum corporis & sangvinis Christi manducatio & bibitio oralis asseritur, verum etiam corpus & sangvis Christi *convivis* Evchariſtiæ *æque omnibus, ipsis etiam indignis*, h. e. iis convivis, qui (ut *Form. Conc. Sol. Declar.* pag. 745. explicat) sine vera poenitentia & contritione, & sine vera fide, & absque bono proposito vitam emendandi ad Cœnam Domini accedunt, *vi verborum institutionis vere & realiter dispensari, & ab illis accipi dicuntur.* Quod posterius asfertum ex eo luculente patet quod vi verborum Christi: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum; Accipite, bibite, Hoc est sangvis meus*; corpus & sangvis Christi ad sacramenti Cœnæ substantialia pertineant, indignis autem æque ac dignis perfectum in substantialibus sacramentum dispensetur. Id ipsum, quod indigni etiam hospites corpus & sangvinem Christi sacramentaliter manducent & bibant, comprobatur insuper hacce argumentatione: *Si docente Apostolo* 1. *Cor.* XI, 29. *indigne*

digne panem benedictum edens judicium sibi ipsi ex ea ratione edit, (seu indigna sua manducatione temporales & æternas poenas sibi ipsi ideo accersit,) *quod corpus Domini non discernat, sequitur necessario, indignum Eucharistiæ convivam ipso Domini corpore vesci.* Ea enim ratio supponit & importat hoc, quod panem benedictum indigne edens simul corpus Christi comedat: Homines quippe *corpus Christi non discernere* hoc sensu dicuntur, quod corpus Domini non æstiment præ aliis cibis, ut oportet, nec attendant, quantæ sit dignitatis hoc, quod accipiunt, sed ad sumendum corpus Christi, perinde ut ad cibum promiscuum & profanum, accedant.

§. 12. Lutheranis vero circa proxime præcedentem & circa præsentem XXIV. thesin *Reformati* vehementer obluctantur. Quando enim Lutherani asserunt, corpus & sangvinem Christi *ore corporis* in S. Cœna accipi, manducari & bibi, *Reformati* e contrario (*uti* horum doctrina in *Soli. d Declarat. Form. Conc.* pag. 726. 727. a Lutheranis effertur) contendunt, *in Cœna Domini nihil aliud ore sumi, quam panem & vinum, Christum autem nobis cum pane & vino verum sangvinem suum dare tantum spiritualiter per fidem sumendum.* Hinc Lutherani ibidem pag. 757. corde & ore rejiciunt dogma, quo Reformati *Oralem sumtionem corporis & sangvinis Christi in S. Cœna negant*, contra vero *statuunt, quod corpus Christi in cœna spiritualiter tantum per fidem accipia-*

piatur, ita quidem, ut ore in S. Cœna tantum panem & vinum edamus atque bibamus. Quando porro Lutherani in Augustanæ Confessionis *Apologia* pag. 157. profitentur, *in Cœna Domini vere & substantialiter adesse corpus & sanguinem Christi*, Reformati contra (ut Lutherani in *Form. Conc. Solid. Declar.* pag. 728. referunt) in peculiari Confessione anno 1530. Augustæ oblata *veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in sacramento Cœnæ in terris administratæ idcirco negarunt, quia Christus ascendisset in cœlos.* Quamvis enim Reformati *præsentiam corporis* Christi (ut itidem Lutherani l. c. pag. 726. observant) in Sacra Cœna jam olim fassi sint, imo corpus & sanguinem Christi in S. Cœna *vere* præsentia esse docuerint, eam tamen præsentiam non de vere substantiali (qua corpus & sanguis Christi quoad substantiam suam non sint inclusa in cœlo verum in terris quoque, & in sacra cœna secundum esse suum reale symbolis ipsis, pani & vino adsint) sed de *spirituali* tantum præsentia, quæ fit fide, interpretati sunt. Quam ipsorum sententiam Lutherani l. c. pag. 725. sic exponunt: *Etsi Sacramentarii quidam in eo elaborant, ut quam proxime verbis ad Augustanam Confessionem accedant, & nostrarum Ecclesiarum formas loquendi usurpent: ac fatentur, quod in Cœna Domini corpus Christi VERE a fidelibus accipiatur: attamen, quando serio urgentur, aut sententiam suam ingenue, aperte, & perspicue, profiteantur, tum uno ore omnes*

nes animum suum declarant, quod credant, verum & substantiale Christi corpus, ejusque sanguinem a benedicto pane & vino, in Cœna Sacra, tanto locorum intervallo abesse, quanto summum cœlum ab infima terra distet. Hæc enim sunt ipsorum verba: Abesse Christi corpus & sanguinem a signis tanto intervallo dicimus, quanto abest terra ab altissimis cœlis. Quare cum de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna loquuntur, non volunt ea in terris adesse, nisi respectu fidei nostræ. Atque hanc Reformatorum mentem ex tot aliis Doctoribus Reformatis *Wendelinus* Lib. 1. Theol. Chr. c. XXIII. thes. XVI. in explic. n. 2. luculentissime enunciat, cum scribit: *Res per panem & vinum signatas, hoc est, corpus & sanguinem Christi in Cœnæ legitima usurpatione vere præsentes esse, inter nos, Lutheranos & Pontificios, extra controversiam est: sed de modo præsentiæ controvertitur. Nos dicimus, corpus & sanguinem Christi in Cœnæ administratione spiritualiter fidelibus esse præsentia, hoc est, communicantium fide apprehendi & applicari, etiamsi corporaliter vel localiter non in cœna vel terra, sed tantum in cœlo sunt.* Quanquam sagaciores Lutherani hic bene moneant, spiritualem corporis & sanguinis Christi præsentiam, quam *Reformati* hic docent, non esse vere & realem præsentiam. Spiritualis enim illa præsentia est tantum *objectiva*, seu præsentia talis, qua res aliqua intellectui cognoscenda objicitur, & ab eodem per cognitionem apprehendi-

ditur: At vero hujusmodi præsentia non est vera præsentia, cum res, quæ in se & substantialiter, seu quoad esse suum reale absunt longissime, & ita absentes manent, per hoc mihi vere & realiter præsentes non reddantur, quod in aliqua effigie meo intellectui cognoscendæ objiciuntur. Quocirca de ipsa adhuc vera & reali corporis & sanguinis Christi præsentia, non autem saltem de modo illius præsentiæ inter Lutheranos & Reformatos controverti, D. *Joh. Musæus* in Colleg. Anti-Wendel. Disp. XVII. Qu. VII. erudite annotat. Ac licet e recentissimis Reformatis *Gvilielmus Forbesius* in Consider. controv. pag. 374. diserte asserat, *tutissimam & rectissimam videri illorum Protestantium aliorumque sententiam qui corpus & sanguinem Christi vere, realiter, & SUBSTANTIALITER, in eucharistia adesse & sumi existimant, imo firmissime credunt, sed modo humano ingenio incomprehensibili, ac multo magis ineffabili, soli DEO noto, & in scripturis nobis non revelato, non quidem corporali, & per oralem sumtionem, sed neque etiam solo intellectu, ac pura puta fide, sed alia ratione, soli DEO cognita, illiusque omnipotentiæ relinquenda:* Licet etiam *Parkenus* episcopus oxonienſis (ut collectores Actorum erudit. ad annum 1688. p. 571. recensent) *tenendam esse* statuat *præsentiam in cœna realem & substantialem, utut modo præsentiæ non definito:* Non tamen scriptores illi animum suum declarant, quod præsentiam substantialem vere ac proprie di-

dictam credant, corpus & sangvis Christi citra omnem mentis nostræ operationem secundum ipsam suam substantiam, & secundum esse suum reale in terra symbolis indistanter adsint. Quamdiu enim ei Reformatorum Hypothesi: *corpus & sangvinem Christi secundum esse suum reale tantum esse in cœlo, & tanto a signis benedictis abesse intervallo, quanto cœlum abest a terra*, pertinaciter inhærent, non possunt proprie loquendo, salva ista hypothesi, corporis & sanguinis Christi præsentiam substantialem in S. Cœna asserere. Quo pertinet sane, quod ipse *Georgius Calixtus* in tractatu de *Tolerantia Reform.* §. 87. exquisite scribit: *Interim si non tam, quid loquantur, quam quid sentiant Reformati attendamus, certum est, eos veri corporis & veri sangvinis secundum substantiam acceptorum præsentiam non admittere.* Quod *Calixti* judicium præferendum est omnino sententiæ *D. Jobannis Fabricii*, qui in considerat. controvers. pag. 188. arbitratur, *non negari a Reformatis veram & substantialem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna; sed tantum ejus modum.*

§. 13. Ubi tandem *Lutherani* in *August. Confess.* Art. X. pag. 12. de Cœna Domini sentiunt, *corpus & sangvinem Christi vere distribui vescentibus* (indiscriminatum, non tantim credentibus) itemque in Aug. Conf. Apolog. pag. 157. sine ulla convivarum exceptione docent, *corpus & sangvinem Christi vere exhibere cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, bis qui sacramentum ac-*

accipiunt, nec non in Artic. Smalcald. P. III. art. VI. pag. 330. confitentur, *verum corpus & sanguinem Christi non tantum dari & sumi apiis, sed etiam ab impiis Christianis*, Reformati e contrario contendunt, infideles & impœnitentes (qui titulo duntaxat Christiani sunt, revera autem fidem vivam, veram & salvificam non habent) in Cœna Domini non corpus & sanguinem Christi, sed tantum panem & vinum accipere. Cum enim communiter *Reformati* in Sacramento Cœnæ aliam manducationem & bibitionem, quam spiritualem, seu eam, quæ per fidem fit, agnoscant, non possunt non inficias ire, quod corpus & sangvis Christi ab impœnitentibus & infidelibus accipiantur. Quam Reformatorum doctrinam iterum Lutherani l. c. pag. 751. hunc in modum referunt: *Sentiunt* (Sacramentarii,) *sumtionem cœnæ Dominicæ indignis non esse sacramentum: & fieri communicationem corporis Christi tantummodo spiritualiter per fidem: aut fidem hoc præstare, ut corpus Christi in cœna præsens sit. Inde porro colligunt, indignos, infideles, hypocritas, corpus CHRISTI nec præsens habere, nec accipere.*

§. 14. Qua vero vehementia, quave animorum contentione in omnibus illis dogmatibus de Corporis Christi in S. Cœna præsentia, & manducatione orali tam dignorum, quam indignorum, Lutheranis Reformati se se opponant, summatim subinnuunt Lutherani, quando non

solum l. c. pag. 727. seq. inquiunt: *Quod vero corpus Christi in sacra Cœna in his terris substantialiter (licet invisibili & incomprehensibili modo) præsens sit, & una cum pane benedicto, ore, etiam ab hypocritis, & nomine duntaxat Christianis, sumatur, id solent quasi horrendam blasphemiam damnare & execrari*; sed & ibid. pag. 745. scribunt: *Ex his manifestum est, quam inique virulentis sarcasmis Sacramentarii Domino nostro Jesu Christo, & D. Paulo, totique Ecclesiæ insultent, qui oralem & indignorum manducationem vocant duos pilos caudæ equinæ; & commentum, cujus vel ipsum Satanam pudeat.*

§. 15. In oppugnando Lutheranorum dogmate, quo oralis corporis Christi comestio, ejusque in S. Cœna substantialis præsentia asseruntur, *Sociniana secta* se se adjunxit. Ipse enim *Socinus L. Quod Regni* cap. IV. fol. 701. Tom. I. Oper. non tantum *Zwinglium* veram sententiam de Cœna Domini asseruisse testatur, verum etiam eorum sententiam, qui corpus Christi statuunt tantum a pane & vino abesse, quantum supremum cœlum abest a terra, collaudat. *Volkelius* quoque *Libr.* IV. de Ver. Rel. cap. XXII. fol. 316. scribit: *Sanæ mentis ratio dictat, fieri non posse, ut Christi corpus tanto intervallo a nobis disjunctum, in cœna revera comedamus. Quanquam Sociniani* in eo distent a Reformatis, quod in verbis Christi: *Hoc est Corpus meum*, particulam HOC non æque ad panem, sed ad actionem fran-

frangendi & comedendi panem referant, ut sensus sit: *Hæc actio frangendi & comedendi panem est commemoratio & adumbratio corporis mei pro vobis frangendi*, Confer. *Smalz.* Disp. XII. fol. 335. & *Catech. Racov.* cap. III. de Cœn. Dom. Qu. XI.

§. 16. Sociniani uti in compluribus aliis doctrinis, ita in neganda corporis Christi orali manducatione & substantiali præsentia ὁμοψήφους habent *Arminianos*, inter quos in hoc quoque negotio *Episcopius* Part. II. Disp. XLIV. thes. V. agmen ducit.

§. 17. Ipsius Lutheri doctrinæ, qua corpus & sanguis Christi in, cum & sub pane præsentia esse, & ore corporis percipi tradebantur, Fanatici quidam jam Herois illius ævo adversati sunt, in quos proinde is paulo ante suum ex hac vita discessum in postrema sua de Cœna Domini Confessione (quæ Tom. II. *Witteberg. Germ.* fol. 225. extat) ita invehitur. *Ego omnes eos eodem numero habeo, hoc est, pro Sacramentariis & fanaticis agnosco, (sunt enim tales) qui credere nolunt, quod panis Domini in sacra Cœna sit verum ipsius naturale corpus, quod impius quispiam, vel Judas ipse non minus ore accipiat, quam D. Petrus & omnes alii Sancti: Qui (inquam) hoc credere recusat, is me missum faciat: neque ullam amicitiam aut familiaritatem a me expectat: Sic enim stat sententia, quam non sum mutaturus.* Illi autem fanatici (ut *Lutbero* dicuntur) erant

inprimis *Carolstadius* & *Swenckfeldius*. *Carolstadius* enim adversus Lutherum & collegas disputabat, *Christi corpus & sanguinem non esse in sacramento:* De quo ipse *Lutherus* Lib. II. contra Cœl. Proph. Tom. III. Altenb. p. 69 a. videatur. *Schwenckfeldius* vero inter alia in Apolog. I. ad Princ. Lignic. *Satanicum esse*, dixit, *docere verum Christi corpus & sanguinem in vel cum corporali pane & vino in cœna Domini exhiberi, aut comedi.* Atque illis Fanaticis progressu temporis accessit *Esaias Stifelius*, quem cum suis præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna negasse, ac solum panem & vinum illic adesse, docuisse, *Jenenses* in Append. Consil. Dedek. fol. 49. a. perhibent. Idem cum antiquioribus istis Enthusiastis hodieque docent *Quakeri*, quippe qui corpus Christi humanum, pro nobis in mortem traditum, & sanguinem ejus pro nobis effusum, cum pane & vino vere & realiter accipi, diserte negant. *Barclajus* enim Quakerorum apologeta, in Apolog. Thes. XIII § IV. pag. 294. inter errores vel primo loco refert, quod *communionem & participationem corporis, carnis, & sanguinis Christi referamus ad externum illud corpus aut templum, quod e Maria virgine natum, & in Judæa passum est.*

§. 18. Nec vero *Zwinglius*, *Bucerus*, aliique Reformati primi fuere, qui oralem corporis Christi manducationem, ejusque substantialem in S. Cœna præsentiam inficiati sunt. Idem

jam

jam ante eos nono & sequentibus seculis fecerunt alii commento transubstantiationis offensi, ac idcirco in errorem contrarium abrepti, nominatim *Bertramus* (alias *Ratramnus*,) *Johannes Erigena Scotus*, *Berengarius*, *Almericus*, & *Joh. Wicleff*: de quibus inter multos alios *B. Henricus Müllerus* in Historia Veteris & Novi Berengarianismi copiosius disseruit.

Th. XXV.

Illa autem corporis & sanguinis Christi cum symbolis unio, quæ ipsa consecrationis vi suboritur, in usu saltem permanet, atque adeo corpus Christi extra usum (cum videlicet panis in sacrario inclusus asservatur, aut in solenni theatrica pompa adorandus ostentatur & circumgestatur) sub pane sacramentaliter præsens non est.

§. 1. *Usus* vocabulum hic eo sensu sumitur, quo accipitur in illa Theologorum regula: *Nihil habet rationem sacramenti extra usum a Christo institutum* (seu extra totam actionem ad sacramentum intrinsece constituendum divinitus institutam,) Unde usus vox in præsenti negotio (ut Lutherani in *Form. Concord. Solid. Decl.* p. 750 exquisite observant) proprie & distincte non significat fidem, nec solam manducationem, quæ ore fit, sed totam externam visibilem actio-

nem cœnæ Dominicæ a Christo institutam, ad quam requiritur consecratio, distributio & sumtio, seu externa, quæ dicitur, oralis manducatio benedicti panis, & oralis bibitio benedicti vini, itemque corporis & sanguinis CHRISTI perceptio.

§. 2. Ipsa thesis duabus potissimum rationibus confirmatur. Quippe (1.) Christus, instituens Sacram Cœnam, non ait: *Accipite, reponite, circumgestate, Hoc, quod reponitis & circumgestatis, est corpus meum*; sed dicit saltem: *Accipite, comedite, Hoc* (quod scil. editis) *est corpus meum.* Hinc igitur adparet luculente, non extra usum in aliqua asservatione & circumgestatione, sed, dum actio cœnæ Dominicæ a Christo instituta durat, corpus Christi cum pane sacramentalem habere unionem, & sub eo sacramentaliter præsens esse. (2) Paulus *1. Cor. X, 16.* non inquit: *Panis, quem reponimus & circumgestamus, est communio corporis Christi*; sed scribit duntaxat: *Panis, quem frangimus*, seu ad comedendum distribuimus) *est communio corporis Christi.* Hinc vero iterum constat liquido, in usu saltem, non vero extra usum, in aliqua asservatione & circumgestatione, corpus Christi cum pane sacramentaliter uniri, & sub eo præsens esse.

§. 3. Recte proinde Lutherani in Form. Concord. Sol. Declar. pag. 729. docent, *extra usum, dum panis reponitur, aut asservatur in pixide,*

de, aut ostenditur in processionibus, ut fit apud Papistas, non adesse corpus Christi.

§. 4. Nos igitur thesin nostram opposuimus *Tridentinis Patribus*, qui peracta consecratione non solum in usu, sed & *in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem asservantur, verum corpus Domini remanere* contendunt, & negantibus *anathema* denunciant *sess. XIII. Can. IV.*

§. 5. Pontificios autem non tantum ob solidissimas illas, queis corpus Christi extra usum sacramentaliter præsens non esse probavimus, rationes, sed ob horrendum ex eo consequens absurdum commenti sui pudeat. Si enim in particulis consecratis & post communionem asservatis verum Christi corpus remanet, & præterea panis (*Pontificiorum* opinione) jam non amplius est panis, sed totam suam substantiam amisit in corporis Christi substantiam conversus, exinde, ipsis agnoscentibus *Pontificiis*, consequitur omnino, corpus Christi a mure comedi, si reservata hostia ab isthoc animali arrodatur. Vide muremexenteratum Fratris *VVilb. de Stuigardia* vel *Holderi*. Ibi quippe *Scholasticorum* quæstio: *Quid agendum sit cum illo mure, qui repositum panem eucharisticum comedit?* tractatur. Nam *Glossa* in c. *qui bene* dist. II. de Consecr. *Thomas, Alensis*, & alii corpus Christi a mure comedi & evomi disputant. Hinc *Thomas & Petrus de Palude* pronunciant, murem mactandum, exen-

terandum, hostiam exscindendam, & fideli dandam; *Antonius* murem comburendum, cineremque juxta altare reponendum judicat. Alii murem esse excommunicandum: Alii eum projiciendum ajunt. Alii sacerdoti totum murem devorandum esse arbitrantur. *Bonaventura* disputat, corpus Christi in ipso muris ventre qui sic in muscipula circumfertur, esse adorandum. Quas speculationes Pontificiorum vanas etiam ex nostratibus *B. Scherzerus* in Anti-Bellarm. Disp. XI. p. m. 538. recenset.

§. 6. Cæterum *Bellarminus* absurdissimam illam *Pontificiorum* doctrinam, quod in hostiis consecratis, quæ post communionem supersunt, verum Christi corpus remaneat, evictam esse ratus, si corpus Christi etiam extra usum præsens esse probatum fuerit, Libr. IV. de *Eucbar.* cap. II. & IV. varia, qvibus id comprobetur, argumenta comminiscitur. Argumentatur (a) hunc in modum: *Verba*, Hoc est corpus meum, *prius dicta sunt, quam fieret actio manducandi: Ergo ante illam actionem corpus Christi est præsens.* Ast hac ratione non probat, corpus Christi extra usum sacramentaliter præsens esse. Quamvis enim corpus Christi ante actionem manducandi jam præsens sit, tunc tamen etiam in usu, utpote qui præter actum manducandi præviam consecrationem & distributionem involvit, præsens est. Objicit *Bellarminus* (b): *Juxta Augustinum tractat. LXXX. in Joh. accedit Verbum ad elemen-*

lementum, & fit sacramentum: Ergo corpus Christi solo prolato Verbo etiam ante manducationem præsens est. Verum neque hic probat antogonista, quod probandum sibi sumsit. Licet enim corpus Christi ante manducationem sacramentaliter adsit, tunc tamen in usu quoque præsens est, cum consecratio & distributio ad usus sacramento Cœnæ proprii formalem rationem pertineant. Objicit (c): *Verba Domini*, (Hoc est corpus meum) *mox atque prolata sunt, vera fuerunt. Prolata autem sunt ante manducationem, Ergo ante actionem manducandi vera fuerunt*, adeoque ante illam actionem corpus Christi præsens extitit. Sed totum hoc concedimus argumentum. Inde enim, quod corpus Christi ante manducationem præsens fuit, nullo pacto sequitur, corpus Christi extra usum præsens esse. Actus enim consecrandi ab distribuendi, qui manducationem antecedunt, sunt de usus intrinseca ratione. Objicit (d): *Verba Christi* [Hoc est corpus meum] *continent rationem, cur debuerit comedi corpus. Ergo ratio* (nempe præsentia corporis Christi) *prior est comestione.* Ast vero neque hoc argumentum nobis reapse adversatur. Quamvis enim præsentia corporis Christi prior sit comestione, idcirco tamen corpus Christi præsens non est extra usum. Nam usus eucharisticus non importat solam manducationem, sed prævios benedictionis, porrectionis & distributionis actus includit. Objicit (e) *Patrum auctori-*

ritatem. At illi, quos allegat, Patres haud docent *Pontificiorum* sententiam, quæ extra usum corpus Salvatoris præsens esse ait, sed statuunt potius, quod intra usum (nempe intra totam externam visibilem actionem cœnæ Dominicæ a Christo institutam, ad quam consecratio, distributio & sumtio requiruntur) præsens sit corpus Christi. Ac licet narrent nonnulli Patres, eum invaluisse morem, ut panis eucharisticus reponeretur, illam tamen consuetudinem illicitam & illaudabilem esse haud obscure subinnuunt. Conferatur hic omnino *B. Chemnitius* in Examine Concil. Trident. ad Sess. XIII.

Thes. XXVI.

Quod si igitur corpus Christi extra usum non habet cum pane sacramentalem unionem, nec sub pane sacramentaliter præsens est, sane *panis extra usum* reservatus *rationem sacramenti* habere absurdissime dicitur. Namque ad sacramentum eucharistiæ unio sacramentalis corporis Christi cum pane, & sacramentalis sub pane præsentia requiritur.

§. 1. Graviter errant hic itidem *Pontificii*, qui, ubi corpus Christi extra usum sub specie panis adesse asseruere, hinc porro docent, hostiam post consecrandi actum asservatam & extra usum constitutam, esse sacramentum. Diserte *Bellarminus* Lib. IV. de *Euchar.* cap. II. §. 1. scribit:

bit: *Catholici omnes conveniunt, panem rite consecratum vere & proprie esse Sacramentum, sive sumatur, sive servetur in pyxide.*

§. 2. Ad refellendum illud *Pontificiorum* commentum præter eam, quam ipsa nostra thesis indicat, rationem adducimus argumentum, quod *Form. Conc. Sol. Declaratio* pag. 756. contra eundem errorem sic proponit: *Nihil rationem sacramenti habere potest extra mandatum DEI & usum a Christo institutum.* Quicunque enim aliquid extra usum habere rationem sacramenti ait, is nihil aliud dicit, quam extra omnes actiones sacramentales esse sacramentum: Usus enim vocabulum in doctrina de *Sacramentis* significat totam actionem a Christo ad constituendum intrinsece sacramentum institutam. Ast vero dicere, quod extra omnes actiones sacramentales sit sacramentum, æque absurdum est, ac si quis dicat, extra actiones baptismales esse baptismum, extra actiones missaticas missam, extra actiones ordinationis ordinationem.

§. 3. Ipsi quoque Sacramenti naturæ & essentiæ ea *Pontificiorum* assertio, quod hostia post consecrationem reservata sacramentum sit, repugnat. Quodvis enim sacramentum (uti superius in Loco de *Sacramentis in Genere* demonstratum dedimus) essentialiter in actione consistit: Ast hostia post consecrationem asservata non est actio, sed substantia.

§. 4.

§. 4. *Bellarminus* e contrario Libr. IV. *Euchar.* c. III. hunc fere in modum argumentatur: *Nulla est actio, cui conveniat tota ratio sacramenti, quia* (1.) *si sacramentum esset actio, foret actio DEI, non suscipientis*, (2.) *quia sacramentum est signum sensibile gratiæ invisibilis, actio autem gratiæ invisibilis signum sensibile non est. Ergo Eucharistia non potest consistere in actione, sed consistit in pane rite consecrato.* Ast confusa valde ac prorsus futilis hæc argumentatio est. Licet enim tota ratio sacramenti non conveniat uni actioni simplici, convenit tamen actioni uni ex pluribus ad se invicem ordinatis actionibus aggregatæ. Et dum *Bellarminus* urget, quod *Sacramentum, si actio esset, foret actio DEI, non suscipientis*, ipse vero per actionem DEI non intelligit actionem a DEO institutam, sed actionem, quæ DEUM denominat immediate agentem, negamus omnino, quod Sacramentum, si est actio, sit actio DEI. Sacramentum enim, postquam divinitus institutum est, in ecclesia ab homine est exercendum, & quidem vel ab administrante tantum, vel ab administrante & suscipiente simul. Negamus quoque, quod *Bellarminus* ait, *actionem non esse signum sensibile gratiæ invisibilis.* Actio enim circa elementum externum divinitus præscriptum, & sacramento destinatum occupata significat omnino actionem spiritualem & invisibilem, quam DEUS mediante ritu externo præstiturus est, quando homo non repugnat, *Thes.*

Th. XXVII.

Negatis hactenus & destructis illis hypothesibus: *Totam panis substantiam in substantiam corporis Christi converti, Corpus Christi extra usum sub specie panis sacramentaliter præsens esse; Panem consecratum rationem sacramenti habere*, processiones sane, quæ apud Papistas ordinarie quotannis in festo corporis Xsti fiunt, & quandoque in quibusdam casibus extra illud festum institui solent, merito rejiciuntur. Illæ enim falsissimæ hypotheses processionum talium fundamentum sunt.

§. 1. Processio apud *Papistas* in festo corporis Christi eo pacto adornatur, ut hostia consecrata in splendidam capsulam seu thecam, quam vocant monstrantiam, reponatur, & deinde in solenni populi comitatu a sacerdote per plateas, per vicos & compita, adhibitis certis cantiunculis vel etiam instrumentis musicis, ac personante campanarum & tintinnabulorum clangore, a sacerdote circumgestetur, populus superstitiosus ad conspectum hostiæ caput inclinet, genua flectat, in terram se se prosternat, manus elevet, pectora tundat & hostiam adoret, aliaque plura ad theatricam pompam pertinentia ubivis adhibeantur, e. gr. luminaria cerea præferantur, pavimenta floribus & frondibus sternantur, ac parie-

rietes pro locorum ratione, & rerum ad splendorem externum facientium abundantia exornentur.

§. 2. Solennius illud corporis Christi festum, ut feria quinta post octavam Pentecostes celebrandum (cui temporis progressu hostiæ consecratæ circumgestatio & ostentatio accesit) *Vrbanus* IV. Romanus Pontifex anno 1264. instituit. Ejus quippe hanc in rem edita prolixa constitutio in *Clementinis Lib. III. Tit. XVI.* verbotim extat, cujus summa huc redit: Cum Ecclesia die Viridium sacri confectione chrismatis, lotione pedum & aliis quam plurimum occupata sit, atque adeo memoria corporis & sangvinis Christi circa Paschatos festum satis diligenter recoli non possit, visum fuisse Urbano IV. peculiarem diem recolendæ memoriæ corporis Christi instituere, quo solenni festivitate perinde ut sanctorum memoria statis diebus solennibus institituti hujus beneficii memoria celebretur: atque Urbanum olim, dum in minori adhuc officio esset, intellexisse, quod fuerit *quibusdam Catholicis divinitus revelatum, festum illud generaliter in ecclesia celebrandum.* Cæterum ea Catholicis quibusdam facta revelatio, quam festo illi originem præbuisse confitetur Urbanus, ultimo redit ad monialem quandam Leodiensem, quæ quibusdam Eva, aliis Juliana vocatur. Illa enim monialis, cum olim speculationibus sacris dedita lucem in forma lunæ fractæ vidisset, Christum-

ſtumque, vellet ſibi indicare, quid luna fulgens, quid ejus fractio ſignificet, obteſtata fuiſet, a Chriſto id reſponſi accepiſſe fertur, quod luna eccleſiam, fractio vero feſti ſolennioris, quo corporis Chriſti memoria recolatur, defectum ſignificet, ipſiq; (moniali,) ut feſtum ejusmodi inſtituatur, omnis opera adhibenda ſit. Hinc eadem illa monialis rem cum pluribus Clericis communicaſſe, atque negotium, quo feſti celebrandi modus literis conſignaretur, monacho cuidam commiſiſſe perhibetur.

§. 3. Ipſi autem proceſſioni, quæ in Feſto corporis Chriſti ab Urbano IV. inſtituto, & poſtea in concilio Viennenſi (ut itidem ex *Clementin.* Lib. III. Tit. XVI. adparet) ſeculo XIV. a Clemente V. confirmato, ordinarie celebrari ſolet, tantum tribuunt *Pontificii*, ut ſynodus *Tridentina* non ſolum *ſeſſ. XIV. cap. V.* declaret, *pie & religioſe admodum in DEI eccleſia inductum fuiſſe hunc morem, ut ſingulis annis peculiari quodam & feſto die præcelſum hoc & venerabile ſacramentum ſingulari veneratione ac ſolennitate celebraretur, utque in proceſſionibus reverenter & honorifice illud per vias & loca publica circumferretur*, atque ejusdem ſeſſionis Can. VI. anathema iis denunciet, qui hoc non eſſe agendum, aut *adoratores ſacramenti* eſſe *idololatras* dixerint, verum etiam ibidem Cap. V. doceat, *nullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Chriſti fideles pro more in Romano Catholica Eccleſia ſemper recepto Latriæ cul-*

cultum, qui vero DEO debetur, huic sanctissimo sacramento in veneratione adhibeant. Quod *Tridentini* concilii decretum (quantum ad panis adorationem attinet) *Bellarminus* Lib. IV. de *Euch.* c. XXIX. §. *sed hæc* &c. sic approbat: *Cultu latriæ per se & proprie Christus est adorandus. Ea adoratio ad symbola etiam panis & vini pertinet, quatenus apprehenduntur, ut quid unum cum Christo quem continent.* Consimili ratione *Costerus* in Enchiridio c. IIX *symbola adoranda* docet, *summo cultu, quem Græci λατρείαν vocant, soli DEO conveniente.*

§. 4. *Protestantes* e contrario, licet non improbent, si certo quodam anni die memoria institutæ a Christo Sac. Cœnæ in conventibus publicis religiose celebretur, ipsaque de Sacramento Cœnæ doctrina explicetur plenius, illum tamen Pontificiorum ritum theatricum, quo hostia consecrata publice circumfertur, & populo ostentatur ad cultum adorationis, minime probant. Ipsa enim *Augustana Confessio* in Articulo de *Communione sub utraque specie*, & in ejus quidem appendice diserte inquit: *Et quia divisio sacramenti non convenit cum institutione Christi, solent apud nos omitti processiones, quæ hactenus fieri solitæ sunt.* Nec non *Formula Concordiæ* in Epit. art. VII. pag. 604. eos damnat, qui *externa visibilia elementa, panis & vini, in sacramento adoranda esse* statuunt. Similiter eadem *Concordiæ Formula* in *Solid. Declar.* pag. 760.

corde

corde & ore eos rejicit, qui *visibiles species benedicti panis & vini adorari oportere* sentiunt. Confer. ex Protestantibus *Gerhardus* L. de Cœna §. 201. *Bebelius* in Tract. Germ. vom Fronleichnams-Fest. *Joh. Dallæus* adversus Latinorum de objecto cultus religiosi Traditionem Libr. II, cap. XXII.

§. 5. Duo *Protestantium* argumenta, queis illi contra processiones in Papatu fieri solitas decertant, in præcedentibus jam a nobis enunciata sunt. Unum in ipsa thesi traditur, ubi hypotheses, in quibus Processiones illæ fundantur, falsissimas esse asseveramus. Alterum ex *Augustana Confessione*, quæ *divisionem sacramenti cum institutione Christi non convenire ait, produximus.* Videlicet primo sic argumentamur: *Quæcunque processio in falsissimis fundatur hypothesibus, ea prorsus intermittenda est. Atqui processio, quæ in Papatu fieri solet, in falsissimis fundatur hypothesibus* (cum hypothesium, quæ processionis istius fundamentum sunt, & in ipsa nostra thesi commemorantur, falsitas in præcedentibus copiose & ex instituto ostensa sit.) *Ergo processio, quæ in Papatu fieri solet, prorsus intermittenda est.* Argumentum alterum in forma huc redit: *Quicunque ritus pugnat cum divina sacramenti institutione, ille est rejiciendus: Atqui Processionis ritus, qui in Papatu celebratur, cum divina sacramenti institutione pugnat. Ergo &c.* Minorem *Protestantes* ex eo in *Augustana Confessione*

probant, quod, quia in isto processionis ritu una tantummodo species circumfertur, sacramentum a Christo institutum dividatur, hæc autem divisio pugnet cum institutione & mandato Christi, quippe qui non solius panis sed vini pariter usum instituit. Eo insuper pacto propositio minor constabiliri potest, quod Christus sacramentum cœnæ instituens non dixerit: *Accipite, comedite*, circumgestate; sed ita præceperit: Accipite, comedite, adeoque panem non determinaverit ut symbolum, sub quo corpus Christi circumgestetur, sed ut symbolum, sub quo corpus Christi accipiatur & manducetur.

§. 6. Præter duas illas, queis processiones papales impugnantur, rationes alia *Protestantibus* argumenta suppetunt. Sic quippe illi tertio argumentantur: *Quicunque ritus idololatriam in se manifeste continet, is plane abrogandus est. Atqui processionis ritus, qui in Papatu celebratur, idololatriam in se manifeste continet. Ergo &c.* Cujus argumenti minor propositio ea ratione evincitur, quod in isthoc processionis ritu panis consecratus ostentetur populo ad adorandum, panem vero adorare sit horrenda & execrabilis quædam idololatria. Neque vero *Pontificii* objectum sibi idololatriæ crimen diluent, ubi non panem sed corporis Christi substantiam, in quam panis per consecrationem mutatus sit, se adorare dixerint. Nam veri panis substantiam etiam post consecrationem remanere, supra liquidissimis rationibus dedimus demonstratum.

Quid?

Quid? quod ne quidem cum pane substantialiter superstite corpus Christi in ista processione sacramentaliter uniatur, atque adeo nuda adoretur hostia. Et, si vel maxime corpus Christi in illo processionis ritu sub specie panis sacramentaliter, præsens esset, & cum ea sacramentalem unionem haberet, simul tamen in processione illa Pontificii panem adorarent; prout *Bellarminus* & *Costerus* ll. cit. diserte docent, *summo cultu*, *qui soli Deo convenit*, *symbola adoranda esse*. Ast corpus Christi pariter & panem adorare idololatriam arguit.

§. 7. Iste tandem, quem impugnamus, processionis ritus cum primitivæ ecclesiæ institutis ac consvetudine pugnat. *Pontificii* enim ritum illum celebrantes non asservant tantum extra usum hostiam consecratam, sed & eam publice atque in infidelium etiam conspectu circumgestant. Ast in primitiva ecclesia panis consecratus non reponebatur, nec missæ celebrationi sive infidelibus sive catechumenis (quippe qui spectando tanto mysterio minus idonei esse putabantur) interesse licebat. *Hesychius* enim, presbyter Hierosolymitanus, Lib. II. in Levit. cap. IIX. v. 32. testatur, in *ecclesiis suis residuum igne comburi*. Et *Nicephorus* Hist. Eccles. Lib. XVII. cap. XXV. narrat, *Constantinopoli residuum istud traditum pueris ex ludo literario incorruptis & jejunis, quod & sibi contigerit*. Diserte etiam ex ipsis scriptoribus Pontificiis *Cassander* in Con-

sultat, ad cit. August. Conf. artic. pag. 167. scribit: *Consuetudo, qua panis eucharisticus in publica pompa conspicuus circumfertur, ac passim omnium hominum oculis ingeritur, præter veterum morem & mentem haud ita longo tempore inducta & recepta videtur: Illi enim hoc mysterium in tanta religione & veneratione habuerunt, ut non modo ad ejus perceptionem, sed ne inspectionem quidem admitterent, nisi fideles, quos Christi membra & tanti mysterii participatione dignos esse existimarunt.* Is ipse subjungit: *Quare hic circumgestationis usus omitti posse videtur.*

Th. XXVIII.

Præter corpus & sanguinem Christi non datur in sacramento Cœnæ alia cœlestis materia, seu alia quædam res cœlestis, quæ cum pane aut vino sacramentalem unionem habeat, cum pane edenda, aut cum vino bibenda porrigatur.

§. 1. Nec enim in institutione S. Cœnæ, nec in alio sacrarum literarum loco res ejusmodi cœlestis commemoratur: Ast vero in determinanda sacramenti alicujus materia, sive terrena sive cœlesti, institutioni Verboque divino presse inhærendum.

§. 2. Quod si igitur præter corpus & sanguinem Christi nulla datur Sacramenti Cœnæ materia cœlestis, certe *in Eucharistia Spiritus Sanctus*

ejus nobis haud porrigitur bibendus. Neque enim in Eucharistia res cœlestis nobis bibenda exhibetur, nisi cum symbolo externo, vino scilicet, sacramentaliter uniatur, & cum eo bibenda porrigatur. Nec vero Spiritum Sanctum in Eucharistia una cum sanguine Christi nobis bibendum dari, ex eo probari potest, quod in S. Cœna sanguini Christi realiter & substantialiter adsit: Alias enim DEUS Pater, itemque corpus Christi una cum sanguine ejus biberetur, cum DEUS Pater & corpus Christi sanguini Salvatoris realiter & quoad substantiam præsto sint.

§. 3. Etsi igitur Spiritus Sanctus in S. Cœna non bibatur, in ea tamen accipitur, & per sacramentum illud dignis convivis & fidelibus communicantibus donatur, in quantum dona Spiritus Sancti (Fides & Charitas) per illud ipsum sacramentum confirmantur & corroborantur: ut adeo Spiritus Sanctus non ad materiam, sed ad fructum Sacramenti Cœnæ pertineat. *Per Verbum & Sacramenta tanquam per instrumenta donatur Spiritus Sanctus:* ipsa inquit *Augustanæ Confessio* Artic. V. Atque hoc ipsum, & non aliud quid, docuisse videtur *B. Spenerus*, quando in Catechismus-Predigten pag. 928. scripsit: Also in dem Heil. Abendmahl, da wir den HErrn Christum und sein Leib und Blut sacramentlich empfangen / so kömmt auch mit Christo geistlicher Weise zu Uns sein Geist, und so heisset es:

Wir seyn alle zu einem Geist getränket, 1. Cor. XII, v. 13.

Th. XXIX.

Materiale Sacræ Cœnæ (h. e. conceptus illius sacramenti essentialis communior, qui ad sacramentum, & vulgare negotium indifferens est, & ad esse talis sacramenti aliunde determinatur) consistit in actibus symbola dispensandi, accipiendi, manducandi & bibendi, absolute & in se sine connotata plena ad institutionem Christi habitudine spectatis. Actionem vero frangendi panem ad materiale illud *Lutherani* haud referunt.

§. 1. Illi quos thesis commemorat, actus uti quoque, si in se considerentur, de actionibus plane vulgaribus prædicari possunt, ita per omnimodam ad institutionem Christi habitudinem (seu per hoc, quod juxta institutionem Christi, atque adeo etiam adhibito institutionis Verbo plene exercentur) ad esse sacramenti determinantur.

§. 2. Actionem frangendi panem *Lutherani* ad materiale Sacramenti Cœnæ ex ea ratione haud referunt, quod actio ad materiale sacramenti pertinens sit necessaria, & de substantia sacramenti, fractio autem panis sit actio arbitraria, & libera ceremonia, quæ salva manente Sacramenti

menti Cœnæ substantia & integritate adhiberi & omitti possit. Fractionem autem panis in administratione Cœnæ necessariam non esse, ex eo probatum eunt, quod Christus fregisse quidem dicatur panem, sed *fractionem præcepisse nuspiam legatur*. Existimant quippe, quod verba Salvatoris: *Hoc facite in mei commemorationem*, non pertineant ad omne facere, sed ad edere & bibere, cum statim post manducationem *Luc. XXII, 19. 1. Cor. XI, 24.* ea subjungantur, ac porro *1. Cor. XI, 26.* post manducationem & bibitionem dicatur: *Quotiescunque* (non frangetis, sed) *manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Atque hoc ipsum, quod τὸ *Hoc facite* ad fractionem non pertineat, ex ipsis Reformatis *Johannes Piscator* comment. in c. XXVI. Matth. *Aretius* sect. IV. de Cœn. fol. 74. *Zanchius* Libell. de Fract. fol. 229. docent.

§. 3. Lutheranis hic adversantur magnopere *Sociniani*, ex quibus *Smalzius* c. Franz. fol. 749. fractionem Christum præcepisse negat, *Ostorodus*, Instit. c. XXXIIX. fol. 344. fractionem panis necessariam esse inficiatur, *Volkelius* de Ver. Relig. c. XXI. fol. 307. sine fractione Sacram Cœnam mutilari vel tolli contendit. Similiter hic contra Lutheranos disputant *Reformati* (ut *Pareus* in Libr. Von Brodt und Brodt-brechen, Ursinus Explicat. Catechet. qu. LXXVII. fol. 532. Tom. II. Oper. fol. 265. *Maresius* Anti-Tirini

Tom. 1. fol. 710.) qui panem ut in fruſtula fractum ad Sacram Cœnam neceſſario requirunt. Quanquam *Zanchius* in Libr. 1. Epiſtola ad Ottonem Grumrad pag. 133. mitius ſentiat, ubi ſcribit: *Audio, Johannem a Laſco, honeſtæ memoriæ virum, non minus pietate & eruditione, quam ſanguine illuſtrem, Cœnam ſumſiſſe Witteberga cum Philippo Melanchtone, ubi non frangebatur panis. Non dubito, quin etiam iſti præclari viri bona id fecerint conſcientia. Ad ſummam: Non eſt deſerenda ſubſtantia, propter aliquot accidentia, male cohærentia: neque principalia, ut loquuntur, propter acceſſoria: neque amici corpus contemnendum eſt, propter veſtimentum, non usque adeo illi conveniens. Neque medicina ægroto reſpuenda, quia in poculo exhibetur ſtanneo: Neque panis famelico, quia offertur non cultro ſciſſus, ſed fractus manibus: cur ergo quis reſpuat panem Dominicum, quia non frangitur in menſa, ſed fractus ſeu in fruſtula paratus adfertur in menſam?*

§. 4. Cæterum *Lutherani*, fractionem panis actionem arbitrariam & ceremoniam liberam eſſe arbitrantes, non ſane adeo moroſi ſunt, ut ritum illum nequaquam in eccleſiam reduci poſſe ſtatuant, quin potius id fieri poſſe profitentur, *modo fiat cum diſcretione, hoc eſt, ab univerſali eccleſia Evangelica, non ab uno duntaxat aut altero cœtu: non in gratiam adverſariorum, ſed propter exemplum Chriſti, Apoſtolorum, & primitivæ Eccleſiæ: non, ſub titulo mandati aut abſolu-*

ta

te alicujus neceſſitatis, ſed Chriſtianæ libertatis: non ad fines ullos alios, quam ab ipſo Chriſto ordinatos, ita tamen, ut accurate evitentur ſcopuli, quos *D. Menzerus* in ſua Declaratione IV. Locorum Theologicorum pag. 114. conſignavit. Confer. *B. Königius* Caſ. Conſc. IIX. de *Inſtitut. Cœn. Dom.* Illud autem cummaxime *Lutheranos* hic offendit, & ab amplectendo fractionis ritu dimovet, quod *Reformati* celebrant fractionem (ut *B. Scherzero* Colleg. Anti-Socin. Diſp. CXI. pag. 907. dicitur) *ablativam*, ſeu (ut *B. Königio* l. c. potius nominatur) *deſtructivam*, qua ſcilicet corporis Chriſti cum pane euchariſtico ſacramentalis unio, ejusque oralis manducatio deſtruitur & exterminatur. Palam enim *Pareus* in Libr. Von Brodt und Brodt-brechen, fol. 198. profitetur, ideo Reformatos fractionem panis frequentare, daß dadurch der Abgöttiſche falſche Wahn vom Leib Chriſti in oder unter dem Brodt, am allerkräfftigſten zerbrochen, und dem gemeinen verirreten Volcke aus dem Hertzen geräumet werde. Et Libr. II. de *Symbolis Sacram.* c. XVI. p. 229. aperte ſcribit, *fractione panis opinionem de corpore Chriſti, in vel ſub fruſtulo panis latente, deque orali ejus manducatione validiſſime infringi.* Quibus conſentanea prorſus ex Sociniana turba tradit *Smalzius*, quando c. Franz. fol. 349. inquit, *fractione panis larvam iſtam ſuperſtitionis detractum iri, & agnituros omnes, nihil ibi tale latere, quale hactenus cum*

Pontificiis Lutherani latere non sine magna multarum animarum jactura contenderint.

Th. XXX.

Sacramenti Cœnæ FORMA *partis* est actuum symbola distribuendi, manducandi & bibendi ad institutionem Christi habitudo (quæ in eo posita est, quod actus illi a Christo instituti sint, & juxta ejus voluntatem ac præscriptum, & proinde etiam Verbo institutionis symbolis adhibito & applicato, exercentur.)

Th. XXXI.

Ejusdem illius sacramenti FORMA *totius* (seu tota ratio formalis & substantia) consistit in actione (non simplici, sed ex pluribus aggregata,) qua symbola, panis & vinum, institutioni conformiter consecrata, & una cum iis ipsum illud corpus Christi humanum, quod pro nobis in mortem traditum, & ipse ille sanguis, qui pro nobis effusus fuit, vere & realiter dispensantur, atque a communicantibus ore corporis *in se* (mediantibus tamen symbolis) accipiuntur, comeduntur, & bibuntur.

§. 1. Actum, quo symbolum utrumque benedictum communicantibus dispensatur, ad formam seu rationem formalem Sacramenti Cœnæ

næ pertinere, ex eo luculentissime patet, quod Christus sacramentum istud instituens actum illum expresse instituerit, omnis autem actio, quæ in institutione Sacramenti instituta est, sit de substantia & ratione formali Sacramenti. Eadem ratione comprobamus, quod actio, qua cum symbolis consecratis ipsum illud corpus Christi humanum, quod pro nobis in mortem traditum & ipse ille Salvatoris sanguis, qui pro nobis effusus fuit, a communicantibus ore corporis in se accipiuntur, comeduntur & bibuntur, ad naturam & rationem formalem Sacræ Cœnæ pertinent. Christus quippe, quando in institutione Cœnæ dixit: *Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod pro Vobis datur; Bibite, Hoc est sanguis meus, qui pro Vobis funditur*, eo ipso actionem illam itidem instituit. Cum enim verba illa (uti superius evicimus) non nisi sensu proprio accipienda sint, sensus eorum huc redit: Accipite, comedite, *Hoc, quod cum pane benedicto Vobis ore vestro manducandum porrigo, est illud ipsum corpus meum, quod pro vobis in mortem traditur; Bibite, Hoc, quod cum benedicto vino vobis ore vestro bibendum exhibeo, est ille ipse meus sanguis, qui pro vobis effunditur.*

§. 2. Thesis nostra e diametro *Pontificiis, Reformatis, Sociniants, Quakeris*, aliisque *Fanaticis* opponitur.

§. 3. *Pontificii* hoc ipso, quod hostiam, quæ post consecrationem asservatur & circumfertur,

fertur, extra usum (seu extra totam externam visibilem actionem Cœnæ Dominicæ a Christo institutam) vere & proprie sacramentum esse statuunt, formam Sacramenti Cœnæ in actione transitoria, qua symbola benedicta, & cum iis corpus & sanguis Christi accipiuntur, haud collocant. Sic & dum calicem benedictum non omnibus ad Eucharistiam accedentibus porrigendum esse docent, Sacram Cœnam in utriusque symboli benedicti dispensatione, comestione & bibitione minime constituunt.

§. 4. *Reformati* nostræ thesi per hoc adversantur, quod, licet *Samuel Strimesius* in Epist. Iren pag. 106. nomine omnium Reformatorum spondeat, sinceram hanc & dilucidam eorum esse sententiam: *Corpus Christi crucifixum & sanguinem ejus effusum in Cœna Sacra credentibus realiter præsentia esse, & ab his revera accipi, edi & bibi*, quin imo *Johannes Bergius* in Libr. de Discrim. & Conc. Evangelicorum pag. 29. contendat, tunc quoad rem inter Reformatos & Lutheranos consensum fore, si Lutherani dicerent, *nos Christi corpus mediante pane ore accipere, ut adeo corporalis & oralis manducatio diceretur ratione organi seu medii externi, quoniam esset medium internæ & spiritualis receptionis Christi*, negant tamen, cum symbolis consecratis Christi corpus, ejusque sanguinem in se, æque ac symbola illa, ore corporis accipi, manducari & bibi.

§. 5. Similiter *Sociniani*, *Arminiani*, antiquio-

tiquiores *Enthusiastæ* (Carolstadius, Schwenkfeldius, Stifelius,) & recentiores Fanatici *Quakeri*, cum oralem corporis & sanguinis Christi comestionem & bibitionem (ut in præcedentibus enarratum est) omnino negent, in illo manducandi & bibendi actu Eucharistiæ formam nequaquam constituunt. Speciatim autem *Quakeri*, uti duplicem Christi cœnam, unam *nocturnam*, antequam is crucifigeretur, celebratam, alteram *internam*, cum ipse resurrexisset, institutam, comminiscuntur; ita illius Cœnæ essentiam præcise in actu, quo panis & vinum in commemorationem mortis Christi sumuntur, hujus vero naturam consistere docent in reflectione mentis humanæ ad lumen internum & substantiale, quod in ipsa sit, quodque rationem habeat cibi & potus spiritualis, atque ita corporis & sanguinis Christi, non in substantia humani, sed velut cœlestis & spirituali sensu concipiendi, nominibus appelletur, unde mens ipsa quoad vitam spiritualem velut alimento quodam sustentetur, simul etiam vigorem, quasi succum & robur, trahat. Quam suam de *interna Cœna* doctrinam cum in figmento luminis interni & substantialis (seu spiritus interni & immediati) fundent, monemus hic cumprimis, quod *Protestantes* Artic. Smalkald. Part. III. Art. VIII. p. 333. scribunt: *In hoc nobis est constanter perseverendum, quod Deus non velit nobiscum aliter agere, nisi per vocale verbum & sacramenta: & quod quicquid sine verbo & sacramentis jactatur ut spiritus* (internus & immediatus,) *sit ipse diabolus.* (Th.

Th. XXXII.

Actio autem illa, quæ formam & substantiam Sacræ Cœnæ constituit, neutiquam involvit *sacrificium proprie dictum*: Imo ne quidem ex parte ejus, qui sacramento hoc digne utitur, aliquid, quod sacrificii proprie dicti rationem habet, occurrit.

§. 1. *Sacrificii* vocabulum, quod vel pro actione sacrificandi, vel pro re, quæ sacrificatur, accipi alias consvevit, in thesi nostra modo duntaxat priori sumitur.

§. 2. Quod autem actio illa, quæ Sacræ Cœnæ formalem rationem absolvit, non includat sacrificium proprie dictum (seu quod Eucharistia formaliter non sit sacrificium proprie tale,) tribus potissimum rationibus demonstramus. Nempe (*a*) sacrificium proprie dictum formaliter est actio, qua DEO homines religionis causa aliquid offerunt & exhibent (ceu superius in Loc. de *Sacram. in Genere* pag. 1659. jam monuimus:) Ast per Eucharistiam Sacram nos nihil DEO damus & offerimus, sed corpus & sanguinem Christi accipimus. (*b*) Actio, quæ est extra totam Eucharistiæ actionem externam a Christo institutam, non potest esse de substantia & ratione formali Eucharistiæ, cum forma & essentia Sacramenti Cœnæ in toto actionum externarum & sacramenta-

mentalium in verbis institutionis præscriptarum indivulso ac simul sumto cumulo consistat: At vero Christus, cum Eucharistiam sanciret, nullum sacrificium verum ac proprie dictum instituit. Certe verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, Salvator Apostolis, eorumque successoribus non præcepit, ut offerrent & sacrificarent, sed respexit saltem ipsam ritus sacramentalis celebrationem, qua panis & vinum facta consecratione ad manducationem & bibitionem dispensentur. (c) Nihil ostendi potest, quod per Eucharistiam aut in eucharistia proprie loquendo sacrificetur. Namque ad hoc, quod proprie loquendo sacrificatur, requiritur, ut sit res sensibilis, quæ offertur & destruitur: id quod omnium sacrificiorum proprie dictorum, & quidem tum eorum, quibus animalia, tum istorum, queis res inanimatæ offerebantur, inductione patescit, atque ab ipsis condocetur Pontificiis, quando non solum *Bellarminus* Lib. II. de Missa cap. II. §. *Sed omissa &c.* scribit, sacrificium proprie dictum esse *oblationem externam, factam soli DEO, quæ ad agnitionem humanæ infirmitatis & ad professionem divinæ majestatis a legitimo ministro res aliqua sensibilis & permanens ritu mystico consecratur & transmutatur*, verum etiam *Gregorius de Valentia* Tom. III. Theol. Schol. Disp. VI. Qu. IV. P. I. pag. 1689. & Tom. IV. Disp. VI. Qu. XI. P. I. pag. 1381. contendit, *sacrificium externum proprie dictum tunc fieri, cum res aliqua hoc ipso offer-*

offertur DEO, quod ad ejus majestatem recognoscendam, atque etiam ad internam mentis devotionem & servitutem erga DEUM, tanquam omnium rerum Dominum protestandam, certo ritu ac ceremonia conficitur, seu immutatur, ut cum animal mactatur aut comburitur, vel cum panis frangitur & comeditur. Ast vero nulla res sensibilis nominari potest, quæ per Eucharistiam offertur & destruitur. Neque enim symbola (panis & vinum,) *neque* corpus & sanguis Christi hic recte allegari possunt. Non symbola: Hæc enim (1) in Eucharistia DEO non offeruntur; (2) non destruuntur, sed totam suam substantiam post consecrationem retinent. Nec corpus & sanguis Christi, quia (a) non sunt res sensibiles, (b) non offeruntur, cum Christus sacrificia propria dicta *unica oblatione* in perpetuum sustulerit *Ebr.* VII, 11. 12. 17. 25. seqq. (c) non destruuntur, cum Christus *non amplius moriatur Rom. VI, 9.* atque a sacerdotibus Veteris Testamenti *Ebr. IX*, 25. 26. 28. per hoc distinguatur, quod illi sæpe obtulerint, ipse vero semel oblatus sit, ut multorum peccata tolleret.

§. 3. Nec minus manifestum est, ex parte ejus, qui sacramento Cœnæ digne utitur, nihil plane occurrere, quod sacrificii proprie dicti rationem habet. Neque enim quicquam nominari potest, quod dignus epuli illius sacratissimi conviva proprie loquendo sacrificet.

§. 4.

§. 4. Quamvis igitur sacra Cœna sacrificium proprie dictum formaliter non importet, sacrificium tamen improprie sic dictum formaliter involvit. Includit enim gratiarum actionem seu symbolorum benedictionem, quæ ad consecrationem spectat, & precibus ad DEUM fusis peragitur: Hæc vero gratiarum actio est sacrificium quoddam improprie dictum, & quidem eucharisticum. Sic & ex parte dignorum & credentium convivarum aliquid omnino deprehenditur, quod sacrificii improprie dicti rationem habet: Tale quippe sacrificium consistit in spirituali cultu, qui fidem, invocationem, gratiarum actionem intrinsece importat. Quo refertur merito, quod *Augustanæ Confessionis Apologia* ad interpretandum illud *Malach. I, 11.* dictum: *Ab ortu solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & oblatio munda*, pag. 258. ita tradit: *Incensum & oblatio munda significant non ceremoniam ex opere operato, sed omnia illa sacrificia, per quæ fit magnum nomen Domini, scilicet, fidem, invocationem, prædicationem Evangelii, confessionem &c. Et facile patimur, si quis hic velit complecti ceremoniam*, (h. e. ipsam cœnæ Dominicæ sumtionem) *modo neque intelligat solam ceremoniam, neque doceat ceremoniam ex opere operato prodesse. Sicut enim inter sacrificia laudis, hoc est, inter laudes DEI complectimur prædicationem*

Verbi: ita laus esse potest, seu gratiarum actio, ipsa sumtio cœnæ Domini. Eodem pertinet, quod laudata *Apologia* ad illustrandum locum *Num. XXIIX, 3. 4.* (ubi tres ponuntur partes quotidiani sacrificii, crematio agni, libatio & oblatio) hunc in modum commendatur: *Etiamsi ceremonia est memoriale mortis Christi, tamen sola non est juge sacrificium, hoc est, prædicatio, & fides, quæ vere credit, DEUM morte Christi reconciliatum esse. Requiritur libatio, hoc est, effectus prædicationis, ut per Evangelium aspersi sanguine Christi sanctificemur mortificati, ac vivificati. Requiruntur & oblationes, hoc est, gratiarum actiones, Confessiones & afflictiones. Sic abjecta Pharisaica opinione de opere operato, intelligamus significari cultum spiritualem, & juge sacrificium cordis, quia in novo Testamento corpus bonorum, hoc est, Spiritus Sanctus, mortificatio & vivificatio, requiri debent.*

§. 5. Utrum ipsa Sacra Cœna sacrificium aliquod improprie dictum, quod *commemorativum* vocandum sit, formaliter involvat, itemq; an ex parte hominis, qui Sacra Cœna digne utitur, talismodi sacrificium locum habeat? inter ipsos *Doctores Lutheranos* disputari cœpit. Ubi nos existimamus, (1) quod, si sacrificium commemorativum dicatur cultus spiritualis, qui quadam commemoratione peragitur, non solum Sacra Cœna formaliter hujusmodi sacrificium involvat, sed & tale sacrificium ex parte communi-

can-

cantium requiratur. Quippe non tantum verborum institutionis super symbolis pronunciatio, quæ ad consecrationem, tanquam partem Sacræ Cœnæ essentialem, pertinet, quandam passionis & mortis Christi memorationem in se continet, verum etiam ex parte communicantium *1. Cor. XI, 25. 26.* devota & religiosa mortis Christi commemoratio & annunciatio expresse deposcitur. Hinc & prælaudata *Apologia* pag. 260. *ceremoniam* (seu ipsam Sacræ Cœnæ sumtionem) exserte *memoriale mortis Christi* appellitat. Arbitramur (2), sacrificium tale commemorativum, quod communicantes exhibent, a sacrificio eucharistico non esse adæquate distinctum. Commemoramus enim Christi mortem in Cœna Dominica ad D E I laudem & gratiarum actionem pro redemtione nostra, & satisfactione pro peccatis nostris peracta. Vid. *B. Joh. Musæi*, Ausführliche Erklär. pag. 696.

§. 6. Utut vero non tantum Sacra Cœna sacrificium *improprie* dictum formaliter includat, sed & ex parte hominis sacramento Cœnæ utentis sacrificium improprie dictum requiratur, rectius tamen ob vocis sacrificii ambiguitatem, & Pontificiorum sacrificium missaticum tantopere crepantium exitiosum errorem agunt, qui a phrasi illa, quæ *in Sacræ Cœnæ celebratione sacrificium peragi* ait, prorsus abstinendum putant. Quod ipsum placuit *Protestantibus* anno 1530. Augustæ congregatis, quippe qui in Confessionis suæ *A-*

pologia, pag. 252. inquiunt: *Nos in confessione nostra consulto id nomen* (sacrificii) *propter ambiguitatem vitavimus.*

§. 7. Attamen non solum in doctrina de Sacra Cœna voce sacrificii utendum, verum etiam tum in ipsa Sacræ Cœnæ celebratione sacrificii proprie dicti mentio fit haud obscure, tum communicantes sacrificium proprie dictum commemorare debent. Quando enim in Verborum institutionis pronunciatione *corpus* Christi *pro nobis datum* esse dicitur, hoc ipso subinnuitur mors Christi; ac præterea tum in doctrina de Sacra Cœna, tum in ipsa Sacræ Cœnæ celebratione a communicantibus mors Christi deprædicanda est: Ast *sola mors Christi* (ut laudata *Apologia* pag. 255. loquitur) *est vere propitiatorium sacrificium.*

Thes. XXXIII.

Finis CUI Sacræ Cœnæ [seu supposita, quorum bono Sacramentum illud institutum est, & quibus proinde ejusdem illius Sacramenti *Finis* CUJUS efficiendus est vel acquirendus,] sunt omnes ac soli homines viventes, carnaliter nati.

§. 1. Omnium hominum carnaliter natorum bono institutum esse Sacramentum Cœnæ, ex eo liquet, quod Sacramenta Novi Testamenti ad ordinem salutis omnibus hominibus car-

carnaliter natis a DEO constitutum pertineant.

§. 2. Propter *solos* homines id ipsum sacramentum institutum esse, exinde patet, quod Sacramenta sint media gratiæ ac salutis, hujusmodi vero media pertineant ad solos homines.

Thes. XXXIV.

Subjectum Sacræ Cœnæ [seu supposita, quorum bono Sacramentum Eucharistiæ institutum est, quæque ad Sacramenti illius participationem reapse admitti debent] sunt, omnes ac soli homines viventes, Christiani, baptizati, qui se probare possunt, nullos errores fundamentales palam fovent, & probabilia dignorum convivarum indicia edunt. Non igitur a Sacræ Cœnæ communione excludi debent carnifices, pœnitentes facinorosi extremo supplicio afficiendi, homines pollutionem nocturnam passi, mulieres menstruatæ.

§. 1. *Solis hominibus* Sacram Cœnam porrigendam esse, manifestum est ex generali illo, superius in Loc. de *Sacram. in Genere* p. 1630. seq. demonstrato asserto: *Homini soli applicanda esse sacramenta.* Sic & ex illo superius pag. 1631. comprobato principio: *Hominibus mortuis Sacramenta applicari non debent*, abunde constat,

solis hominibus vivis Eucharistiæ *S*acramentum administrandum esse. *L*iquet igitur, quanta impietate tum Donatistæ canibus Eucharistiam fundi jusserint apud *Optatum Milevitanum* contra Parmenianum Lib. II. & IV. tum Papistæ asinis hostiam consecratam dederint, apud *Bodinum* Lib. II. Dœmonomaniæ cap. IIX. fol. 10. ex Pontano. Adparet etiam ex jam dictis, quantum impegerint illi, de quibus, quod mortuis Eucharistiam dederint, concilium *Carthaginense* III. can. IX. testatur.

§. 2. Soli homini *Christiano* (h. e. homini Christianam religionem profitenti) porrigendam esse Sacram Cœnam, vel hinc patet, quod extra ecclesiam sint canes *Apoc. XXII*, 15. canibus vero sacra projicienda non sint *Matth. VII*, 6.

§. 3. Similiter soli *baptizati* ad Sacram Cœnam admittendi sunt, quia Eucharistia est sacramentum confirmationis, & Baptismus sacramentum initiationis, ratio vero sacramenti initiationis postulat, ut ipsum sacramento confirmationis præmittatur. Quocirca errarunt *Innocentius* III. (quem tamen *Amicus* Tom. VII. Disp. XXIIX. num. 16. excusat,) & *Thomas* part. III. qu. 80. art. 3. quando non-baptizatis aditum ad Sacram Cœnam permisere.

§. 4. Non nisi eos homines, *qui se probare possunt*, ad Sacram Cœnam admittendos esse, Apostolus *1. Cor. XI*, 28. docet, ubi ait: *Probet autem*

autem quisque se (h. e. in se ipsum descendat, seque penitius exploret atque examinet, an ea habeat, quæ in digno sacri hujus epuli conviva requiruntur, nimirum an vere doleat admissa peccata, an vere credat in Christum omnium criminum expiatorem, an serium propositum habeat posthac peccata fugiendi, & juste sancteque vivendi:) *& ita* (seu tum demum, ubi se probaverit, & compererit, se esse dignum, seu idoneum augustissimi hujus epuli convivam) *de pane illo edat, & de poculo illo bibat.* Hinc neque *infantes*, neque homines *mente capti*, quatenus actu in ipso delirio constituti sunt, neque *obsessi*, quatenus actu a maligno spiritu agitantur, neque *moribundi*, in quibus nullus fere sensuum & rationis usus ob morbi vehementiam supereſt, ad Sacram Cœnam sunt admittendi. Omnes enim non eo, quod rationis usu, sine quo nemo se probare potest, destituti sint, probare se nequeunt. Vid. *B. Bechmanni* Theol. Conscient. Tit. I. Sect. VI. Cas. XXI. XXX. Neque vero omnes *ætate grandiores*, qui nec pro mente captis, nec pro obsessis habentur, nec morbo vehementiore opprimuntur, ad Sacram Cœnam admittendi sunt. Contigit enim, ut inter illos quoque deprehendantur, in quibus usus rationis eo se non exerit, ut ex informatione, etiam diligentissima, quid peccatum, quid contritio sit, quid Christus pro nobis præstiterit, quid sit fides in Christum, & alia, quorum notitia ad probationem ab Aposto-

lo præscriptam requiritur, intelligant: Hos vero, cum probationis illius capaces non sint, minister ecclesiæ solo intuitu ætatis grandioris & qualiscunque usus rationis ad Sacram Cœnam admittere non debet.

§. 5. Etsi igitur infantes ad Sacram Cœnam admittere haud liceat, eos tamen *pueros*, illasque *puellas*, in quibus rationis usus eo usque se exerit, ut beneficio fidelis & assiduæ informationis ad præscriptum Apostoli se probare possint, a Sacramento isto arcere non decet. Scilicet hic certum temporis spatium constituendum non est, sed inprimis usus rationis ad instituendam probationem sufficiens attendendus.

§. 6. Eos *tantum adultos*, *qui nullos errores fundamentales palam fovent*, *ad mensam Domini cum aliis admittendos esse*, clarissime liquet. Præter hoc enim, quod Sacra Cœna ideo sumitur, ut fidem confirmet ac corroboret, eo etiam fine (ut Apostolus 1. *Cor. X. 17.* haud obscure significat) usurpatur, ut testentur communicantes, quod, sicut de uno pane eucharistico participarunt, ita inter se etiam unum corpus nempe mysticum, sint, fidem quippe eandem profitentes. At vero de iis, qui palam errores fundamentales fovent, asseri nequit, quod unum corpus sint cum veræ ac puræ ecclesiæ membris, eandemque cum ipsis fidem profiteantur.

§. 7. Neque tandem *alii*, *nisi qui probabilia dignorum convivarum indicia edunt*, *ad*

Sacram

Sacram Cœnam admitti debent. Nam Sacramentum Cœnæ potissimum ad fidem & peccatorum remissionem confirmandam porrigitur: Ast indigni convivæ nec fide pollent, nec peccatorum remissione gaudent. Ad hæc ministro ecclesiæ, ne quis Sacram Cœnam ad judicium & damnationem accipiat, modis omnibus cavere, ratione officii incumbit: at vero cœnam illam conviva indignus ad judicium & damnationem teste Apostolo *1.Cor. XI, 29.* omnino sumit.

§. 8 Minime vero *carnifices*, pœnitentes *facinorosi* ad capitale supplicium jam abstrahendi, homines *pollutionem nocturnam* passi, mulieres *menstruatæ*, a Sacræ Cœnæ communione excludi debent. Nihil enim obstat, quo minus mortales illi, si se probare possint & contritionis, fidei, ac propositi pie vivendi indicia edant, ad Sacram Cœnam admittantur. Nullibi certe eorum admissio interdicta est. Nec vero per se aut carnificis ministerium, aut imminens jam facinoroso extremum supplicium, aut corporis immundicies indignum sacri illius epuli convivam reddit. Non inquam, *carnificis ministerium.* Sunt enim carnifices legum manus, ut *Gothofredus* ad Novell. 69. cap. 3. observat; prout & justitiæ executio manus sanctum est, quod olim populus DEI *Num. XV, 35. 36. Deuter. XVII. 7.* Levitæ *Exod. XXXII, 27. 28.* exercuerunt. Non *capitis supplicium facinoroso jam imminens*, cum etiam ad pœnitentes facinorosos extremo

supplicio afficiendos remissio peccatorum, æterna salus, & confirmandæ fidei ac remissionis peccatorum media pertineant. Non *corporis immunditiæ* (e. gr. fluxus mensium, pollutio nocturna &c.), cum sola animæ immundities indignum Sacræ Cœnæ convivam faciat.

§. 9. Ex iis, quæ hucusque tradidimus, nemo non animadvertit, nos non iis tantum, quos in præced. §. 1. & 3. notavimus, sed pluribus aliis thesin nostram opposuisse. Videlicet iis refragamur omnibus, qui Eucharistiam infantibus porrigendam censuere: Qui error sexcentos circiter annos (teste *Maldonatio* in cap. VI. *Joh.* in *Latina* Ecclesia duravit, tribuitur quoque *Hussitis* (quippe qui sex hebdomadum infantibus, diebus purgationis puerperæ absolutis, eucharistiam præbuisse dicuntur,) hodieque apud Græcos (uti *Felavius* in Enchirid. de statu hodiernorum *Græcorum* cap. XXIII. fol. 368. testatur) & (ut *Franciscus Alvarezius* in descriptione ad presbyterum Johannem narrat) apud Abyssinos viget. Hic quoque adversamur tum *Græcis*, qui apud *Hottingerum* Histor. Eccles. part. IV. cap. XV. pag. 18. Sacræ Cœnæ sumtioni fluxum mensium obstare putant, tum *Thomæ Aquinati*, qui part. III. quæst. LXXX. art. 7. docet, nocturnam pollutionem Sacramenti illius usum impedire. Neque adstipulari possumus *Simoni Episcopo*, carnifices, quippe quos non modo non in Christianorum, sed ne in hominum quidem numerum

rum refert, *Tom. I. Opp. part. II.* ad Quæst. XLVI. fol. 47. seq. a communione Sacræ Cœnæ excludenti.

Th. XXXV.

Circa *objectum* Sacræ Cœnæ (personale) omnino observandum, quod omnibus sacri illius epuli convivis utraque species benedicta necessario dispensanda sit.

§. 1. Nomine *objecti personalis* Sacræ Cœnæ intelligimus eos, qui sacramento illo reapse untuntur: Illi quippe dicuntur Sacræ Cœnæ *objectum personale*, quia sunt personæ, circa quas Sacramentum Cœnæ, quatenus actum dispensandi involvit, occupatum est.

§. 2. Vocabulo *utriusque speciei* non intelliguntur externæ saltem figuræ panis & vini, sed ipsa symbola seu signa externa, panis & vinum: Hæc quippe symbola vocantur *duæ species*, quod sint duæ substantiæ sensibiles, specie seu essentialiter distinctæ.

§. 3. Nostrum autem in thesi nostra comprehensum assertum *Protestantes* Artic. Smalcald. Part. III. art. VI. graviter sic efferunt: *De Sacramento altaris sentimus, non tantum unam speciem esse dandam. Inprimis vero damnamus & execramur in nomine Domini omnes eos, qui non tantum utramque speciem omittunt, verumque etiam tyrannice eam prohibent, damnant, & bla-*

& blasphemant ut hæresin (non quidem ipsam utramque speciem in se, sed si statuatur ut necessaria,) *& ita se ipsos supra & contra Christum Dominum & DEUM nostrum extollunt, opponentes & præponentes se Christo.*

§. 4. Contrarium omnino docent hic *Pontificii*, qui licet Laicis, & Clericis non conficientibus (seu non administrantibus) utrumque symbolum benedictum dari posse censeant, id tamen non ex necessitate faciendum esse, sed, si ecclesiæ ita visum fuerit, fieri posse statuunt; ac, licet tum Clericis non conficientibus, tum Laicis in Sacræ Cœnæ administratione non panem tantum benedictum porrigant, sed & vinum concedant, non tamen vinum consecratum, nec vinum ut partem substantialem Sacramenti, sed solum ad hostiæ ablutionem vinum iis relinquunt. Quippe Patres *Tridentini* Sess. XXI. cap. 1. diserte declarant ac docent, nullo *divino præcepto Laicos & Clericos non-conficientes obligari ad Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie sumendum: neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei Communio ad salutem sufficiat, cum etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc sacramentum in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit, non tamen illa institutio & traditio eo tendat, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur.* Porro iidem Patres non tantum cap. II. ejusdem Sessionis statuunt, sanctam matrem Ecclesiam

cleſiam, *cum ſuam in adminiſtratione ſacramentorum autoritatem agnoviſſet, conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi progreſſu temporis latiſſime introductam approbaſſe, & pro lege habendam decreviſſe*, ſed & Canon. II. illius ipſius ſeſſionis anathemate feriunt eum, *qui dixerit, ſanctam Eccleſiam Catholicam non juſtis cauſis & rationibus adductam fuiſſe, ut Laicos, atque etiam Clericos non-conficientes ſub panis tantummodo ſpecie communicaret, aut in eo erraſſe.*

§. 5. Non ſolum autem in noſtra theſi contradicimus *Pontificiis*, Laicos, & Clericos non-conficientes a benedicto calice arcentibus, verum etiam iis omnibus adverſamur, qui hominibus a vino penitus abhorrentibus cœnam Domini ſub una duntaxat ſpecie, nimirum pane, adminiſtrandam cenſent: Quem errorem ex Reformatis *Doctoribus Daniel Chamier* in Panſtrat. Cathol. Lib. IIX. cap. XI. n. 9. & *Samuel Mareſius* Hydræ Socinianæ Tom. II. fol. 648. tuentur.

§. 6. Patet vero luculentiſſime, omnibus iis, qui admittuntur ad Sacram Cœnam, utramque ſpeciem benedictam neceſſario diſpenſandam eſſe. Quippe I. qui non utramq; ſed unam tantum ſpeciem benedictam accipiunt, illi Sacramento Cœnæ plane non potiuntur. Sublata enim forma tollitur res ipſa: Si vero alterius ſpeciei benedictæ uſus tollatur, tollitur forma Sacræ Cœnæ, cum hæc forma in actionum ſacramentalium in verbis inſtitutionis

tionis præscriptarum indivulso cumulo consistat, atque adeo utriusque symboli consecrationem, distributionem & sumtionem importet. Ast satius est, plane non administrare Sacram Cœnam, quam sub nomine Sacræ Cœnæ actionem aliquam committere, quæ prorsus non est Sacramentum Cœnæ. II. Qui unam tantum speciem benedictam porrigunt, illi contra Christi mandatum agunt. Christus enim utriusque symboli benedicti dispensationem & sumtionem instituit. Ast institutio illa est lex seu præceptum, quo utriusque symboli benedicti dispensatio ac sumtio pro omnibus Sacræ Cœnæ convivis sumitur & præscribitur. Ea videlicet institutione pro *omnibus* Sacræ Cœnæ *convivis* utriusque benedicti symboli sumtionem sanciri, exinde patet oppido, quod quævis institutio divina omnibus, qui re instituta uti volunt, dictitet ac præscribat, quomodo uti ea debeant. Et quod Sacræ Cœnæ sub utraque specie institutio sit *præceptum*, tribus modis demonstratur. Quippe (a) omnis constitutio a voluntate superioris facta, qua aliquid sancitur (vel præcise quoad exercitium actus, vel præcise quoad speciem actus, vel quoad exercitium & speciem actus,) est præceptum: Atqui Sacræ Cœnæ institutio sub utraque specie, seu institutio sumtionis utriusque symboli benedicti est constitutio, qua Christus tanquam superior sua voluntate Sacram Cœnam quoad speciem actus sancivit, h. e. sua voluntate

te determinavit, ut hoc & non alio modo, nimirum adhibito utroque symbolo benedicto, Sacra Cœna celebraretur. (b) Argumentamur ita: *Quicquid est oratio, quæ verbis modo imperandi conceptis constat, actum qui sub præceptum cadit, pro objecto habet, & a superiore, cujus voluntas jure superioritatis obligat, profecta est, illud utique est præceptum, seu Lex. Atqui institutio utriusque symboli benedicti est oratio, quæ verbis modo imperandi conceptis constat, actus, qui sub præceptum cadunt, pro objecto habet, & a superiore, cujus voluntas superioritatis jure obligat, profecta est. Ergo institutio utriusque symboli benedicti est præceptum seu Lex.* Majoris propositionis veritas ex eo luculente adparet, quod ad legem externam (seu ad legem, quæ extra legislatoris mentem existit, nihil requiratur aliud, quam ut sit oratio verbis modo imperandi conceptis constans, actum, qui sub præceptum cadit, pro objecto habens, & a superiore, cujus voluntas superioritatis jure obligat, profecta. Sic & minoris propositionis veritas in aprico posita est. Verba enim, quibus institutio sumtionis utriusque symboli benedicti continetur, illa nempe verba: *accipite, edite, bibite*, omnino imperativa sunt, seu imperandi modo adhibentur. Quod vero utriusque benedicti symboli institutio actus, qui jure potuerunt præscribi, pro objecto habeat, vel inde constat, quod *edere de pane benedicto, & bibere de poculo benedicto* sint actus humani, ad

nostram

noſtram ſalutem directi, quos Chriſtus noſtræ ſalutis autor jure præſcribere omnino potuit. Denique quod Chriſtus, qui utriusque benedicti ſymboli ſumtionem inſtituit, ſuperioritatis jure polleat, omnesque homines ad faciendum id, quod præcipit, obſtringere valeat, ex eo manifeſtum eſt, quod ipſi omnis poteſtas in cœlis & in terris data ſit *Matth. XXVIII, 18. 1 Cor. XV, 27.* (c) Ad præceptum de ſpecificatione actus duo tantum requiruntur, nempe ad certum modum determinatio, & ſuperioris voluntas, quæ ad rem ſic, ut determinata eſt, nec aliter faciendam obligat: *Jam* vero quando Chriſtus inſtituit Sacram Cœnam ſub utraque ſpecie, non ſolum Sacram Cœnam determinavit, ut hoc & non alio modo, nimirum utroque ſymbolo, pane videlicet & vino, adhibito, celebraretur, verum etiam tanquam ſuperior ſua voluntate homines ad Sacram Cœnam ſic, ut determinata & ſancita eſt, nec aliter celebrandam obligavit.

§. 7. Nos ſpeciatim contra *Pontificios*, ſolis (ut ajunt) conficientibus ſacerdotibus benedictum calicem concedentes, ſic argumentamur: *Quæcunque Sacra Cœnæ adminiſtrandæ ratio non ſolum contra exemplum eccleſiæ primitivæ, veteresque canones recepta, noviterque introducta eſt, ſed & ipſi Chriſti mandato adverſatur, ea prorſus rejicienda eſt ac damnanda. Atqui ea Sacræ Cœnæ adminiſtrandæ ratio, qua tantum panis benedictus Laicis datur, non ſolum contra exemplum*

plum ecclesiæ primitivæ, veteresque canones recepta, noviterque introducta est, sed & ipsi Christi mandato adversatur. Ergo &c. Majorem propositionem, quæ nulla indiget probatione, *Protestantes* in August. Confess. art. *de utraque specie* ex corpore Juris Canonici, & quidem ex Dist. *8.* cap. *Veritate*, & duobus sequentibus capitibus confirmant. Quippe cap. *Veritate* verba, ex *Augustini* Lib. III. de baptismo contra Donatistas c. 6. & c. *8.* depromta, ita habent: *Veritate manifestata cedat consuetudo veritati, plane respondeo, quis dubitet veritati manifestatæ debere consvetudinem cedere? Idem, Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Et caput subsequens *Si consuetudinem*, ex Gregorii VII. Pontificis Romani, literis ad Guitmundum, Aversanum Episcopum, (qui librum de corpore & sanguine Domini contra Berengarium scripsit) exaratis desumtum huc redit: *Si consuetudinem fortasse opponas, advertendum, quod Dominus dicit, Ego sum veritas & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed veritas. Et certe (ut Beati Cypriani utamur sententia) quælibet consuetudo, quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & usus, qui veritati est contrarius, abolendus.* Denique ex cap. *Qui contemta veritate* huc spectat, quod *Augustinus* Libr. III. de baptismo contra Donatistas cap. 6. scribit: *In Ev-*

angelio Dominus, Ego sum, *inquit*, veritas: *non dixit, ego sum consuetudo. Itaque veritate manifestata, cedat consuetudo veritati, & revelatione facta veritatis, cedat consuetudo veritati: quia & Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicandi.* Quod ad minorem argumenti nostri propositionem attinet, primum illius membrum (*eam* videlicet *Sacræ Cœnæ administrandæ rationem, qua tantum panis benedictus Laicis porrigitur, contra exemplum ecclesiæ primitivæ receptam esse*,) *Protestantes* in *August. Confess.* l. c. *Cypriani* & *Hieronymi* testimoniis comprobant. *Hieronymus* enim, qui circa annum 400. floruit, in tert. cap. Sophoniæ diserte ait, *sacerdotes Eucharistiæ servire, & sanguinem Christi populis dividere. Cyprianus* quoque, Carthaginensis presbyter, qui medio seculi III. in epistola de Sacramento Dominici calicis (quæ tertia est Libri II.) scribit, *populo sanguinem datum esse.* Secundum minoris propositionis membrum (*eam* nimirum *Sacræ Cœnæ administrandæ rationem, qua solus panis benedictus Laicis datur*, receptam esse contra veteres canones) ibidem *Protestantes* ostendunt ex dist. 2. de Consecratione cap. *Comperimus*, ubi *Gelasius* Papa mandat, ne sacramentum dividatur. Totum videlicet caput illud memoratu dignissimum (quod est pars epistolæ, quam Gelasius, ab anno 492. usque ad annum 496. Romano Episcopatu functus, ad Majoricum & Johannem Episcopos scripsit)

scripsit) ita habet: *Comperimus autem, quod quidam sumta tantummodo corporis sacri portione a calice sacri cruoris abstineant. Qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire.* Hic quidem *Pontificii*, allegatum canonem loqui tantum de sacerdotibus, atque his, ne solo pane utantur, interdicere contendunt, ad inscriptionem canoni præfixam: *Corpus Christi sine ejus sanguine sacerdos non debet accipere*, provocantes; sed vanissima est hæcce ipsorum exceptio. Constat enim liquidissime, verba *Gelasii* non loqui de sacertotib9 præcise, sed promiscue de quibusvis communicantibus, qui vel sub specie abstinentiæ a vino, vel alia ex superstitione abstinebant a calice, & solo pane utebantur. Præterquam enim, quod ille Romanus antistes eam Sacræ Cœnæ administrandæ rationem, qua solus panis usurpatur, generaliter improbet, hominesque, ut vel integra sacramenta percipiant, vel ab integris arceantur, adstringere generaliter jubeat, ipsa etiam improbandi & jubendi ratio, quam adducit, (quod nempe *divisio uni ejusdemque mysterii sine grandi privilegio non possit provenire*) generalis est. Cæterum verba canoni præfixa non sunt Gelasii Papæ, sed Gratiani, vel alterius cujusdam recentioris Glossatoris, qui, cum videret, canonem hunc communioni sub una specie in

Papatu jam receptæ repugnare, hacce gloſſa difficultatem illam tollere anniſus eſt. Quod attinet ad tertium minoris propoſitionis aſſertum (*eam* ſcilicet Sacræ Cœnæ adminiſtrandæ rationem, qua non niſi benedictus panis Laicis datur, noviter introductam eſſe,) *Proteſtantes* ſic commentantur: *Hic mos, quo Laicis datur utraque ſpecies ſacramenti in Cœna Domini, diu manſit in Eccleſia, nec conſtat, quando aut quo autore mutatus ſit, tametſi Cardinalis Cuſanus recitet, quando ſit approbatus.* Videlicet etſi inde ab Apoſtolorum ævo usque ad illa tempora, quibus figmentum transſubſtantiationis in Eccleſiam invectum fuit, (id quod ſeculo XI. factum eſt,) mos ſub utraque benedicta ſpecie communicandi duraverit, ac contrarius mos ſub ſola panis ſpecie communicandi primum anno 1414. a Conſtantienſi concilio lege quadam confirmatus fuerit, non tamen ſatis diſtincte, & certo conſtat, quando & a quibus conſvetudo ſub una tantum ſpecie Sacram Cœnam adminiſtrandi in Eccleſiam introducta ſit. Certe jam Pauli tempore Laicis ſub utraque ſpecie benedicta Sacram Cœnam adminiſtratam fuiſſe, ex *1 Cor. XI*, 26. luculentiſſime patet. Dum enim ibi Apoſtolus ait: *Quotieſcunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunc ietis, donec venerit*, generalem quandam, omnesque communicantes, tum Clericos tum Laicos, reſpicientem inſtructionem tradit. Quando autem

autem Laicos mortem Domini, quotiescunque panem benedictum comederint, & de poculo benedicto biberint, annunciare jubet, hoc ipso subinnuit, Laicos communicantes utraque specie benedicta usos esse: Atque hæc Sacræ Cœnæ administrandæ ratio, qua Laicis utraque species datur, per mille annos inde ab Apostolorum ætate ubique locorum in Ecclesia fuit recepta. Aperte enim ex Pontificiis Doctoribus *Georgius Cassander*, Brugis in Flandria natus, tribusque augustissimis Imperatoribus, Carolo V. Ferdinando I. & Maximiliano II. charissimus Theologus, in sua super Augustanam Confessionem Consultatione, & quidem super Artic. XXII. fatetur, Orientalem ecclesiam in hunc usque diem, Occidentalem vero seu Romanam mille amplius a Christo annis, in solenni præsertim & ordinaria hujus sacramenti dispensatione, utramque panis & vini speciem omnibus ecclesiæ Christi membris exhibuisse, idque ex innumeris veterum scriptorum, tam Græcorum, quam Latinorum, testimoniis manifestum esse. Ast ea tempestate, qua transsubstantiationis figmentum in Ecclesiam sensim invehebatur, Sacra Cœna sub sola panis specie passim administrari cœpit. Cum enim tunc quorundam sacerdotum mentibus obreperet formido, ne forsan inter sacramenti dispensationem effunderetur calix, atque adeo sanguini Christi, in quem vinum per consecrationem mutatum esset, injuria aliqua fieret, nonnulli con-

secratum panem intingere in calicem, & sic panem tinctum Laicis porrigere cœperunt, quidam vero alii longius progressi Sacramentum Cœnæ sub una specie administrarunt, etsi ratio sub utraque administrandi nondum interdiceretur. Quo pacto tempore sat longo Sacramentum Cœnæ in quibusdam locis sub utraque, in quibusdam sub una tantum specie, dispensatum fuit. Nec vero mos sub una tantum specie communicandi prius lege publica, quam anno 1414 in concilio Constantiensi, confirmatus fuit: Hactenus enim passim consurrexerant cordati Theologi, qui communioni sub una specie celebrandæ masculè sese opponerent. Equidem *Nicolaus Cusanus* (a Cusa, natali vico, in Trevirensi Diœcesi sito, sic dictus, atque ex Archi-Diacono Leodiensi Brixiensis in comitatu Tirolensi episcopus, ac postea Cardinalis factus) in Epist. III. ad Bohemos approbationem, & confirmationem unius speciei ad concilium Lateranense, quod circa annum 1216. habitum est, refert, sed quia id, quod dicit, non probat, fidem haud commeretur. Quartum denique minoris propositionis membrum (*eam* videlicet *Sacræ Cœnæ administrandæ rationem, qua solus benedictus panis Laicis datur, ipsi Christi mandato adversari*) ex eo manifestum est, quod in præcedentibus demonstratum dedimus, Christum pro omnibus communicantibus Sacram Cœnam sub utraque specie instituisse, eam vero institutionem esse Legem seu mandatum.

Id

Id ipsum, quod ratio sub sola panis specie communicandi præcepto Christi repugnet, patescit luculente ex *Matth. XXVI, 27.* ubi Salvator diserte ait: *Bibite ex hoc omnes.* Illa quippe verba non pertinent saltem ad Apostolos, eorumque in Ministerio successores (uti *Pontificii* contendunt,) sed ad omnes Christianos, quotquot Eucharistiæ Sacramento utuntur. Alias enim etiam præcedentia Verba: *Edite, Hoc est Corpus meum*, ad sosos Apostolos, eorumque in Ministerio successores spectarent, atque utrumque symbolum benedictum Laicis denegandi ecclesiæ conveniret. Hoc ipsum, quod Christus de benedicto calice omnes bibere jubens, non solos respiciat sacerdotes, *Augustana Confessio* Art. XXII. ex *1. Cor. XI.* probat; Et ne, inquiens, *quis possit cavillari, quod hoc mandatum Domini: Bibite ex hoc omnes, ad sacerdotes tantum pertineat, Paulus ad Corinthios exemplum recitat, in quo apparet, totam, Ecclesiam utraque specie usam esse.* Videlicet *Protestantes* hic contendunt, totam Corinthiorum ecclesiam, ut ex Clericis & Laicis constantem, utraque specie usam esse velut ex institutione & mandato Christi. Laicis enim apud Corinthios datam esse utramque speciem, ex generali communicantium instructione, quam Apostolus tradidit, in præcedentibus jam demonstravimus. Id vero tanquam ex mandato & institutione Christi factum esse, ex eo adparet, quod Apostolus, simulatque vers. 23. 24. & 25. institutionem cœnæ

commemoravit, v. 26. generalem illam communicantium instructionem, qua omnes communicantes, si panem benedictum comederint, & de consecrato calice biberint, mortem Domini annunciare jubentur, subjungit, atque adeo Laicos etiam communicantes vi institutionis & mandati Christi de poculo benedicto bibisse subinnuit.

Th. XXXVI.

Observandum insuper circa Objectum Sacræ Cœnæ personale, quod *geniculatio* communicantium non sit improbanda.

§. 1. Etsi enim geniculatio illa sit indifferens ceremonia, utilis tamen est, & ædificationem facit, cum reverentia causa erga sacrum hoc mysterium adhibeatur.

§. 2. Dissentimus igitur a *Sociniana* secta, quæ communicantium geniculationem quam maxime detestatur. Ipse quippe *Socinus* de fin. & us. Cœn. Domin. Tom. I. Opp. fol. 774. contendit, geniculari esse idolatricum. Et *Smalzius* contr. Franz. Disp. XII. fol. 348. scribit: *Errare eos, adeoque causas nectere superstitionis, & simplicitatem hujus ceremoniæ corrumpere, qui ad mensam Domini deambulant, vel geniculantur, quis est, qui non videat? Quis unquam audivit aliquem cœnare cum aliquo ambulantem aut genua flectentem?* Quo spectat, quod *Ostorodus.*

Instit.

Instit. Germ. cap. XXXIIX. fol. 344. ait: Daß etliche dieselbe Symbola knyend nehmen / und ihnen darzu ins Maul reichen lassen, halten wir für einen Aberglauben, welcher nicht weit sey von der Päbstischen Abgötterey / und derhalben halten wir es dafür, daß es von allen wahrhafften Christen solte vermieden werden.

Th. XXXVII.

Liquet ex hactenus dictis, nec *Finem Cui*, nec *Subjectum* Sacræ Cœnæ cum ejus *Objecto* (personali) confundendum esse.

§. 1. Homines enim impii & impœnitentes sunt Sacræ Cœnæ *Finis Cui*, cum ipsorum quoque bono Sacramentum illud institutum sit, & ad ipsos pertineat, sed non sunt subjectum, cum ad Sacram Cœnam non sint admittendi. Ac homines ex Judaismo ad Christianam religionem conversi, baptizati, Sacram Cœnam desiderantes, sed ante ejus participationem ex hac vita decedentes, fuere quidem Sacræ Cœnæ subjectum, nunquam autem facti sunt ejus objectum. Contra vero convivæ indigni sunt quidem Sacræ Cœnæ objectum, cum reapse ea utantur, sed non sunt illius subjectum, quia, si de ipsorum indignitate constaret, ad epulum tam sacrum admitti non deberent.

§. 2. Ex his igitur, atque ex iis, quæ in superioribus disseruimus, apparet luculente, minus accurate docere *Doct. Bajerum*, quando

Theol. Posit. Part. III. cap. XI. §. X inquit: *Finis Cui* (h. e. illi, *quorum bono institutum est ab Auctore suo hoc sacramentum*) *sive Subjectum ad participationem Sacræ Cœnæ admittendum* (*quod quidam Objectum vocant, intelligentes personale*) *sunt homines Christiani, qui se probare possunt.* Præterquam enim, quod Sacræ Cœnæ Finem Cui cum ejus subjecto, & subjectum cum objecto confundat, atque eos, quorum bono Sacramentum Cœnæ institutum est, ad participationem Sacræ Cœnæ admittendos esse absolute doceat, in eo taxari omnino debet, quod homines Christianos, qui se probare possunt, ad Sacram Cœnam admittendos esse, simpliciter asserit. Homines enim Christiani, qui se probare possunt, sunt autem impœnitentes, atque in instituta probatione se pœnitentiæ, veræque fidei expertes esse deprehendunt, ad Sacræ Cœnæ participationem nondum sunt admittendi.

Th. XXXVIII.

Effectus Sacræ Cœnæ (qui & ejus *Finis* CUJUS certo respectu dici potest) est multiplex: Nempe 1.) Recordatio & Commemoratio mortis Christi. 2) Obsignatio promissionis Evangelicæ de remissione peccatorum. 3.) Fidei in Christum confirmatio. 4.) Insitio nostra in Christum. 5.) Nutritio spiritualis ad vitam. 6.) Dilectio mutua

mutua communicantium. 7.) Æterna communicantium beatitudo.

§. 1. Effectus Sacræ Cœnæ dicitur Sacramenti illius Finis absolute talis seu Finis CUJUS, si ratione intentionis spectetur, (seu si consideretur, quatenus ipsius efficiendi aut consequendi causa Sacramentum illud institutum est.)

§. 2. *Recordationem & commemorationem mortis Christi* esse Sacræ Cœnæ effectum, liquidissime constat. *In quocunque* enim *sacramento corpus Christi edimus sub hac consideratione, quod sit in mortem traditum, & sanguinem Christi bibimus sub ista consideratione, quod in morte sit effusus, ab eo recordatio & commemoratio mortis Christi effective pendet*: Nec enim negari potest, sacramentum illud, in quo Christus corpus suum in mortem traditum, suumque sanguinem in morte effusum exhibet, habere vim maximam movendi animos nostros ad mortis Christi recordationem & commemorationem. *Atqui ex verbis institutionis Sacræ Cœnæ liquet, in Sacramento hoc corpus Christi sub hac consideratione comedi, quod sit in mortem traditum, & sanguinem Christi sub ista consideratione, quod in morte sit effusus, bibi.* Ergo, &c.

§ 3. S. Cœnæ ingentem inesse vim *obsignandi promissionem divinam de remissione peccatorum*, hacce evincimus demonstratione: In quocunq; Sacramento ipsum Xsti corpꝰ accipimꝰ, sub hac consi-

de-

sideratione, quod pro *nobis* & pro *nostris peccatis* in mortem traditum sit, ipsumque Christi sanguinem sub ista consideratione bibimus, quod *pro nobis* & *pro peccatis nostris* effusus sit, illud ingentem habet vim obsignandi divinam de remissione peccatorum promissionem. Atqui in Sacramento Cœnæ ipsum Christi corpus accipimus sub hac consideratione, quod pro *nobis* & pro *nostris peccatis* in mortem traditum sit, ipsumque Christi sanguinem sub ista consideratione bibimus, quod *pro nobis* & *pro nostris peccatis* effusus sit. Ergo &c. Minor itidem ex verbis institutionis manifesta est. Majoris autem propositionis veritas exinde patescit, quod DEUS promiserit, se nobis peccata remissurum esse propter Christum, ejusque mortem ac sanguinem. Hujus enim promissionis veritas eo ipso obsignatur, quod ipsum Christi corpus pro peccatis nostris in mortem traditum nobis edendum porrigitur, ipseque Christi sanguis pro peccatis nostris effusus nobis bibendus exhibetur: Certe enim DEUS corpus Christi pro peccatis nostris in mortem traditum non daturus nobis esset edendum, nec sanguinem Christi pro peccatis nostris effusum daturus nobis esset bibendum, nisi propter Christum, ejusque mortem & sanguinem remissurus adhuc esset peccata nostra.

§. 4. Nostræ *in Christum fidei confirmationem* Sacramenti Cœnæ effectum esse, sic probamus:

probamus: *In quocunque Sacramento corpus Christi pro hominibus in mortem traditum, & sanguinem Christi pro hominibus effusum accipimus, illud facit ad confirmationem fidei in Christum. At qui in Sacramento Cœnæ corpus Christi pro hominibus in mortem traditum, & sanguinem Christi pro hominibus effusum accipimus. Ergo &c.* Uti minor propositio ex ipsa Sacræ Cœnæ substantia patescit, ita majoris propositionis veritas vel ex fidei natura elucet. Nam fides in Christum in eo consistit, quod Christum pro me quoque corpus suum in mortem tradidisse, ac pro me, meisque peccatis sanguinem suum effudisse credo. At vero Christus mihi non daturus esset corpus suum edendum, nisi illud pro me quoque in mortem tradidisset, nec sanguinem suum mihi daturus esset bibendum, nisi eum pro me quoque & ad mea expianda peccata effudisset.

§. 5. Nostram in *Christum insitionem*, (seu arctam nostram cum Christo unionem) Sacræ Cœnæ effectum esse, itidem liquet ex eo, quod in eo Sacramento *ipsum Christi corpus* ac *sanguinem* manducamus & bibimus. Nec enim quicquam magis propiusque nobis unitur & conjungitur, quam quod manducamus ac bibimus.

§. 6. *Spiritualis nutritio* (quæ in eo posita est, quod cor hominis contritum & peccatis oneratum reficitur, ac pavida mens erigitur, & sic homo ad æternam vitam sustentatur) eo ipso

Sacræ

Sacræ Cœnæ effectus est, quod Sacramentum illud sit actio, in qua corpus Christi manducandum, & sanguis ejus bibendus communicantibus datur. Sane enim Christus sanguinem suum pro peccatis hominum effusum mihi bibendum non esset daturus, nisi is pro meis quoque peccatis effusus esset, ac mea etiam peccata expiaret.

§. 7. Ex eo, quod in §. antecedente 4. ostensum est, fidem nostram per Sacram Cœnam confirmari, sequitur profecto, a fide, tanquam a causa sua, spem vitæ æternæ, mutuam communicantium dilectionem & alia bona opera, quin imo ipsam æternam beatitudinem pendere. Quicquid enim confirmandæ & obsignandæ fidei efficax medium & organon est, ab eo quoque tanquam a causa sua spes vitæ æternæ, dilectio proximi, & alia opera bona, quin imo æterna hominum beatitudo dependent, cum fides sit spei, dilectionis, bonorum operum, ipsiusque æternæ vitæ verissima causa.

§. 8. Quod *æterna communicantium beatitudo* Sacræ Cœnæ *Finis* & *Effectus* sit, multi eunt probatum ex *Joh. VI, 50.* ubi Christus inquit: *Hic est panis ille, qui de cœlo descendit, ut, qui eo vescitur, non moriatur.* Quamvis vero verba illa loquantur præcise de spirituali manducatione, recte tamen ad sacramentalem manducationem *accommodantur.* Utraque enim manducatio ad eundem finem *per se* ordinatur, cum,

cum, quemadmodum Christus, velut panis vivificus, spiritualiter & fide manducatus hominem vitæ æternæ participem facit, ita & caro Christi sacramentaliter manducata ad manducantis salutem *per se* ordinetur, utut indigne manducata reum faciat hominem, eique exitium attrahat, quod per accidens est.

§. 9. Eam insuper nonnullorum sententiam, quæ inter Sacræ Cœnæ effectus refert *resurrectionis certificationem*, isto comprobamus argumento, quod Sacra Cœna non corporale, sed spirituale pabulum sit, quo anima ad vitam æternam nutritur, non ut seorsim & a corpore separata, atque sic sola fruatur vita æterna, sed ut corpori redunita, atque adeo homo totus vivat in æternum.

§. 10. Cæterum thesis nostra palam adversatur *Sociniana* scholæ, quæ Cœnam Sacram non alio habet loco, quam quo alia a DEO mandata opera habet, contenditque haud alio eam fine, quam in mortis Christi commemorationem, institutam esse. Quippe *Racovienses Catecheses* c. III. de Cœn. Dom. q. 5. ad quæstionem illam: *Nonne alia causa* (præter commemorationem mortis Christi,) *ob quam Dominus cœnam instituit, supereſt?* Diserte respondet: *Nulla prorsus: etsi homines multas excogitarint, cum alii dicant etiam sacrificium pro vivis & mortuis, alii usu ipsius se consequi remissionem peccatorum, & firmare fidem sperent.* Nec non *Smalzius* c. Franz. fol.

fol. 341. scribit, *usum Cœnæ Domini non confirmare & augere fidem.* Confer. *Osiorodus* Instit. cap. XXXIIX. fol. 330.

§. 11. Objiciunt hic *Sociniani* (1), *nullum verbum de confirmatione fidei, & remissionis peccatorum obsignatione, quæ fiat per Sacram Cœnam, extare in Scripturis.* Sed resp. Etsi sacræ literæ expresse non perhibeant, per Sacram Cœnam fidem in nobis confirmari, & peccatorum remissionem obsignari, tamen quoad rem ipsam id per hoc significant, quod sanguinem Christi pro hominibus, eorumque peccatis in remissionem peccatorum effusum in Sacra Cœna nos bibere docent. Objiciunt *Sociniani* (2), *Cœnam Dominicam institutam esse in mortis Christi commemorationem.* Resp. Licet ipsi hoc fateamur, inde tamen non sequitur, cœnam Dominicam non esse institutam ad confirmationem fidei nostræ, & obsignationem remissionis peccatorum. Illi enim fines non sunt invicem oppositi, sed subordinati. Objiciunt (3), *Cœnam Dominicam esse nostrum opus, quo fidem nostram declaramus, ea autem, quæ fidem nostram firmant, extra nos posita esse.* Resp. Cœna Dominica non saltem nostrum est opus, quo corpus & sanguinem Christi accipimus, verum etiam DEI opus est, quo nobis dat corpus Filii sui comedendum, & sanguinem ejus bibendum. Objiciunt (4), *eum, qui digne communicare vult, debere jam in fide sua esse confirmatum.* Resp. Quamvis ipsi hoc doceamus,

ex

ex eo tamen inferre haud licet, Cœnam Dominicam non esse institutam ad confirmationem fidei, & obsignationem remissionis peccatorum: Nec enim duo hæc inter se pugnant, eum, qui digne communicare vult, virtute & efficacia Verbi jam in fide confirmatum esse, & eundem in ea confirmari ulterius virtute Sacramenti Cœnæ. Objiciunt *Sociniani* (5), *edere & bibere non posse tantos effectus in hominis animo producere.* Resp. Etsi edere & bibere, si præcise & in se spectetur, id non possit, sacramentalis tamen corporis Christi comestio & sanguinis Christi bibitio cum concursu DEI supernaturali, quo elevatur, spirituales effectus in animo hominis producere valet.

Thes. XXXIX.

Etsi igitur Sacra Cœna tam efficax, tamque valida sit, ut fidem confirmet, promissionem de remissione peccatorum obsignet, & ad nanciscendam æternam salutem conducat, tales tamen effectus non sunt tribuendi *Missæ*, quippe quæ [ut *Artic. Smalcaldici* Part. II. art. 2. ajunt] tanquam *maxima & horrenda in Papatu abominatio damnanda & rejicienda est.*

§. 1. *Missæ* vox hic non denotat populi ad cultum publicum congregati dimissionem antiquitus receptam (quæ vel *totalis* erat, qua

peracto toto cultu omnis populus dimittebatur, vel *partialis*, qua soli catechumeni, audita Verbi prædicatione & quibusdam precatiunculis & cantiunculis præmissis, dimittebantur, remanentibus fidelibus, in quorum usum Eucharistiæ sacramentum administrabatur); nec designat totum cultum publicum (a sacrorum clausula, seu a publica populi dimissione sic dictum;) nec sumitur præcise & absolute pro Sacramenti Cœnæ administratione (quæ apud Christianos veteres vel a ritu missarum rerum, vel a dimissionis populi formula, ante & post celebratam Cœnam recitari solita, sic vocabatur;) sed significat missam sensu *Pontificio* acceptam, quæ dicitur esse quædam *sacerdotis actio, qua is, dum sacramentaliter communicat, in honorem solius DEI proprie sacrificet, sacrificium vere propitiatorium & satisfactorium pro vivis & mortuis peragat, & Patri cœlesti corpus & sanguinem Christi vere ac proprie, incruente tamen, offerat.* Scilicet Eucharistiam Sacram *Pontificii* non dicunt missam nisi in ordine ad sacerdotem sacramentaliter communicantem, & Christum sub specie panis & vini Deo offerentem. Atque in missa proprie sacrificari, sacrificium propitiatorium & satisfactorium vere ac proprie dictum pro vivis & mortuis peragi, Deoque, & quidem soli, Christum ipsum sub specie panis & vini vere quidem, sed incruente, offerri, *Tridentina Synodus*, & *Catechismi Tridentinus* & *Romanus*, diserte tradunt. Quippe *Tridentini*

dentini Patres sess. XXII. can. I. anathema esse jubent, *si quis dixerit, in Missa non offerri sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari.* Nec non iidem Patereuli l. c. can. III. pronunciant: *Si quis dixerit, missæ sacrificium tantum esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, anathema sit.* Atque ibidem cap. II. inquiunt: *Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruente immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruente obtulit, docet sancta synodus, sacrificium istud vero propitiatorium esse.* Scribunt porro l. c. cap. III: *Quamvis in honorem & memoriam sanctorum nonullas interdum missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed DEO soli, qui illos coronavit: Unde nec sacerdos dicere solet: Offero tibi sacrificium Petre, Paule, sed DEO de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.* Romanus vero Catechismus (quod ad sacrificium satisfactorium attinet) Part. II. cap. IV. qu. 45. ait: *Sacra Eucharistia, ut sacramentum est, iis, qui divinam hostiam sumunt, meriti causam adfert, & omnes illas utilitates, quæ superius commemoratæ sunt; ut autem sacrificium est, non merendi solum, sed satisfaciendi quoque efficientiam*

continet. Nam ut Christus Dominus in passione sua pro nobis meruit ac satisfecit, sic, qui hoc sacrificium offerunt, quo nobiscum communicant, Dominicæ passionis fructus merentur, ac SATISFACIUNT. Et (quod ipsam rem, quæ in missa sacrificari dicitur, concernit) idem Catechismus ibidem qu. 53. sic scribit: *Si veteris legis sacrificia ita placuerunt Domino, ut Scriptura DEUM odoratum esse odorem suavitatis, i. e. grata ei & accepta fuisse tetur, quid nobis sperandum de eo sacrificio, in quo ille ipse immolatur & offertur, de quo cœlestis vox bis audita est: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui? Hoc igitur mysterium pastores diligenter exponant, ut, cum fideles ad rem divinam convenerint, attente & religiose sacra illa, in quibus interfunt, meditari discant.* Quod tandem ad subjectum, cui prosit missa, attinet, *Tridentinus Catechismus* de Euchar. Sacram. cap. XIII. p. m. 225. docet, missam *non solum immolanti & sumenti prodesse, sed omnibus etiam fidelibus, sive illi nobiscum in terris vivant, sive jam in Domino mortui, nondum plane expiati sint: neque enim minus ex Apostolorum certissima traditione pro his utiliter offerri, quam pro vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, ac quibusvis calamitatibus & angustiis.*

§. 2. Missa, sensu Pontificio accepta, est duplicis generis. Alia quippe est actio, qua sacerdos hostiam benedictam etiam aliis porrigit; alia vero est actio, qua solus sacerdos super altari

altari communicat. Atque posterioris generis missam *Protestantes* in August. Confess. art. XXIV. pag. 25. 27. appellitant missam *privatam*, non ratione *loci*, quod in privato aliquo oratorio seu sacello, celebretur, nec ratione *temporis*, quod non festis, sed profestis diebus peragatur; nec a *paucitate eorum, qui interfunt*, quod scilicet celebretur, etsi pauci adsint, aut solus communicans præsens sit; nec eo sensu, quod præter unam, quæ habetur in summo altari, eodem templo, eodemque die celebretur in minoribus altaribus; sed in oppositione ad *communem*, ut, sicut communis seu publica dicitur, qua populus communicat, ita privata vocetur, in qua solus Sacerdos communicat, sive in publico Ecclesiæ conventu vel loco celebretur, sive non, sive solus Sacerdos sit, sive plures spectatores circumstent Sacerdotem. Videlicet missa *privata* idem notat, quod missa *solitaria*.

§. 3. Nos contra missam *Pontificiam*, seu contra *Pontificiorum* de missa doctrinam argumentis variis, iisque validissimis depugnamus. *Primo* quippe huncce ad modum argumentamur: *Quicquid est hominum actio, quæ celebratur sub ratione operis, quo Christus ipse proprie loquendo sacrificetur, Deoque vere ac proprie offeratur, illud in ecclesia tolerandum non est. Atqui missa Pontificia est hominum actio, quæ celebratur sub ratione operis, quo Christus ipse proprie loquendo sacrificetur, Deoque vere ac proprie offeratur.*

Ergo missa Pontificia in ecclesia toleranda non est. Minor exinde liquet, quod *Pontificii* ipsi ut ex præcedentibus manifestum est) doceant, missam esse actionem sacerdotis, qua ipse proprie sacrificet, & Patri cœlesti Christum vere ac proprie offerat. Major propositio ex eo patet, quod Christus hodie proprie loquendo sacrificari non possit. Præterquam enim quod Christus semel tantum offerri debuit & oblatus est *Hebr. VII, 27. cap. IX, 12. c. X, 12.* ex sacrificii proprie dicti natura manifeste adparet, absurdissimum esse, si quis dixerit, Christum hodieque proprie loquendo sacrificari, ac DEO vere per sacrificandi actionem offerri. Namq; ex sacrificii proprie dicti natura, quam & ex Pontificiis *Bellarminus* & *Gregorius de Valentia* docuere, in superioribus dedimus demonstratum, illud, quod proprie loquendo sacrificatur, & per sacrificandi actionem DEO proprie offertur, ita mutari, ut destruatur, ac desinat esse, quod est. Quid vero absurdius, quid magis impium est, quam dicere, quod Christus hodie destruatur, ac desinat esse, quod est? Excipiunt hic *Pontificii*, Christum quidem proprie loquendo sacrificari, Deoque vere offerri, non autem destrui, seu ita non mutari, ut desinat esse, quod est, cum sacrificetur modo incruento, ac repræsentative tantum offeratur. Verum enim vero si Christus in missa non destruitur, vere & proprie ibi non sacrificatur. nec vere DEO offertur, cum, quicquid proprie sacrificatur, vereque

per

per sacrificandi actionem DEO offertur, id destruatur, desinatque esse quod est. Quando autem hic dicunt *Pontificii*, Christum non eruente, sed incruente sacrificari, eo ipso suam missam, quam dicunt esse opus Sacerdotis, quo Christus ipse proprie sacrificetur, evertunt. Sacrificium enim proprie dictum sua intrinseca natura importat destructionem ejus, quod offertur, &, si ides animata sit, mactationem illius. Atque hoc ipso, quod excipiunt, Christum repræsentative tantum offerri, illam suam doctrinam, quod in missa Christus vere offeratur, destruunt. In quo enim oblatio Christi tantum repræsentatur, in eo Christus vere non offertur, cum aliud sit res ipsa in se & sua veritate, aliud rei qualiscunque repræsentatio.

§. 4. *Secundo* contra Pontificiam missam hocce insurgimus argumento: *Quicquid est hominis actio, quæ celebratur sub ratione Sacrificii propitiatorii & satisfactorii, illud est rejiciendum. Atqui missa Pontificia est hominis actio, quæ sub ratione sacrificii propitiatorii & satisfactorii celebratur. Ergo missa Pontificia est rejicienda.* Minor patet ex illa missæ descriptione, quam supra ex ipsis *Pontificiorum* scriptis contexuimus. Major ex eo clara est, quod Christi sacrificium, in ara crucis semel pro nobis peractum, perfecta sit propitiatio & satisfactio pro omnium peccatis *1. Joh. II, 2. Ebr. IX, 12. 15. seq. cap. X*, 12. quæ hominibus prodest & applicatur per fidem.

§. 5. *Tertio* sic argumentamur: *Quicquid est actio divinæ institutioni prorsus repugnans, illud est damnandum. Atqui missa Pontificia est actio divinæ institutioni prorsus repugnans. Ergo &c.* Major propositio per se patet. Minoris veritas inde adparet, quod missa Pontificia celebretur ut aliqua eucharistia pro mortuis, qua scilicet defunctorum animæ a pœnis purgatorii liberentur, eucharistia vero non defunctorum bono, sed pro iis, qui vesci possunt ejus corpore, & bibere ejus sanguinem, atque adeo viventium duntaxat bono a Christo instituta sit. Speciatim missa privata divinæ institutioni adversatur, quia Christus in institutione præcepit, ut corpus & sanguis ejus communicantibus dispensentur, in ista autem missa, cum solus Sacerdos communicet, nulla fit corporis & sanguinis Christi dispensatio.

§. 6. *Quarto* tale opponimus argumentum: *Quæcunque actio plures actus impios includit, ea est damnanda. Atqui missa Pontificia plures actus impios includit. Ergo &c.* Minoris veritas oppido patet, cum Pontificia missa adorationem panis, cultum idololatricum sanctorum, usumque nefandum, quo sacra eucharistia etiam temporalibus commoditatibus, sanitati, itineri, rei familiari &c. destinatur, includat. Merito igitur *Augustanæ Confessionis Apologia* pag. 266. conqueritur, *Sophistas vendere Missam, tanquam pretium ad impetrandum, quod quisque expe-*

expetit, Mercatoribus, ut felix sit negotiatio, venatoribus, ut felix sit venatio.

§. 7. *Quinto* hacce pugnamus ratione: *Quæcunque actio fundatur in gravissimis erroribus, ea est rejicienda. Atqui missa Pontificia fundatur in gravissimis erroribus. Ergo &c.* Uti major per se patet, ita minor facili negotio comprobatur. Missa quippe Pontificia præsupponit (1.) sententiam de existentia purgatorii; (2) errorem de missa peccata hominum delente ex opere operato; (3.) persuasionem falsam, quod Christus sua passione satisfecerit tantum pro peccato originis, & instituerit missam, in qua fieret oblatio pro quotidianis delictis, mortalibus & venialibus; (4.) exitiosam illam doctrinam, quod Missa applicata pro aliis, etiam injustis non ponentibus obicem, mereatur eis remissionem peccatorum, culpæ & pœnæ. Vid. hic omnino *Augustana Confessio* art. cit. pag. 25. 26. ejusque *Apologia* pag. 265. seq.

§. 8. Ultimo & *sexto* ita disputamus: *Quicquid apertissimis se ipsum perimit contradictionibus, id approbandum non est. Atqui missa Pontificia apertissimis se ipsam perimit contradictionibus.* Illa enim missa (1.) est *sacrificium* & *non-sacrificium*: Sacrificium, quia ab ipsis *Pontificiis* dicitur esse Sacerdotis actio, qua is proprie sacrificat; non-sacrificium, quia id, quod proprie sacrificatur, ipse nimirum Christus, fatentibus ipsis *Pontificiis* non destruitur, cum tamen

in sacrificio proprie tali id, quod sacrificatur, esse desinat. (2.) Eadem missa est sacrificium *cruentum*, & *non-cruentum*. Non-cruentum, quia in ea sacerdos Christum Patri cœlesti incruento modo offerre dicitur: Cruentum, quia ipsa juxta *Pontificiorum* doctrinam est sacrificium proprie dictum, in tali autem sacrificio id, quod sacrificatur, destruitur; &, si res viva est, mactatur. (3.) In illa ipsa missa Christus *vere offertur & non-offertur*. Offertur, quia in ea sacerdos Patri cœlesti corpus & sanguinem Christi vere ac proprie offerre dicitur; non offertur, quia in ipsa Christus repræsentative tantum offerri perhibetur.

LO;

LOCUS XIV.
DE
PRÆDESTINATIONE ET REPROBATIONE.

Thes. I.

QUi hactenus occupati fuimus in principiis & mediis consequendæ salutis expendendis, ad arduum de prædestinatione tractatum progredimur. Nam quos homines DEUS, & qua ratione ac quibus mediis in tempore ad salutem perducit, eos eadem ratione, iisdemque mediis ad finem illum sublimiorem in tempore se perducturum ab æterno decrevit, cum DEUS nihil faciat in tempore, quod non ab æterno decreverit se in tempore facturum. Atque hoc decretum ad prædestinationem (late sumtam) pertinet.

Th. II.

Prædestinatio *vi vocis* denotat rei ad certum

certum finem seu terminum destinationem præviam.

§. 1. Nam particula PRÆ in ejusmodi compositione connotat *prioritatem durationis*: prout e.g. in verbo *præscivit* prioritatem talem in ordine ad rem cognitam importat, & quod res, antequam est, cognita fuerit, significat.

§. 2. *Ambrosius Catharinus*, Compsæ Archi-Episcopus, in opusc. de prædest. cap. I. docet, particulam PRÆ in voce prædestinationis significare tum *antecessionem dignitatis*, quasi prædestinati dicantur illi, qui aliis sunt prælati, tum *antecessionem prædestinationis ad merita*, ut prædestinati dicantur, qui ante omnia merita tam facta, quam prævisa destinati sunt ad gloriam. Verum enim vero etsi non negemus, homines illos, qui in Christo electi ac prædestinati sunt, aliis esse prælatos, & ante jacta mundi fundamenta ad æternam salutem ordinatos, asseri tamen nequit, prædestinationis nomen vi particulæ PRÆ duplicem istanc antecessionem designare. Inprimis autem in eo halucinatur *Catharinus*, quod significationem, qua particula PRÆ prioritatem durationis importare dicitur, hic prorsus excludit & repudiat. Namque particula PRÆ in ejusmodi compositione prioritatem durationis connotat: id quod vel ipsa scriptura *Matth. XXV, 34. Rom. VIII, 29. 1. Cor. II, 7. Eph. I, 4.* haud obscure subinnuit.

Th. III.

Ex *usu loquendi* prædestinatio sumitur vel *generaliter* pro cujuscunque rei [sive hominis sive angelorum sive alterius rei] ad certum finem seu terminum ordinatione prævia, vel *specialiter* pro hominis ad futurum statum æternum destinatione, ab æterno facta.

§. 1. In generaliori significatu verbum προορίζειν (prædestinare) accipitur *Actor. IV, 20.* ubi Herodes & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Israelis dicuntur eo fine *congregati, ut facerent, quæcunque manus DEI & consilium* προώρισε (prædestinaverat,) *ut fierent.* Nec enim ibi agitur de damnatorum reprobatione, nec de præparatione vel impulsu impiorum ad interficiendum Christum, sed de directione seu ordinatione pessimi criminis ad bonum, & toti humano generi salutarem finem.

§. 2. *Angelos* quoque prædestinatos esse (prædestinationis voce generaliter accepta,) non possunt non asserere, quotquot eos ad beatitudinem æterno DEI decreto destinatos, atque ita electos esse profitentur. Hoc vero omnino statuendum est, cum nihil DEUS angelis in tempore conferat, quod non ab æterno decreverit, se aliquando collaturum.

Th. IV.

Th. IV.

Prædestinationis vox *specialiter* accepta nunc in tam *amplo* usurpatur significatu, ut duas sub se species comprehendat, nempe prædestinationem ad vitam, & prædestinationem ad mortem; nunc in stricto eo conceptu occurrit, ut denotet tantum prædestinationem ad vitam, seu ad ultimum terminum, qui beatitudo est.

§. 1. Latior ille significatus nuspiam reperitur in Scriptura, quippe quæ verbum προορίζειν (prædestinare) nuspiam in malam partem (seu pro reprobatione) adhibet, sed contra *Rom. VIII, 30.* DEUM eos, quos προώρισε (prædestinavit,) etiam glorificasse, nosque in adoptionem filiorum *prædestinasse* asserit.

§. 2. Cæterum latior illa acceptio non raro apud scriptores veteres occurrit. Patres quippe in concilio Valentino sub Lothario congregati c. III. *prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem* diserte confitentur. Sic & *Augustinus* in Enchirid. & Laur. cap. 100. DEUM, ait, tanquam summe bonum & *malis bene uti ad eorum damnationem, quos juste prædestinavit ad pœnam, & ad eorum salutem, quos benigne prædestinavit ad gratiam.* Nec non Lib. XV. de *Civ. DEI* cap. I.

genus

genus humanum in duas dispescit societates, *quarum sit una, quæ prædestinata est in æternum regnare cum DEO; altera æternum supplicium subire cum Diabolo.* In illo ipso generaliori significatu prædestinationis vocabulum *Fulgentius* adhibet de *Prædest.* ad Monim. Lib. I. cap. XIV. ubi scribit, *Dominum iniquos & impios prædestinasse ad supplicium justum, non ad aliquod opus injustum: ad pœnam, non ad culpam: ad punitionem, non ad transgressionem.*

§. 3. Veteres illos scriptores plerique *Reformatorum* assectantur, prædestinationis vocem promiscue tum in bonam partem pro prædestinatione ad vitam, tum in partem malam pro prædestinatione ad mortem, adhibentes. Disserte *Polanus* in Syllog. Disp. part. 2. de prædest. p. 664. inquit: *Graviter peccant, qui voce prædestinationis in bona tantum parte utuntur.* Consimilia occurrunt apud *Bezam* Volum. I. Opp. pag. 417. *Piscatorem* in cap. II. Rom. 13. *Bulamum* in Instit. Artic. de prædest. *Pelargum* in antithes. apolog. th. 69. Sic & *Wendelinus* Lib. I. Christ. Theol. c. III. th. 6. prædestinationem definit per *æternum & immutabile DEI decretum de futuro hominum statu æterno*; & thesi subseq. VII. eam in electionem & reprobationem distinguit, ac *circa vocem prædestinationis, qua electionem solam designari contendunt, nonnullos ex Pontificiis, & præcipue Lutheranis, frustra morosos esse, subjungit.* Locutus jam sum de *plerisque* Reformatis,

Qui-

Quidam enim Doctores Reformati prædestinationis vocabulum proprie non nisi actum destinationis ad salutem significare existimant. Sic quippe *Hieronymus Zanchius* Lib. V. de Nat. DEI cap. II. qu. I. pag. 624. scribit: *Scripturæ nomine prædestinationis proprie significare solent sanctorum electionem & ad vitam æternam deputationem ante mundi constitutionem.* Sic & *Keckermannus* Lib. III. Syst. Theol. c. I. can. I. pag. 296. *Prædestinationis, ait, vocabulum proprie non continet sub se reprobationem, sed electionem ad vitam æternam natura sua significat.* Gemina docet *Trelcatius* in Loc. de prædest. p. 27.

§. 4. *Lutherani* vero Doctores prædestinationis vocabulum nonnisi de æterna hominum ad vitam ordinatione usurpant. Accurate *Formula Concordiæ* in Solid. Declarat. Art. XI. p. 798. seq. scribit: *Æterna electio seu prædestinatio DEI ad salutem non simul ad bonos & malos pertinet, sed tantum ad filios DEI, qui ad æternam vitam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam mundi fundamenta jacerentur: ut Apostolo testatur, inquiens: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum.*

§. 5. Rectius autem Reformatis hic docent Theologi *Lutherani*, quando prædestinationis vocem tantum de salvandorum ad salutem destinatione accipiunt. Nam prædestinationis vocabulum in materia præsenti est aliquis Sacræ Scripturæ terminus, de cujus proinde recto usu unice

unice ex Scriptura Sacra judicandum est: Atqui in Scriptura illa verbum προορίζειν, cui Latinum *prædestinare* respondet, nusquam in malam partem pro reprobatione, sed semper de personis pro ordinatione ad salutem adhiberi, in præcedente §. 1. ostensum est,

Th. V.

Prædestinatio, ut præcise æternam hominum ad salutem ordinationem denotat, in *Lutheranorum* ecclesiis scholisque vel accipitur *late* pro tota hominum æterna ad salutem ordinatione, quæ media & causas salutis omnes includit (h. e. pro voluntate DEI æterna de toto opere perducendi homines ad salutem, seu pro voluntate DEI æterna, qua totus processus DEI in negotio salutis locum habiturus ab æterno intentus est,) vel *strictius* pro decreto de salvandis iis solis, quos ut finaliter in CHRISTUM credituros DEUS ab æterno distincte prævidit ac cognovit.

§. 1. Posterior acceptio est usitatior, prior vero rarius occurrit.

§. 2. De utroque significatu *B. Cundisius* Not. ad Comp. Hutt. Loc. XXI. Qu. V. §. 1. p. 797. sic disserit: *Prædestinationis vocabulum*

sumitur vel late vel stricte. Late ubi accipitur, comprehendit universum mediorum salutis apparatum. Stricte usurpata hæc vox significat ipsam ordinationem fidelium ad salutem secundum DEI propositum institutam. Qua ratione πρόθεσις seu propositum, & προορισμὸς, seu prædestinatio, ut distincta, hic considerari debent.

§. 3. Ipsa *Formula Concordiæ* vocem prædestinationis in latiori illo, de quo thesis nostra loquitur, significatu accipit in *Solid. Declarat.* art. XI. pag. 803. ubi postquam æternum DEI propositum de humano genere per Christum vere redimendo, de cujus Merito per Verbum & Sacramenta hominibus offerendo, de fide in hominum cordibus Verbi & Sacramentorum ministerio producenda, de fidelibus justificandis, sanctificandis, & in fide usque ad finem vitæ conservandis, deque salute iis, quos finaliter credituros DEUS prævidit, certo impertienda commemoravit, monet confestim, hæc omnia secundum Scripturam in articulo prædestinationis comprehendi, universa illa sub hoc articulo complecti nos debere, nec quicquam horum excludendum aut omittendum esse, quando de prædestinatione & ordinatione ad vitam æternam agitur.

§. 4. In eodem ampliori significatu prædestinationis nomen usurpat *Augustinus* in Libr. de *præd. Sanct.* cap. X. & de *Bono Persev.* c. XIV. ubi prædestinationem dicit esse præparationem *gratiæ*, itemque *præscientiam & præparationem* bene-

beneficiorum DEI, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.

Th. VI.

Prædestinatio, ut notat propositum & consilium DEI æternum, quo totus processus DEI in negotio salutis locum habiturum ab æterno intentus est, in conceptu suo includit complures gradus, seu divinæ voluntatis internos actus, qui licet vi divinæ simplicitatis secundum entitatem illam realem, quam in ipso DEO intrinsece important, non distinguantur realiter, sed sint ipsa essentia DEI improducta & independens, non solum tamen quoad sua connotata, & quoad diversam divinæ voluntatis ad hoc vel illud objectum terminationem, sed & certo, quo juxta verbum divinum disponendi sunt, ordine differunt.

Th. VII.

Actus illi, ut juxta Verbum Divinum dispositi, sic recensentur:

I. Volitio, qua DEUS omnes homines, quippe quos ut peccatores prævidit, salvos fieri ab æterno voluit.

II. Decretum æternum de mittendo Filio, qui pro omnibus hominibus, procurandæ salutis eorum causa satisfaceret.

III. Æternus divinæ voluntatis actus, quo DEUS voluit, ut omnes homines in Filium ipsius crederent, quo salutem æternam per eum consequerentur.

IV. Decretum æternum de universali vocatione.

V. Decretum DEI æternum de fide per Verbum & Sacramenta in iis vocatis omnibus, quos obstinate ac præfracte non restituros distincte & in individuo DEUS prævidit, reapse efficienda.

VI. Propositum DEI æternum de iis, quos in Christum credituros, mediisque recte usuros prævidit, ulterius sanctificandis, ac de illorum fide confirmanda, & usque ad finem vitæ conservanda. Quod DEI propositum, una cum decreto proxime commemorato sumtum, a Scholasticis & aliis quibusdam Doctori-

ctoribus *Electio ad gratiam* adpellari solet.

VII. Decretum DEI æternum de omnibus & solis finaliter crediturus, quos ut tales DEUS ab æterno distincte & in individuo cognovit, in tempore salvandis.

§. 1. Actus, quo DEUS voluit ab æterno, ut omnes homines, quos ut peccatores prævidit, salvi fierent, proprie loquendo non dicitur *decretum* divinum. Namque ille tantum divinæ voluntatis actus, quo DEUS consideratis circumstantiis omnibus aliquod futurum efficaciter vult, atque efficere intendit, proprie loquendo decretum divinum appellatur: At volitio, qua DEUS omnium hominum peccatorum salutem ab æterno voluit, est actus, quo DEUS ex se, nondum omnium circumstantiarum in homine occurrentium ratione habita, aliquid appetiit. Hinc *Thomas* in I. qu. IX. art. VI. voluntatem DEI antecedentem, qua DEUS omnibus voluit ac vult vitam æternam, *velleitatem* potius, quam decretum, appellandam censuit. Atque ex Lutheranis Theologis *B. Joh. Museus* in Colleg. Anti-Wendel. Disp. VII. Qu. IV. §. 4. aperte scribit: *Quod si qui nostratium de voluntate antecedente, qua omnium salutē Deus vult, decreti voce usi sunt, illi improprie loquuntur, quorum improprias minus-*

ve cautas locutiones ad ipsum statum quæstionis controversæ explicandum transferre, non est ingenui Disputatoris, sed malitiosi cavillatoris, vocumque ad pervertendum quæstionis statum captatoris.

§. 2. Sic & ille actus, quo DEUS fidem in omnibus efficere hominibus ab æterno voluit, proprie loquendo decretum divinum vocari nequit. Id enim DEUS ex se, & quantum in ipso erat, nondum plurium hominum malitiosæ repugnantiæ ratione habita, voluit.

§. 3. Adparet luculente ex jam dictis, *Johannem Heinium*, Marpurgensem Theologum Reformatum, Lutheranorum Doctrinam minus recte declarasse, quando in Exercit. I. n. V. ait: *Volunt* (Lutherani), *DEUM decrevisse, omnibus dare vitam æternam, sub conditione, si in Christum sint crediturі.* Neque vero *Wendelinus* genuinam *Lutheranorum* sententiam proponit, cum in *Theol. Christ.* Libr. I. cap. 3. th. XIII. I. IV. ait: *Lutherani, etsi nobiscum docent, aliquos tantum ad vitam æternam esse selectos voluntate consequente, postquam DEUS præviderit, quinam essent credituri: tamen contendunt, decrevisse DEUM ab æterno omnes homines, nullo excepto, in tempore salvos facere voluntate antecedente, a conditione fidei per homines præstanda, suspensa.*

§. 4. Primus gradus, quem prædestinatio latius sumta includit, (actus nempe divinæ voluntatis, quo DEUS omnium hominum peccato-

catorum salutem ab æterno voluit) ex eo demonstratur, quod DEUS in tempore omnium hominum peccatorum salutem expetat & velit. Quicquid enim DEUS in tempore vult, id quoque ob Voluntatis divinæ immutabilitatem ab æterno voluit. In tempore autem velle DEUM, ut omnes homines (peccatores) salvi evadant, Scriptura Sacra *1. Tim. II, 4.* totidem verbis testatur, ubi *DEUM omnes salvos fieri velle* perhibet. Id ipsum ibidem docet Apostolus, quando statim subjungit, DEUM velle, ut *omnes ad agnitionem veritatis perveniant.* Nam absque fide in Christum salutaris agnitio veritatis non datur.

§. 5. Secundus gradus (videlicet æternum DEI decretum dandi Filium, qui pro omnibus hominibus procurandæ eorum salutis causa satisfaceret) hocce probatur argumento: *Si DEUS Filium suum in tempore dedit, ut is pro omnibus peccatoribus actu satisfaceret, sequitur, quod DEUS ab æterno decreverit Filium in tempore eum in finem dare.* Cujus argumenti antecedens superius in Loco de Christo, ac speciatim in doctrina de Meriti Christi universalitate, demonstratum est. Consequentia vero ex eo patescit, quod DEUS nihil faciat in tempore, quod non ab æterno decreverit, se in tempore facturum.

§. 6. Tertius gradus ex primo solidissime demonstratur. Dum enim DEUS ab æterno omnes homines, quantum in ipso est, salvos

fieri voluerit, voluit etiam ab æterno, ut omnes crederent in Christum. Nemo enim, nisi per fidem in Christum, salvatur *Joh. III, 18.* qui autem vult finem, is etiam vult medium, sine quo finis non obtinetur. Quartus gradus (nempe æternum DEI *decretum de vocatione universali*, seu decretum doctrinam Evangelii in tempore sic hominibus patefaciendi, ut omnes in ejus agnitionem pervenire queant) ex tertio infertur. Quia enim DEUS voluit ab æterno, ut omnes crederent in Christum, ideo ab æterno etiam voluit doctrinam Evangelii seu doctrinam de Christo Mediatore in tempore ita hominibus patefacere, ut omnes in ejus agnitionem pervenire possint. *Quomodo enim credent, de quo non audiverunt?* ut Apostolus *Rom. X, 14.* diserte inquit. Illud ipsum æternum DEI de universali vocatione decretum ex eo comprobatur, quod omnes homines in tempore a DEO per Verbum prædicatum ad salutem per Christum obtinendam reapse vocantur: Quod enim DEUS in tempore agit, illud ab æterno agere decrevit, & quo modo in tempore aliquid exequitur, eo modo se illud executurum ab æterno decrevit. Omnes autem homines in tempore a DEO per Verbum prædicatum ad salutem per Christum consequendam reapse vocatos esse (seu homines omni tempore a DEO ita vocatos esse, ut omnes omnino tum existentes homines ad agnitionem veritatis pervenerint, vel certe pervenire potuerint) liquidissime constat.

constat. Cum enim tres temporum periodi sint, quibus extiterunt homines, una, quæ primordium ducit statim ab orbe condito, & ad diluvium usque porrigitur; altera, quæ a Noacho post diluvium incipit, & durat usque ad Christi tempora; tertia, quæ a Christi & Apostolorum ævo initium habet, & ad nostram usque ætatem sese extendit,) omnes profecto homines tum existentes vocati sunt. In prima quippe periodo per Adamum vocatio ad salutem non minus obtingebat Caino, quam Setho, a quibus potuit debuitque Verbum DEI prædicatum, ejusque notitia ad omnem posteritatem propagari: Quod autem in Caini posteritate Verbum, ab Adamo acceptum, conservatum non fuit, atque adeo Verbi notitia ad Caini posteros haud fuit propagata, sane non DEI, sed ipsorum culpa contigit. In periodo altera Noachus tribus filiis, in quibus universum humanum genus latebat, Verbum DEI prædicavit, a quibus itidem potuit debuitque ad omnem propagari posteritatem: Quod autem Verbum, a Noacho acceptum, in sola Sethi posteritate fuit conservatum, & non item in Chami & Japheti posteris, id ipsorum, non DEI culpa factum est. Nec vero Chami & Japheti posteritas occasione amissum DEI Verbum recuperandi destituebatur, cum Patriarchæ, terræ Cananeæ & regionum vicinarum spatia emensi, ipsum hinc inde prædicaverint. Inprimis circa periodum alteram probe observandum, quod tunc DEUS ecclesiam in

meditullio quasi orbis habitabilis constituerit, miraculis Verbique prædicatione admodum conspicuam & illustrem, ut adeo ad eam omnibus gentibus populisque aditus pateret, ipsaque inventu facilis esset. Quid? quod, ne reliquis populis ad adeundam eam interius deesset stimulus, DEUS per opera creationis ita eis τὸ γνωσὸν τοῦ Θεοῦ manifestum fecerat, ut notitia ejus, ex rebus creatis hausta, ad inquirendam ecclesiam exstimulari & manuduci quasi possent ac deberent: Quando autem ecclesiam illi non inquisivere, redditi sunt inexcusabiles, atque adeo ipsi in causa sunt, quod ad veritatis agnitionem non pertigerunt. Sic & in periodo tertia Verbum Evangelii quod Christus viva voce in ecclesia Israelitica, quasi in orbis habitabilis meditullio constituta, miraculis itidem Verbique prædicatione admodum conspicua & illustri, inventuque facili prædicare cœperat, Apostoli ubivis terrarum, Christo *Marc. XVI, 15.* & Paulo *Rom. X, 16.* testibus, prædicarunt. Tunc igitur non solum Verbum DEI acceptum potuit debuitque ab iis populis, quibus immediate prædicatum erat, conservari ac propagari (quod tamen culpa illorum intermissum fuit,) verum etiam istis populis, quibus forte non est immediate prædicatum, ad provincias, in quibus Verbum DEI immediate prædicabatur, atque ad Novi Testamenti ecclesiam, utpote per totum terrarum orbem diffusam, aditus patuit.

§. 8.

§. 8. Liquet ex hactenus dictis, nos non asserere, quod DEUS omnes omnino homines ad salutem vocet per ministros & præcones Verbi ad omnes immediate ad prædicandum missos: (concedimus enim, extitisse populos quosdam & gentes, quibus actu & immediate Verbum DEI prædicatum non est;) sed docere saltem, doctrinam Evangelii sic promulgari aut promulgatam esse, ut omnes in illius notitiam pervenire possint, aut pervenire potuerint.

§. 9. Causa autem, cur doctrina Evangelii non semper omnibus ac singulis hominibus coram & immediate per præcones Verbi annuncietur, non est *absolutum* quoddam, nullisque ex parte hominum causis nixum *beneplacitum*, sed *contemtus Verbi*, & quod, si non ipsi, ipsorum majores certe Verbum prædicatum rejecerunt, & DEUS pro sua omniscientia hos suis majoribus non meliores futuros, nec erga Verbum prædicatum melius se habituros prævidit. Quod si ratio hæc cuipiam non satisfaciat, eum ad divinam, & quoad hoc absconditam DEI sapientiam remittimus, ac DEO hujus rei causas perspectas esse statuimus, certo interim persuasi, DEUM ex parte sui, & quantum in ipso est, serio omnium velle salutem ac fidem, omnesque ac singulos homines ita ad salutem vocare, ut omnes illi ad veritatis agnitionem pervenire possint: Absurdum enim fuerit, voluntatem benignam, & aliquod inde profectum beneficium, quod Scriptura Sacra

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_0401
DFG

cra apertis verbis de DEO affirmat, idcirco de eo negare, quod hujus illiusve eo spectantis rei causas exacte exquirere haud valeamus. Vid. omnino *B. Musc.* Colleg. Anti-Wendel. Disp. VII. Qu. V. §. 9.

§. 10. *Quintus* gradus, in prædestinatione latius sumta contentus (decretum videlicet æternum de fide per Verbum & Sacramenta in iis vocatis omnibus, quos obstinate ac præfracte non restituros distincte & in individuo DEUS prævidit, reapse efficienda) hacce ratione evincitur: *Si DEUS in tempore per Verbum & Sacramenta fidem dat omnibus vocatis non repugnantibus malitiose* (id quod cumprimis ex *Matth. XXIII*, 37. manifestum est,) *sequitur, DEUM ab æterno decrevisse, in tempore iis vocatis omnibus, quos malitiose non repugnaturos distincte & in individuo prævidit, per Verbum & Sacramenta conferre.* Nam quicquid DEUS in tempore agit, illud tunc agere ab æterno decrevit, & quo modo in tempore aliquid exequitur, eo modo se illud executurum ab æterno decrevit.

§. 11. *Sextus*, quo constat prædestinatio, gradus ita demonstratur: *Si DEUS in tempore omnes eos, qui in Christum credunt, mediisque recte utuntur, ulterius sanctificat, ipsorumque fidem confirmat, & usque ad finem vitæ conservat*, (id quod ex Locis Theologicis de Fide & Renovatione hic supponimus,) *sequitur, quod DEUS, id ipsum in tempore se facturum esse, ab æterno decreve-*

creverit. Cujus argumenti consequentia eodem, quo argumentatio in paragrapho proxime antecedente prolata fundamento nititur.

§. 12. Ex eodem fundamento septimum seu ultimum gradum sic commonstramus: *Si DEUS in tempore omnes & solos finaliter credentes actu salvat, sequitur, quod DEUS ab æterno decreverit omnes ac solos finaliter credituros, quos ut tales ab æterno distincte & in individuo cognovit, in tempore actu salvare.*

§. 13. Postquam actus illi, quos prædestinatio in latiori significatu accepta includit, comprobati ac demonstrati sunt, facili nunc demonstratur negotio, ipsos eo, quem thesis nostra exhibet, ordine esse disponendos. Videlicet primo loco haud dubie ille ponendus est actus, qui cæterorum omnium radix est & origo: Atqui voluntas DEI antecedens, seu actus, quo DEUS voluit ab æterno, ut omnes homines, quos ut peccatores prævidit, salvi fierent, omnium actuum reliquorum, qui ad prædestinationem latius sumtam pertinent, fons ac principium est. Deinde actus ex voluntate DEI antecedente ortum ducentes ita sunt collocandi, ut is, quem alius prærequirit aut præsupponit, ordine præcedat. Cum igitur æternum DEI de mittendo Filio decretum cæteri omnes ex antecedente DEI voluntate provenientes actus præsupponant, ideo ipsum secundo loco constituitur. Et cum gradum tertium quartus, quartum quintus, quintum

sextus

sextus, & reliquos omnes septimus præsupponat, idcirco gradus isti ea, quam thesis nostra designat, serie merito recensentur.

§. 14. Cæterum thesis nostra, certo ordine divinos actus ad prædestinationem latius acceptam pertinentes disponens, opponitur *Reformatis*, & quidem tum *Antelapsariis* (sic dictis, quod electionis & reprobationis decretum præviso lapsu primorum parentum ordine prius esse statuant,) tum *Postlapsariis* (sic appellatis, quod electionis & reprobationis decretum præviso lapsu in peccatum ordine posterius esse doceant.) Contendunt quippe Antelapsarii, *DEUM pro suo mero beneplacito decrevisse ab æterno, certos aliquos homines, & quidem illos omnes, qui in tempore damnantur, creare ad interitum, alios vero & quidem eos omnes, qui in tempore salvantur, creare ad salutem; deinde autem decrevisse DEUM, ut laberetur & peccaret homo, quo eos, quibus salutem impertiri decrevit, ex misericordia sua per Christum salvos faceret, quos autem ad exitium destinavit, jure damnaret, utrumq; ad suã gloriam misericordia partim, partim justitia illustrandam.* Et *Postlapsarii* docent, *DEUM* (I.) *ex hominibus lapsis, qui omnes erant filii iræ & rei æternæ damnationis, ab æterno nulla alia de causa, quam quod sibi ita placeret, aliquos ad vitam æternam elegisse utpote in tempore per Christum salvandos, reliquos similiter ex mero beneplacito ad æternum exitium reprobasse.* (II.) *Decrevisse Filium suum mit-*

mittere, ut assumta humana natura non quidem omnium, sed eorum duntaxat hominum, qui ab aterno electi sunt, Salvator esset: (III.) *Fidem quoque salvificam, qua Meritum Christi apprehendit, electis dare decrevisse, cæteris autem, quos reprobavit, neque Christum Salvatorem misisse, neque fidem salvificam conferre unquam voluisse.* Sic igitur *Postlapsarii* quoque non solum in hoc decretorum divinorum ad æternam hominis salutem spectantium ordine primum, & cæterorum causam statuunt æternum electionis decretum, verum etiam actus quosdam ad prædestinationem latius sumtam pertinentes prorsus negant.

Th. VIII.

Nos in sequentibus præcise de prædestinatione ad salutem, & quidem strictius accepta, [quæ est ultimus in prædestinatione latius sumta comprehensus gradus,] ex instituto disseremus.

Th. IX.

Prædestinatio, isto modo accepta, vocatur ipsa *electio* ad vitam æternam, ut adeo illa prædestinatio, & hæc electio præter diversum significandi modum & præter diversa connotata (seu præter diversa, quæ vi vocum important, significata) non differant.

§. 1.

§. 1. Loquor ſtudio de *electione ad æternam vitam*. Adparet enim liquido, prædeſtinationem non eſſe *temporalem electionem*, qua populus Iſraeliticus præ aliis populis omnibus adſcitus eſt in populum DEI peculiarem, ut in eo eccleſia ipſi colligeretur, Verbum ipſius prædicaretur & Sacramenta adminiſtrarentur (de qua Paulum *Rom. IX*, per ſe & ex inſtituto agere, olim in prælectionibus noſtris hermenevticis, Jenæ habitis, argumentis compluribus, iisque invictis docuimus.)

§. 2. *Scholaſticis*, & aliis quibusdam Doctoribus frequens eſt diſtinctio inter electionem ad gratiam, & inter electionem ad gloriam, eaq; propoſitum, quo dona gratiæ DEUS uni præ altero conferre ab æterno conſtituit, hæc vero decretum, quo DEUS uni potius, quam alteri vitam æternam impertiri decrevit, eſſe dicitur. Qua diſtinctione admiſſa iterum aliqua datur electio, quæ non eſt prædeſtinatio ſtrictius accepta: Ejusmodi quippe electio eſt illa ipſa electio ad gratiam. Verum enim vero diſtinctione iſta hodie complures *Lutherani* libentius abſtinent, quod non tantum Scriptura Sacra nos quidem ex gratia DEI *2. Tim. I, 9.* nuſquam autem ad DEI gratiam electos eſſe aſſerat, ſed & *Pontificii* pariter ac *Reformati* eam ad ſuos incruſtandos errores paſſim adhibeant.

§. 3. Recte autem aliquod inter prædeſtinationem & inter electionem ad æternam vitam

tam discrimen quoad significandi modum, & ratione eorum, quæ vi vocum designantur, connotatorum thesis nostra agnoscit. Uti enim electio in genere vi particulæ E particularitatem electorum, itemque respectum ad promiscuum, ex quo electio fit, cœtum importat, cum eligat, qui ex pluribus aliquos legit: Ita speciatim electio ad æternam vitam vi ipsius vocis *electionis* salvandorum particularitatem, & habitudinem ad promiscuam hominum peccatorum multitudinem importat. Sicut autem quævis prædestinatio vi vocis prioritatem durationis denotat, cum rei ad certum finem (seu terminum) destinationem prævium arguat: ita etiam ea, de qua hic sermo est, prædestinatio formaliter, ac vi ipsius vocis prædestinationis, prioritatem durationis, nempe in ordine ad homines prædestinatos, involvit, quodque homines prius, quam extitere, ad salutem destinati fuerint, significat.

Th. X.

Prædestinatio seu Electio ad vitam æternam ex usu Theologico & absolute loquendo vocari etiam solet *inscriptio in librum vitæ*: ut adeo Prædestinatio, Electio & Inscriptio in librum vitæ ex usu Theologico & absolute sic dicta sint unum idemque DEI decretum, nec præter diversum significandi modum, & præter diversa connotata differant.

§. 1. De inscriptione in librum vitæ ex usu Theologico & absolute sic dicta in thesi nostra primum assero, quod *unum idemque sit decretum cum prædestinatione, seu electione ad vitam æternam.* Illa enim inscriptio formaliter importat decretum, quo DEUS statuit & vult, ut hic vel ille una cum aliis, qui salvantur, vivat vitam spiritualem gloriæ. Atqui hoc decretum est ipsa prædestinatio seu electio ad vitam æternam.

§. 2. De eadem illa inscriptione assero porro, quod *quoad suum significandi modum & ratione connotati a prædestinatione & electione ad vitam æternam differat.* Prædestinatio quippe prioritatem durationis, & electio particularitatem salvandorum, itemque habitudinem ad promiscuum omnium hominum peccatorum cœtum, inscriptio vero in librum vitæ præcise relationem ad reliquorum electorum & salvandorum cœtum (utpote qui liber vitæ vocatur) vi vocis significat.

§. 3. Cæterum in thesi mea studio singulari loquor de inscriptione in librum vitæ ex usu Theologico & *absolute* (seu κατ' ἐξοχήν) sic dicta. Namque ea in librum vitæ inscriptio, quæ ex usu Theologico absolute seu κατ' ἐξοχήν hanc appellationem non habet, cum prædestinatione seu electione ad æternam vitam haud coincidit. Videlicet liquidissime constat, nec actualem vitæ spiritualis gratiæ collationem, seu regene-

generationem baptismo factam (quæ haud raro inscriptio in librum vitæ vocatur, quando, qui baptizantur, in librum vitæ inscribi dicuntur,) nec inscriptionem in librum vitæ gratiæ (seu voluntatis divinæ actum, quo DEUS hominem unum aut plures præcise fidelium cœtui inserit) coincidere cum prædestinatione seu electione, quippe quæ est decretum æternum de his vel illis hominibus, quos DEUS ut finaliter credituros distincte & in individuo prævidit, certo salvandis.

§. 4. Ut autem nostra thesis, & quæ ad illustrandam & comprobandam eam nunc disseruimus, plenius intelligantur, de nominum *libri vitæ*, & *inscriptionis in librum vitæ* significatu juxta usum Theologicum recepto exponendum est.

§. 5. Nempe uti vox *vitæ* h. l. non significat vitam naturalem, corporalem aut animalem, sed spiritualem; ita liber vitæ hic librum vitæ spiritualis (h. e. cœtum seu seriem aut multitudinem eorum, quibus spiritualis vita donanda est, quatenus ut vita spirituali donandi a DEO quotidie & constanter conspiciuntur) designat.

§. 6. Quemadmodum vita *spiritualis* in vitam spiritualem *gratiæ* (quæ, ut actum primum dicit, in fide habituali, aliisque viribus spiritualibus supernaturaliter datis consistit,) & in vitam spiritualem *gloriæ* (seu vitam æternam) distingui-

tur: ita Liber vitæ juxta modum loquendi inter Theologos hactenus receptum est vel *Liber Gratiæ* (h. e. catalogus fidelium præciſe,) vel *Liber Gloriæ* (h. e. numerus certo ſalvandorum.)

§. 7. Uti in Scripturis vita κατ' ἐξοχὴν vocatur *vita ſpiritualis*, & quidem *æterna*: ita Liber vitæ κατ' ἐξοχὴν & abſolute loquendo eſt *Liber vitæ æternæ* (h. e. cœtus aut ſeries hominum, quibus vita æterna impertienda eſt, quatenus ut æterna vita donandi a DEO ſemper conſpiciuntur.)

§. 8. Quemadmodum igitur Liber vitæ h. l. non niſi Librum vitæ ſpiritualis ſignificat: ita *inſcriptio in librum vitæ* tantummodo *inſcriptionem in Librum vitæ ſpiritualis* (h. e. actum divinum, quo DEUS hominem unum vel plures in cœtum, ſeu multitudinem aut ſeriem eorum, qui vitam ſpiritualem vivunt, aut certo victuri ſunt, adſciſcit) hic deſignat.

§. 9. Sicut Liber vitæ eſt vel Liber Gratiæ, vel Liber Gloriæ: ita aliqui Theologi inſcriptionem *in Librum Gratiæ*, & inſcriptionem in *Librum Gloriæ* diſtinguunt. Qua diſtinctione utitur *Thomas* p. I. qu. 24. art. 3. ubi ait: *Qui ſcripti ſunt in libro gratiæ per præſentem juſtitiam, illi per peccata mortalia ex eo deleri iterum poſſunt. Qui vero in libro gloriæ per æternam prædeſtinationem ſcripti ſunt, illi non poſſunt ex eo deleri.*

§. 10. *Inſcriptio* in *Librum Gratiæ* eſt actus, quo DEUS hominem unum aut plures in numerum

rum fidelium refert. Qui actus est vel DEO internus, vel externus. Externus est regeneratio, seu actio, qua DEUS homini vitam spiritualem gratiæ reapse confert. Internus vero est decretum DEI æternum, quo DEUS his vel illis hominibus vitam spiritualem gratiæ conferre decrevit. Recte autem uterque actus aliqua in librum vitæ inscriptio appellatur. Externus quidem, quia per ipsum homines in numerum eorum, qui vitam spiritualem gratiæ vivunt, reipsa perveniunt: Internus autem, quia per ipsum hi vel illi homines in classem eorum, qui vitam spiritualem gratiæ in tempore victuri sunt, ab æterno cooptantur.

§. 11. *Inscriptio in Librum Gloriæ est actus*, quo DEUS homines in numerum certo salvandorum ab æterno refert.

§. 12. Sicut autem *Liber* vitæ gloriæ, seu Liber vitæ æternæ κατ' ἐξοχὴν est Liber vitæ: ita inscriptio in Librum vitæ æternæ *absolute loquendo* inscriptio in Librum vitæ dicitur.

§. 13. Numerus vero seu series hominum, qui vitam spiritualem vivunt, aut certo victuri sunt, quatenus ut tales intellectui divino obversantur, appellatur aliquis *liber* propter *analogiam* & *similitudinem*, quæ ipsi intercedit cum *matricula* seu *catalogo*, cui certæ personæ inseruntur, ut jura, privilegia & commoda sociorum consequantur. Scilicet uti personæ, quæ matriculæ illi seu catalogo inscribuntur, de juribus,

commodis & privilegiis, quæ sociis competunt, certæ redduntur, ita homines, qui a DEO in numerum fidelium, aut certo salvandorum referuntur, jura & privilegia, quæis cæteri fideles aut vitæ æternæ hæredes gaudent, certo consequuntur, aut consecuturi sunt.

§. 14. Numerus seu series eorum hominum, qui vitam spiritualem gloriæ certo victuri sunt, *Apoc. XIII, §. c. XXI, v. 27* vocatur *Liber vitæ agni*, h. e. Liber illius vitæ, cuius causa est Christus, aut ille vitæ Liber, cuius fundamentum est Christus. Nam vita æterna pariter ac totus salvandorum numerus in Christo ejusque merito fundatur. Cæterum hic minime approbamus opinionem eorum, qui existimant, Christum in citatis Apocalypseos dictis ex ea ratione Librum vitæ vocari, quod in ipso facta sit electio ad vitam æternam, ac fideles ipsi tanquam membra unius corporis mystici inserantur: Nec enim in allegatis Apocalypseos locis Liber vitæ dicitur esse ipse Agnus, sed agni esse perhibetur.

§. 15. Etsi igitur ex usu Theologico, aut juxta receptam in ecclesia loquendi consuetudinem in Librum *Gratiæ*, & Librum *Gloriæ*, nec non inter inscriptionem in Librum *Gratiæ*, & inscriptionem in Librum *Gloriæ* distinguatur, *Gerhardus* tamen in Isagog. Loc. Theol. Disp. XVIII. c. 1. §. 14. diserte monet, *Scripturam non nisi unam scriptionem in librum vitæ novisse, ac omnes illos, qui in libro vitæ scripti sunt, salvos fore asserere.*

§. 16. Cæ-

§. 16. Cæterum uti in noſtra theſi contendimus, *Prædeſtinationem*, *Electionem*, & *Inſcriptionem in Librum vitæ* (æternæ) eſſe unum idemque DEI decretum, ita neceſſe non eſt, ut hic de cauſis & affectionibus inſcriptionis in Librum vitæ tractatum peculiarem ſuſcipiamus. Quæ enim ſunt cauſæ & affectiones Prædeſtinationis & Electionis, illæ ipſæ ſunt etiã inſcriptionis in Librum vitæ cauſæ & affectiones. Nempe ut *cauſa efficiens* (phyſica) prædeſtinationis & electionis (h. e. prædeſtinans aut eligens) eſt *DEUS* Trinunus, *cauſæ impulſivæ* illius ipſius decreti, ſunt Gratia *DEI* & Meritum Chriſti finali fide apprehendendum, atque ita præviſum, *objectum* ſunt homines finaliter credentes, *finis* eſt tum ſalus ipſa finaliter credentibus in tempore conferenda, tum gloria divinæ bonitatis, *affectiones* ſunt particularitas, infallibilitas & immutabilitas. Ita etiam res circa inſcriptionem in librum vitæ per omnia ſeſe habet, ut inſcribens ſit *DEUS* Trinunus, cauſæ *DEUM* ad inſcribendum moventes ſint Gratia *DEI* & Meritum Chriſti fide finali apprehendendum, atque ita præviſum, inſcripti ſint homines finaliter credentes, finis inſcriptionis tum ſalus æterna inſcriptis in tempore impertienda, tum divinæ bonitatis gloria, & affectiones tandem ſint itidem particularitas, infallibilitas, & immutabilitas.

Th. XI.

Certorum nominatim hominum præ-

destinatio seu electio *revera ab æterno* facta probatur tum ex decretorum divinorum, horumque executionis harmonia, tum ex manifestis Scripturæ Sacræ dictis, quæ *Eph.* I, 4. 5. 2. *Tim.* I, 9. continentur, inprimis vero ex eo, quod hominum finaliter credentium nomina ab æterno scripta in libro vitæ passim in Scripturis perhibentur.

§. 1. Decretorum divinorum, & horum executionis harmonia (quantum ad præsens spectat) in eo posita est, quod quicquid DEUS in tempore agit, illud tunc agere ab æterno decreverit, & quo modo in tempore aliquid exequitur, eo modo se illud executurum ab æterno itidem decreverit: Atque ex ista harmonia luculente patet, certorum nominatim hominum prædestinationem seu electionem revera factam esse ab æterno. Nulla enim de eo inter Christianos agitatur controversia, utrum DEUS certos nominatim homines actu in tempore salvet.

§. 2. Id ipsum assertum, quod certorum nominatim hominum prædestinatio seu electio revera ab æterno facta sit, evincitur ex *Eph. I, 4. 5.* ubi testatur Apostolus, *DEUM nos ante jacta mundi fundamenta elegisse, & ad adoptionem nos prædestinasse.* Uti enim *ante jacta mundi fundamenta* idem est quod *ab æterno*, cum omne antemun-

temundanum phrasi Scripturæ æternum sit: Ita dum DEUM *nos* elegisse & prædestinasse Apostolus ait, DEUM certos nominatim homines elegisse & prædestinasse subinnuit, cum pronomini Nos se ipsum in individuo includat. Quod ipsum vel ipsa ab Apostolo adhibita vox προορίζειν (seu prædestinare) clarissime significat. Prædestinatio enim, cum *Rom. IIX*, 30. juxta finalis fidei prævisionem facta sit, æternam certorum individuorum ad æternam salutem ordinationem importat.

§. 3. Theseos nostræ veritas exinde porro adparet, quod *2. Tim. I, 9. gratia nobis* (IN INDIVIDUO) *ante tempora secularia* (quæ seculis & siderum motu distinguuntur ac numerantur, & sic ante mundi creationem, ac proinde ab æterno) *in Christo data* dicitur. Nos enim ab æterno in Christo gratia nobis data est nisi per prædestinationem.

§. 2. Inprimis demonstratur nostra thesis ex eo, quod hominum finaliter credentium *nomina ab æterno scripta sint in libro vitæ*, *Apoc. XIII, 18. Dan. XII, 1. Luc. X, 20. Phil. III, 4. Apoc. XX, 15. XXI, 26.* Quorum enim nomina scripta sunt in libro vitæ, illi libro vitæ nominatim & in individuo sunt inscripti: Qui vero libro vitæ nominatim sunt inscripti, illi nominatim sunt electi seu prædestinati, cum inscriptio in librum vitæ absolute & κατ' ἐξοχὴν sic dicta nihil aliud sit, quam ipsa electio & prædestinatio.

§. 5. Ex iis, quæ hucusque adduximus, patescit simul, electionem ab æterno factam esse, & cum prædestinatione coincidere. Apostolus enim, quando *Eph. I, 4 5.* ait: *DEUS nos in ipso (in Christo) elegit ante jacta mundi fundamenta, prædestinans nos in adoptionem*, non solum DEUM ab æterno nos elegisse docet, verum etiam electionem diserte per prædestinationem exponit.

§. 6. Thesis nostra *Socinianis* triplici ratione opponitur: Videlicet (1.) quod electionem ab æterno factam esse asserit; (2) quod electionem & prædestinationem unum idemque DEI decretum esse subinnuit; (3) quod certos nominatim homines prædestinatos esse docet. *Socciniani* enim electionem re ipsa non ab æterno, sed in tempore fieri statuunt. Vid. *Slichting.* in 2. Quæst. contr. Meisner. fol. 37. Hinc prædestinationem & electionem pro diversis DEI actibus habent, eamque ab æterno factam esse, hanc vero in tempore, & variis quidem temporibus, prout & ipsi homines non eodem tempore credunt, ita fieri opinantur, ut incipiat, simul atque quis fidem suam pietate vera perficere atque animare incipit, sed non nisi vita universa cum pietate exacta penitus absolvatur. Vid. *Catech. Racov.* c. X. de Libr. arbitr. q. XIX. XX. XXI. & *Joh. Crellius* Libr. de DEO & attrib. c. XXXII. Ac licet *Socciniani* electionis decretum de unoquoque pio nominatim fieri largiantur, prædestinationem tamen certa aliqua individua nominatim concernere

nere negant. Videlicet *Socinianorum* sententia heic est, verbum prædestinandi non accipi in Scripturis de hominum individuis, nominatim ita saluti destinatis ab omni æternitate, ut nullo modo perire possint, sed denotare decretum universale, de quodam hominum genere servando, iis nimirum, qui Jesu Christo per apostolos suos vocanti paruerint, & divina præcepta exequi non recusaverint, quamvis nec noverit DEUS ab æterno, quinam ex mortalium genere id facturi sint, nec de illis, qui id facturi sunt, nominatim quicquam ab æterno decreverit. Vid. ipse *Socinus* in prælect. Theol. c. 6. & c. 13. Cæterum omnes illæ, quas hic commemoravimus, *Socinianorum* doctrinæ non solum iis, quæ in §§. 2. 3. & 4. in medium prolata sunt, Scripturæ dictis refelluntur, sed & eo ipso concidunt, quod falsissima ista hypothesi, quod DEUS omnia futura contingentia ab omni æternitate certo non cognoverit, nituntur.

Th. XII.

Causa efficiens physica prædestinationis (h. e. agens, quod actione illa, quæ prædestinatio dicitur, immediate agit, seu ipse prædestinans) est DEUS Trinunus solus.

§. 1. DEUM nos prædestinasse (seu ad beatitudinem ab æterno nos ordinasse,) diserte docet Apostolus tum *Rom. VIII, 8.* ubi *DEUM* eos,

eos, quos præscivit, *etiam prædestinasse* scribitum *Eph. I*, 4. 5. ubi *DEUM* nos *elegisse*, atque εις υιοθεσιαν *prædestinasse* ait.

§. 2. Et quidem DEUM *Trinunum* prædestinasse nos, ex eo luculente patet, quod prædestinatio sit decretum DEI, atque adeo actus aliquis DEI internus, actus vero divini interni (strictius dicti) sint indivisi.

§. 3. Prædestinationem vero esse aliquod DEI *decretum*, negotio facili demonstratur. *Prædestinatio* enim formaliter in aliquo *divinæ voluntatis actu* consistit, cum sit hominis ad certum statum ordinatio seu destinatio ab æterno facta, talismodi autem ordinatio non nisi in divina voluntate fiat, seu formaliter posita sit in solo voluntatis divinæ actu, quo DEUS vult, ut homo ad certum finem aut terminum deducatur: Et quidem prædestinatio est *talis divinæ voluntatis actus*, quo *DEUS consideratis omnibus circumstantiis aliquod futurum efficaciter vult*, cum sit hominis ad futurum statum æternum ordinatio, hæcce vero ordinatio non alius divinæ Voluntatis actus sit, quam quo DEUS omnibus consideratis circumstantiis futurum aliquod efficaciter appetit. Atqui omnis divinæ voluntatis actus, quo DEUS, omnium circumstantiarum habita ratione, aliquod futurum efficaciter vult, proprie loquendo est divinum decretum.

§. 4. Licet igitur prædestinatio formaliter in solo divinæ voluntatis actu consistat, actum

actum tamen intellectus, præscientiam nempe, qua DEUS ab æterno distincte & in individuo cognovit, quinam ad finem usque vitæ crediturі sint, præsupponit & connotat.

§. 5. Atque ex jam dictis liquet, quid judicandum sit de sententia Jesuitæ *Becani*, qui Part. I. Theol. Schol. Tr. I. cap. XIV. q. 2. §. 7. scribit: *Hinc patet, prædestinationem non solum ad intellectum, sed etiam ad voluntatem pertinere. An autem magis pertineat ad intellectum, quam ad voluntatem, videtur esse quæstio de nomine. Nam quod ad rem attinet, omnes supra dicti actus sunt necessarii.* Videlicet etsi actus intellectus ad prædestinationem necessarius sit, atque prædestinatio ratione prærequisiti ac connotati sui ad intellectum pertineat, formaliter tamen, seu quoad formalem suam rationem, non est actus intellectivæ facultatis. Ex quo simul adparet, quæstionem: an prædestinatio magis pertineat ad intellectum, quam ad voluntatem? non esse saltem de nomine, sed ad ipsam prædestinationis rationem formalem attinere.

§. 6. Cæterum prædestinationem esse actum tribus Deitatis personis communem, minime ex eo probatum imus, quod sit *actio DEI ad extra*: Neque enim salva veritate asseri potest, prædestinationem esse actionem DEI ad extra per hoc est ac dicitur talis actio, quod hoc ipso, quod fit, ad rem aliquam extra DEUM producendam terminatur, nulla autem res ostendi queat, quam

quam DEUS prædestinando extra se ab æterno produxerit. Nec vero, prædestinationem actionem DEI ad extra esse, inde evinces solide, quod prædestinatio effectum extra DEUM, æternam nempe hominum prædestinatorum salutem habeat. Quamvis enim *Formulæ Concordiæ Declaratio* solida pag. 799. recte doceat, *æternam electionem DEI ex clementissima DEI voluntate & beneplacito in Christo JESU causam esse, quæ nostram salutem, & quæ ad eam pertinent, procurat, EFFICIT, juvat, promovet, & quidem in ea divina prædestinatione æternam nostram salutem ita fundatam esse, ut etiam inferorum portæ adversus eam prævalere nequeant*, id tamen ad hoc, ut prædestinatio sit actio DEI ad extra, non sufficit. Sane enim e. gr. æternum de condendo mundo decretum etiam suos extra DEUM effectus habet (creationem videlicet, ac mundum creatum,) nec tamen decretum illud ex usu loquendi Theologico actio DEI ad extra adpellitatur.

§. 7. Nostram autem thesin, quæ omnes *tres* Divinitatis personas nos prædestinasse contendit, subvertere haud valebis, si *actiones DEI ad intra divisas esse objeceris, atque ad istarum actionum divinarum classem prædestinationem retuleris.* Prædestinationem enim actionem DEI ad intra esse, eo inficiamur, quod actio DEI ad intra habeat terminum intra DEUM realiter productum, seu per actionem DEI ad intra aliqua divinitatis persona producatur, per prædestinatio-

nem

nem autem nihil realiter producatur intra ipsum DEUM. Licet igitur prædestinatio non sit actio DEI ad intra, tamen ad actiones DEI *internas* pertinet.

§. 8. *Solum* DEUM Trinunum (quod itidem nostra thesis edocet) nos prædestinasse, ex eo plane manifestum est, quod prædestinatio docente Apostolo *Eph. I, 4.* facta sit, *priusquam fundamenta mundi jacerentur*, atque adeo sit æternum decretum, æterna vero decreta soli DEO Trinuni competant.

Th. XII.

Causa efficiens *moralis*, eaque *meritoria*, prædestinationis est solus Filius DEI, si consideretur, quatenus in assumta humanitate pro nobis passus ac mortuus est, atque ut DEUS & homo prædestinationem nobis acquisivit.

§. 1. Causæ efficientis *moralis* notio h. l. in rigorosissimo accipitur significatu, eo nimirum sensu, quo causam efficientem mediatam liberam (seu per intentionem) denotat. Hinc speciatim nomine causæ efficientis moralis *meritoriæ* hic intelligitur causa efficiens mediata libera (seu intendens,) quæ effectum, cujus est causa efficiens moralis, promeretur, atque adeo merito suo causam efficientem physicam ad effectum immediate producendum movet, aut movit.

§. 2.

§. 2. Ut autem noſtra theſis ſufficienter probetur, demonſtrandum (1), Filium DEI, ſi conſideretur, quatenus in aſſumta humanitate pro nobis paſſus ac mortuus eſt, *veram* prædeſtinationis *cauſam* eſſe, (2) Filium DEI eo reſpectu eſſe prædeſtinationis cauſam *efficientem*, (3) Chriſtum illo ipſo reſpectu eſſe prædeſtinationis cauſam efficientem *mediatam*, (4) Chriſtum ſub ea ratione eſſe prædeſtinationis cauſam *per intentionem*, (5) Chriſtum ſub illa ipſa ratione eſſe prædeſtinationis cauſam *meritoriam*, (6) *ſolum* Chriſtum eſſe prædeſtinationis meritoriam cauſam, (7) Chriſtum alio quodam reſpectu prædeſtinationis cauſam efficientem *phyſicam* eſſe.

§. 3. Filium DEI, ut in aſſumta humanitate pro nobis mortem perpeſſus eſt, veram & realem prædeſtinationis cauſam eſſe, liquet inprimis ex *Eph. I, 4.* ubi aſſerit Apoſtolus, DEUM elegiſſe nos ἐν αὐτῷ i. e. *in ipſo* (ſcil. Chriſto,) Quippe in toto contextu non ſolum de Chriſto ut Θεανθρώπῳ ac Mediatore agitur, verum etiam particula ἐν, dum Chriſto in ordine ad bona ſpiritualia tribuitur, veræ & realis cauſæ habitudinem importat. Sane enim, quando Apoſtolus v. 3. 5. 6. 7. 11. ſcribit: *DEUS benedixit nobis omni benedictione ſpirituali* ἐν χριστῷ, *DEUS prædeſtinavit nos in adoptionem* διὰ Ἰησοῦ χριστοῦ, *nos gratos ſibi fecit* ἐν τῷ ἠγαπημένῳ, ἐν ᾧ *habemus redemtionem* per ſanguinem ipſius, *remiſſionem peccatorum*, ἐν, ᾧ *etiam in ſortem adſciti ſumus*, non tantum

tantum Christus ut θεάνθρωπος & Mediator noster, qui pro nobis passus ac mortuus est, consideratur, sed & particula ἐν ubivis veram & realem causam designat. Hinc ex ipsis Doctoribus Reformatis *Zanchius* Libr. V. de Nat. DEI cap. II. q. 4. recte inquit: *Manifestum ergo est, cum ait Apostolus, nos esse electos in Christo, Christum hic minime considerandum proponi, quatenus* (præcise) *DEUS est.* Errat vero graviter *Franciscus Gomarus*, quando *Tom. III.* Disput. 10. statuit, particulam ἐν *Eph. I, 4.* ad Christum non qua Mediatorem, sed quatenus est unus cum Patre & Spiritu Sancto DEUS, referri, ut DEUS elegisse nos in Christo tanquam electionis causa efficiente (physica) dicatur, sicut *Colos. I, 16.* in Christo tanquam causa efficiente omnia condita dicuntur ad innuendum personarum divinarum ordinem.

§. 3. Christum, quatenus pro nobis passionem & mortem subiit, esse prædestinationis causam *efficientem* (h. e. causam per veram & realem actionem,) exinde adparet, quod ipse prædestinationis causa sit non tantum per intentionem, qua passionem & mortem, cujus intuitu electi sumus, intendit, verum etiam per actum spontaneum, quo passioni ac morti sese subjecit.

§. 4. Christum, quatenus in assumta humana natura pro humano genere passionem mortemque subiit, prædestinationis causam efficientem *mediatam* esse, exinde patet oppido, quod inter Christum, qua passus ac mortuus est,

& inter prædestinationem alia causa efficiens principalis, tota nimirum Sacro-Sancta Trinitas intercedat.

§. 5. Christum, qua passum & mortuum, esse prædestinationis causam efficientem *per intentionem*, vel inde patet, quod (ut ipse testatur *Luc. XIX, 31. 32. 33.*) eo animo ac fine Hierosolymam ultima vice contenderit, ut ibi pro redimendo genere humano & ad acquirenda hominibus omnia spiritualia bona sustineret, quicquid prophetarum chorus de Messia prædixerat.

§. 6. Christum, ut passus & mortuus est, prædestinationis seu electionis causam *meritoriam* esse, itidem ex *Eph. I, 4.* manifestum est. Quando enim ibidem perhibet Apostolus, Deum elegisse *nos in Christo*, non tantum Christus qua noster Mediator, adeoque ut passus, & mortuus est, consideratur, sed & particula IN idem notat quod PROPTER, ac proinde causam meritoriam ipsius electionis seu prædestinationis significat. In toto quippe contextu de Christo ut *nostro Mediatore* edisseri, in præcedente §. 3. ostensum est. Sic & in illis Apostoli verbis: *DEUS elegit nos in ipso* (Christo,) particulam IN electionis causam meritoriam designare, non solum ex eo liquet, quod ipsa illa particula in toto contextu, cum Christo in ordine ad bona spiritualia spectato connectitur, idem significet quod PROPTER, verum etiam inde adparet, quod versui antecedenti tertio, in quo Christus ut causa meritoria

omnis

omnis benedictionis spiritualis proponitur, atque particula ἐν manifeste idem notat ac διὰ (seu PROPTER,) verba illa: καθὼς ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ (*sicut elegit nos in ipso,*) immediate connectantur, & sic per particulam similitudinis καθὼς haud obscure innuatur, quod uti Christus omnis benedictionis spiritualis in tempore nobis cœlitus obtingentis causa meritoria est, ita etiam sit causa meritoria æterni electionis decreti. Quam nostram dicti illius Apostolici explicationem ex ipsis Reformatis amplectitur ac tuetur *Johannes Crocius*, Theologiæ quondam in academia Marpurgensi Professor. Is quippe ad idem illud Paulinum dictum sic commentatur: *Sunt, qui dicunt, DEUM elegisse in Christo, id est, ut per Christum, tanquam mediatorem, servaret, vel destinasse ad salutem in Christo adipiscendam. Non eos damno, qui sic explicant, quia in eo fundamentum salutis tenent incolume, quod salutem fundant in Christo solo. Mihi tamen magis placet, notari causam, propter quam DEUS nos elegerit; ut sensus sit, elegit nos in Christo, id est, per & propter Christum; ut habet Confessio Helvetica & Hyperius in hunc locum. Ita fundatur electio in Christi satisfactione & merito.* Consimilia his scribit in Def. part. II. conf. Prut. pag. 314. ubi ait: *Christi meriti tanquam causæ intuitu quoscunque elegit, electos esse Scriptura clare docet, & ratio ex DEI verbo petita confirmat. Scriptura docet, cum nos in Christo electos esse dicit Eph. I, 4. Id*

enim nihil aliud est, quam PER & PROPTER Christum nos electos esse.

§. 7. *Solum* Christum prædestinationis causam meritoriam esse, liquido constat. Ejus enim personæ, quæ prædestinationis causa meritoria est, meritum infiniti valoris, ponderis ac pretii sit oportet, cum per ipsum satisfactum sit læsæ peccatis nostris justitiæ divinæ, remissio peccatorum acquisita, & vita æterna, quæ peccatis amissa est, reparata, meritum vero, quod tanto pollet valore, ob læsam peccatis nostris *infinitam* justitiam divinam infinitum pondus ac pretium in se contineat: Ast unum, & solum Christi, utpote non hominis nudi, sed θεανθρώπε meritum, infiniti est pretii ac valoris.

§. 8. Ultimum in thesi nostra comprehensum assertum: *Filium DEI*, qui, qua passus & mortuus, prædestinationis caus- efficiens moralis, eaque meritoria est, *alio quodam respectu prædestinationis causam efficientem physicam esse*, itidem patet luculente. Quod si enim Filius DEI non spectetur, ut pro nobis passus ac mortuus est, sed præcise qua DEUS, seu ut DEUS cum Patre & Spiritu Sancto unus, consideretur, prædestinationis causa efficiens *physica* est, h. e. ipse nos prædestinavit, seu actione illa, quæ prædestinatio dicitur, immediate ipsemet egit: Internas enim actiones DEI (strictius dictas) indivisas esse, ex loco de DEO tanquam certum quid hic supponimus.

§. 9.

§. 9. Quando ex illis *Eph. I, 4.* consignatis Apostoli verbis: *DEUS elegit nos in ipso*, demonstramus, Christum ipsius electionis seu prædestinationis causam meritoriam esse, nostram hanc probationem quam plurimi Reformati (variis licet ac diversis exceptionibus) elidere frustra conantur. Quidam enim existimant, in loco isto Apostolico particulam ἐν non causam meritoriam, sed aliud quid designare. Atque illi quidem *Reformati* diversimode sentiunt, dum alii electionis *causam efficientem physicam*, alii *medium* sive *subjectum*, in quo electi sunt, alii fidei electorum *objectum*, alii quandam electionis nostræ *concomitantiam* vocula ἐν significari arbitrantur. Quippe *Franciscus Gomarus* (uti jam in præcedentibus monui) opinatur, particulam illam in eo, de quo hic quæstio est, dicto causam efficientem physicam eo modo denotare, quo ad exprimendum personarum divinarum ordinem *Colos. I, 16. IN* Filio D. E. I omnia condita dicuntur. Pareus vero, Adamum quendam (cujus sententiam Jesuita *Vazquez* Tom. I. in p. 1. Disp. XCIV. cap. II. n. VIII. commemorat) secutus, in suo scripto ad Synodum Dordracenam transmisso p. 294. diserte contendit, *Eph. I, 4.* verbis: ἐν αὐτῷ, significari, quod *DEUS nos elegerit in Christo consequenter, hoc est, ut fide & spiritu inserere-mur Christo tanquam membra capiti, essemusque in Christo post electionem.* Et *Polanus* in didasc. p. 41. docet, Apostolum verbis illis: *Elegit nos in*

Christo, non ostendere *causam, propter quam electi simus, sed medium sive subjectum, in quo electi sumus.* Denique *D. Samuel Andreæ* in Dissert. de *decreto absoluto* ann. 1679. Marpurgi habita §. XXXV. statuit, in eodem illo loco vocula ἐν exponi posse de aliqua *concomitantia*, ut sensus sit, nos esse electos *cum* Christo ceu capite, quoniam & ipse electus *Jes. XLII, 1.* & προεγνωσμένος *1. Petr. I, 20.* dicatur. Verum enim vero tota *Gomari* exceptio nititur falsa illa in §. præced. 3. explosa hypothesi, quasi Christus *Eph. I, 4.* non ut Mediator, sed præcise, quatenus DEUS est, considerandus proponatur. Sic & *Parei* exceptio temeraria prorsus est, ac textui vim infert manifestam. Præterquam enim, quod textui aliquid, cujus in eo nulla fit mentio, nempe Verba: *ut post electionē essemus in Christo per fidem*, citra necessitatem superaddit, certe ea sejungit, quæ Spiritus Sanctus composita esse voluit. Cuilibet enim hæcce Apostoli verba: ἐξελέξατο ἡμᾶς ἐν αὐτῷ, oppido liquebit, voculas: ἐν αὐτῷ, indivulso nexu cum verbo ἐξελέξατο cohærere, & ad illud pertinere, adeoque non ad aliud, quod in Apostolico textu plane non reperitur, nempe ad τὸ *ut haberemus fidem*, seu ut per fidem existeremus, referendas esse. Nec non *Samuelis Andreæ* opinio palam contextui repugnat. Quemadmodum enim Apostolus, quando in versu proxime præcedente tertio inquit, *DEUM benedixisse nobis omni benedictione spirituali in Christo*, non docet,

docet, quod una cum Christo reapse benedicamur omni benedictione spirituali, sed (ut ipse *Zanchius* Lib. V. de Nat. DEI pag. 657. confitetur) significat potius, nos nunc *PER* & *PROPTER* Christum reapse benedici omni benedictione spirituali in cœlestibus: ita dum immediate v. 4. subjungit: καθὼς (sicut) *elegit nos in ipso*, nihil aliud indicat, quam DEUM nos ab æterno *PER* & *PROPTER* Christum elegisse. Namque particula similitudinis καθὼς subinnuit, electionem *in Christo* ab æterno factam esse eo modo ac sensu, quo in Christo benedictione spirituali omni benedici dicimur. *Polani* denique sententia, quod *Eph. I, 4.* in Christo *tanquam in subjecto & aliquo medio* (seu velut in re aliqua interveniente) electi dicamur, ipsi suo autori aliisque *Reformatis* adversatur. *Primo* enim assertio illa: *Nos in Christo tanquam in medio sive Subjecto electos esse*, non potest non continere in se, aut inferre nostram hanc doctrinam, quod Christus sit ipsius electionis causa meritoria. Quod si enim ex *Polano* quæras, eccur in Christo tanquam in Subjecto & aliquo medio nos electi simus? ipse l. c. respondet: *Quoniam in universo Adami semine nihil electione dignum reperiebat cœlestis Pater, in Christum suos oculos convertit, ut tanquam ex ejus corpore membra eligeret, quos in vitæ consortium assumturus erat.* Atqui hacce responsione manifeste significat, DEUM, cum nullum, ob quod nos eligeret, meritum in nobis reperiret, in Chri-

sto aliquid electione dignum, seu aliquod meritum, ob quod electio fieret, in Christo reperisse, & propterea nos elegisse: Si enim electi sumus ideo, quia DEUS in Christo reperit quiddam electione dignum, utique propter Christum electi sumus, seu Christus est causa electionis meritoria. *Secundo* hæc *Polani* assertio, qua nos in in Christo tanquam in medio & subjecto electos esse dicit, præsupponit eam sententiam, quæ Christum ait ad peragendum redemtionis opus ante, quam nos ad æternam vitam prædestinati sumus, electum & prædestinatum fuisse. Id quod ipse agnoscit *Polanus*, cum l. c. scribit: *Elegit nos in Christo, tanquam membra in capite. Ergo his verbis non ostendit Paulus causam, propter quam electi simus, sed medium sive subjectum, in quo electi sumus. Atque sic ordo electionis monstratur; primo caput est electum, deinde in capite membra.* At vero illa ipsa sententia communi *Reformatorum* opinioni repugnat, cum Doctores illi electionem hominum in decretorum divinorum ordine decretum primum, & cæterorum omnium, atque adeo etiam ipsius de mittendo Filio decreti causam esse statuant. Hinc ex ipsis Reformatis *Gomarus* Tom. II. Op. fol. 61. inquit: *Quod dicitur, Christum primum electum esse, deinde nos propter Christum tanquam membra illius per fidem factos, alienum est, & in veræ sapientiæ lucem impingit. Quandoquidem media, ad finem destinata, prius a Deo ordinata esse, quam finem, statuit:*

statuit: id quod in DEUM sapientissimum cadere non potest. Nam qui electus ac destinatus est a DEO propter nos, ut a peccatis nos liberaret ac servaret, ille non est prius electus, quam nos, propter quos tanquam finem electus est: sed contra nos prius electi. Atqui Christus electus & destinatus est propter nos, ut nos a peccato liberaret ac servaret, 1 Petr. I, 20. 1. Joh. IV, 9. & 10. Ergo Christus non est prius electus ac destinatus, quam nos: sed contra nos prius electi, quam Christus.

§. 10. Alii *Reformati*, ut nostram ex *Eph. I, 4.* petitam probationem evertant, obtendere hic solent, particulam ἐν in illo Apostoli dicto denotare quidem meritoriam causam, sed non ad ipsam electionem, verum ad aliquid, quod sit addendum, nempe vel ad τὸ *salvandos* (quæ est opinio *Petri Molinæi* in Confessione Synodo Dordrechtanæ transmissa, & ab hac magnopere commendata p. 400. *Wendelini* Libr. I. Christ. Theol. c. III. th. 12. *Twissi* Libr. I. Vindic. Grat. Part. 2. Digr. I. sect. I.) vel ad τὸ *adoptandos* (quæ est *Theodori Bezæ* in not. ad *Eph. I.* sententia,) vel ad τὸ *sanctificandos* (quæ explicatio etiam *Samueli Andreæ* approbatur) referendam esse, ut adeo Christus ibi ab Apostolo non ut electionis, sed ut salvationis, vel adoptionis, vel sanctificationis causa meritoria describatur. Ast vero illa, quam *Reformati* hic comminiscuntur, Glossa in istam hermenevticam regulam: *Textui interpretando nihil est detrahendum, nihil citra necessitatem ad-*

dendum, nec verborum ordo in eo est turbandus, bifariam impingit, dum non solum textui aliquid addit, sed & dividendo composita ordinem verborum prorsus intervertit. Textui sane citra necessitatem addit vocabulum *salvationis*, vel *adoptionis*, vel *sanctificationis*, &, quando voces illas: *in ipso*, refert ad verbum *elegit*, atque cum eo componit; ipse sane a verbo *elegit* voces eas divellit, & cum alio quodam, eo nimirum, quod in textu plane non habetur, componit. Maxime omnium autem hic hallucinatur *D. Andreæ*, dum non solum textui citra necessitatem aliquid superaddit, & composita dividendo ordinem verborum turbat, sed etiam odiosam in Paulo ταυτολογίαν confingit. Cum enim verba ista: *ut simus sancti & inculpati coram ipso in charitate*, immediate subsequantur, juxta eam, quam *D. Andreæ* hic comminiscitur, explicationem Paulus sic declarandus erit: DEUS elegit nos, per Christum sanctificandos, ut essemus sancti & irreprehensibiles. Hoc vero est odiosam in tanto Apostolo ταυτολογίαν confingere.

§. 11. Nec vero a grandi illo vitio, quod contra regulam hermeneuticam modo commemoratam committitur, immunis est *Johannes Maccovius*, licet in Locis communibus Theologicis a *Nicolao Arnoldi* editis cap. XXVI. pag. 220. non tantum præpositionem ἐν in eo, de quo hic agitur, dicto Apostolico de causa meritoria explicet, verum etiam ad aliquid, quod in contextu

expresse

expreſſe habetur, nempe ad verba ſubſequentia: *Eſſe nos ſanctos & inculpatos*, referat, atque adeo exiſtimet, hanc eſſe Apoſtoli mentem: *DEUS elegit nos, eſſe nos ſanctos & inculpatos propter Chriſtum.* Sic enim ea, quæ Spiritus Sanctus diviſit, toto verborum turbato ordine componit, & quæ Spiritus Sanctus compoſita eſſe voluit, toto verborum ordine inverſo dividit ac ſejungit. Namque Spiritus Sanctus voces illas: *in ipſo*, a ſubſequentibus verbis: *eſſe nos ſanctos & inculpatos*, interjecto commate ſejungit, contra vero cum præcedente verbo ἐξελέξατο vult eſſe compoſitum. Aſt *Maccovius*, commate iſthoc per auſum temerarium deleto, additamentum illud: *in ipſo*, cum ſubſequentibus verbis componit, & a præcedente verbo: ἐξελέξατο, ſejungit, ac dividit.

§. 12. Quamvis vero ex Reformatis *Hieronymus Zanchius* Lib. V. de Nat. DEI c. II. pag. 699. exiſtimet, illius, de quo hic agimus, Apoſtolici dicti hunc eſſe ſenſum: *Elegit nos in Chriſto tanquam membra in capite*, tandem tamen in re ipſa docet, particulam IN eo loco occurrentem idem ac PROPTER denotare, & Chriſtum ut electionis cauſam meritoriam deſcribi. *Primo* enim l. c. pag 676. diſerte ſcribit: *Significat Apoſtolus, nihil eſſe, in quo, & propter quod, ſeu cujus reſpectu nos amet, & ab æterno amarit DEUS, eoque elegerit & prædeſtinarit: niſi Chriſtum Mediatorem, Filium ejus dilectum. Si igitur nos*

non

non amavit propter opera nostra, sed tantum propter Christum, & in hoc solo per suum Spiritum in nos suam diffundit charitatem: Consequitur, nos non esse electos propter opera, sed tantum PROPTER CHRISTUM. Quando *deinde* pag. 673. asserit, Apostolum, qvum in Christo nos electos fuisse inquit, *indicare medium, quo facta est hæc nostri cum DEO unio* (h. e. electio) *etiam ante mundi constitutionem*, per medium illud intellige. re nil aliud potest quam Mediatorem, cujus dignitate & merito motus est DEUS, ut ad vitam æternam nos eligeret: Jam vero talis Mediator utique est electionis ipsius causa meritoria.

§. 13. Ex nostris equidem Theologis *B. Gerhardus* in Disput. Isag. de Prædest. c. V. §. IV. statuit, phrasin Apostolicam: *DEUS elegit nos in Christo*, hoc quoque sensu accipi posse, quod electi simus in *Christo ut capite* (h. e. tanquam Christo per fidem usque ad finem vitæ conjuncti & adhærentes, atque sub hac ratione ab æterno præcogniti;) aut expositio illa, etsi in eam tandem doctrinam, quod propter Christum electi simus, resolvatur, nobis non placet. Nam textui aliquid citra necessitatem superaddit, nempe τὸ *existentes*, ut eligi nos in Christo idem sit ac eligi nos in Christo per fidem existentes aut extituros. Attamen eadem illa explicatio (ut itidem jam dixi) tandem in eam doctrinam, quod propter Christum electi simus, resolvitur. Quod si enim ex *Gerhardo* quis hinc quæsiviisset: Cur DEUS non nisi

nisi eos, qui in Christo per fidem extituri erant, elegerit? ipse ex verbis suis proxime antecedentibus respondisset: Quoniam, quoscunque elegit, per & propter Christum finali fide apprehendendum; atque sub hac ratione prævisum elegit.

§. 14. Cæterum contra totam nostram ex *Eph. I, 4.* petitam probationem, qua Christum electionis seu prædestinationis causam meritoriam esse evicimus, excipient fortasse aliqui, *Apostolum in eo loco non de electione ad gloriam, cujus meritoria causa hic demonstranda erat, sed de electione ad gratiam agi.* Ipse quippe Jesuita *Vazquez* Tom. I. in p. I. Disp. XCIV. cap. II. n. XI. inquit: *Quod autem hactenus probavimus, intelligitur de electione ad gratiam, qua scilicet DEUS decrevit aliquos ex massa perditionis gratuita & congrua sua vocatione eripere, aliis in ea relictis. De hac enim intelligendum esse hunc locum Pauli ad Eph. I, 4. ex mente omnium interpretum ostendi disputatione 89. cap. 12.* Et interjectis quibusdam: *Si vero fermo sit de electione ad gloriam, ex hoc loco non potest demonstrari, fuisse ex meritis Christi, cum de ea ibi Apostolus non loquatur.* Sed resp. (1): Ita hic *Reformati*, contra quos tamen probatio nostra cumprimis adornatur, non excipient, cum ipsimet locum Apostolicum de electione ad gloriam exponant. Resp. (2): De electione ad gratiam, ut appellatur, ibi Apostolus non agit. Gratia enim, quæ in præsenti

senti exceptione intelligitur, & sic vocatur, consistens quippe in sanctimonia & integritate vitæ coram DEO agenda, omniumque maxime in caritate, ab Apostolo non proponitur ut electionis *terminus formalis* (seu ut id, ad quod electi ac segretati simus, & ad quod electio in conceptu suo formali respectum essentialem importet,) sed (exponente sic ex ipsis *Reformatis Joh. Piscatore* in Anal. pag. 595.) ut electionis ad certum terminum factæ *causa finalis*. Resp. (3.) Si vel maxime ponamus, sermonem esse Apostolo de electione ad gratiam, nihilo tamen minus ex illo ipso loco demonstrari potest, electionem ad gloriam intuitu Christi, tanquam causæ meritoriæ, factam esse. Ea enim, quam in præsenti exceptione intelligunt, gratia ad gloriam seu ad æternam vitam se habet ut medium ad finem, & ut bonum minus præstans ad bonum præstantius: At vero probabile non est, id, quod medii bonique minus præstantis rationem habet, non nisi ob meritum, finem autem bonumque præstantius absolute ac nullo interveniente merito alicui a DEO decerni.

§. 15. Ipsa nostra, in qua adstruenda & vindicanda huc usque occupati fuimus, assertio, quod *Christus, ut passus & mortuus est, ipsius electionis causa meritoria sit*, communiter ex eo impugnari solet, quod Christus qua Mediator, & ut passus ac mortuus est, ipsaque ejus passio & mors ac proinde ipsius meritum, quod in patiendo ac me-

moriendo consistit, ab æterno, cum fieret electionis seu prædestinationis decretum, non extiterit. Verum enim vero tota hæc objectio refellitur statim, si intrepide regesseris, causam meritoriam efficacem esse, suumque effectum habere posse, etiamsi ipsa, aut ejus meritum nondum existat. Christus sane etiam in Veteri Testamento, ubi nondum natus, nedum passus & mortuus erat, omnibus fidelibus justificationis (seu remissionis peccatorum,) omnibusque pie demortuis salvationis causa meritoria fuit, cum in alio quopiam non sit salus *Actor. IV, 12.* nosque credamus per gratiam Domini nostri Jesu Christi salvos futuros quemadmodum & Veteris Testamenti Patres c. XIV. v. 11. Atque id ipsum, quod de causæ meritoriæ, meritique nondum existentis efficacia jam asseruimus, in aliis etiam rebus ad fidem non pertinentibus locum habere, celebris olim Philosophus, *Daniel Stahlius* in Reg. part. 2. Disp. 2. p. m. 45. ita commonstrat: *Est civitas, quæ a Rege vicino quandam accipit pecuniæ summam, ea conditione, ut posteritas elapso definito annorum numero præstet Regi angarias. Hic causa meritoria pecuniæ, majoribus suis traditæ, sunt posteri, quos tunc vivere necesse est, quando angarias exhibent; tempore vero traditionis pecuniæ, quam olim merituri erant, existere, res non exigit, quod ipsi eam non tradant, sed Rex.*

Th. XIII.

Causa aliqua IMPULSIVA prædestinatio-

nationis est gratuitus DEI favor, seu universalis & in effabilis DEI misericordia & bonitas. Id quod patescit cumprimis ex *Eph.* II, 8. 2. *Tim.* I, 9. ubi gratia vel ex gratia salvari dicimur. Quicquid enim est causa impulsiva executionis, id etiam est causa impulsiva decreti: Atqui prædestinatio ad salvationem uti decretum ad executionem se habet.

§. 1. Nos adversamur hic *Pontificiis*, qui licet nos a DEO ex favore gratuito, seu ex universali & ineffabili misericordia ac bonitate prædestinatos & electos esse profiteantur, nostram tamen probationem ex locis Paulinis in thesi nostra allegatis petitam impugnant, quando per gratiam illam, qua, seu secundum quam salvari dicimur in epistolis Pauli, non favorem DEI gratuitum, sed effectum illius favoris, seu donum a Deo in nobis efficienter productum, inhærentem nimirum nobis justitiam & charitatem, intelligi contendunt: Quam *Pontificiam* glossam superius in Loc. VI. de Justif. §. 4. 5. 6. seqq. ad Thes. XIII. ex instituto ac copiose confutavimus.

§. 2. Thesis nostra demonstratur insuper ex *Eph. I*, 5. ubi DEUS *secundum beneplacitum voluntatis suæ* nos prædestinasse perhibetur. Illud enim divinæ voluntatis beneplacitum (uti vel ex Reformatis *Piscator* in *Analysi* ad *Eph. I.* diserte anno-

annotat) nihil aliud est, quam favor DEI gratuitus. Est quippe Numinis Æterni complacentia circa hominum salutem, absolute & secundum se, non habito respectu ad diversam hominum conditionem, qua aliqui eorum in Christum credituri, plurimi vero in incredulitate morituri sint, consideratam. Hæc vero complacentia est favor seu gratia DEI, ad omnes omnino homines, etiam eos, qui nunquam salvantur, sese extendens.

Th. XIV.

Cæterum universalis DEI gratia seu favor nec *proxima*, nec *unica* prædestinationis causa impulsiva est.

§. 1. Non est causa *proxima*. Neque enim ad quæstionem illam: cur DEUS aliquos tantummodo homines, & hos quidem potius, quam illos, elegerit seu prædestinaverit? satis commode respondetur, si dixeris, id factum esse ideo, quod salus hominum, secundum se spectata, Deo ab æterno placuerit, seu quod DEUS omnes homines gratia sua complectatur. Alias enim omnes homines electos seu prædestinatos esse oporteret.

§. 2. Nec vero universalis DEI gratia est *unica* prædestinationis causa impulsiva. Eo ipso enim, quod non est causa proxima, remota est: Jam vero omnis remota causa aliam causam, quæ inter ipsam & effectum interveniat, exigit.

Atque talis causa interveniens hoc loco est Meritum Christi fide finali apprehendendum.

§. 3. Quamvis vero gratia DEI *universalis* non sit prædestinationis causa proxima & adæquata, talismodi tamen causa est gratia seu dilectio DEI specialis, in Christi Merito finali fide apprehendendo, atque sub hac ratione præviso fundata. Vid. *B. Gerhardus* Tom. II. LL. p. m. 253. seq.

Th. XV.

Proxima vero prædestinationis, secundum esse respectivum consideratæ, causa impulsiva est Christi Meritum, ut fide finali apprehendendum.

§. 1. Dico (1.) *Fide apprehendendum.* Cum enim Christi Meritum vel *absolute* & *in se* (h. e. citra respectum ad homines, qui illud aut aspernantur, aut fide sibi applicant) vel *respective* (h. est quatenus vera fide his vel illis hominibus applicatur) considerari possit,) sane non priori, sed posteriori modo spectatum electionis seu prædestinationis causa impulsiva proxima fuit. Christi namque meritum, si priori modo consideretur, universale est, seque ad omnes homines extendit: Electio vero seu prædestinatio est particularis.

§. 2. Dico (2.): Fide *finali* apprehendendum. Uti enim DEUS neminem actu salvat, nisi ob Meritum Christi finali fide apprehen-

sum:

sum: ita quoscunque elegit ab æterno, non nisi intuitu Meriti Christi finali fide apprehendendi prædestinavit.

§. 3. Sic igitur prævisa finalis fides ex parte Meriti Christi, ut causæ impulsivæ prædestinationis, requiritur, non quod Christi Meritum ignobiliorem movendi virtutem, quam ad movendam DEI voluntatem & effectum a DEO impetrandum requiritur, in se contineat, fideiq; elevatione opus habeat, sed quod sit aliquod Meriti Christi ut causæ prædestinationis prærequisitum, quod, si Meritum Christi suam movendi virtutem exerere debet, adsit, idque hominibus morali unione appropriet, ac tanquam proprium salvationis & electionis Meritum DEO Patri sistat, necesse est. Scilicet quemadmodum ut oculus potentiam videndi completam habeat, atque in videndi actu constituatur, requiritur, ut adsint quædam antecedenter requisita, e gr. *objectum* (ut color & lux) *medium perspicuum* (ut aqua, aer, crystallus, vitrum &c.) quæ tamen nec oculo communicant vim videndi, nec eum, dum actionibus suis fungitur, elevant; ita ut Christi Meritum actu sit electionis causa impulsiva, requiritur finalis fides, quæ tamen neque vim motivam Merito Christi confert, neque ipsum in actu causandi elevat,

§. 4. Dixi (3) in thesi nostra, Meritum Christi esse causam impulsivam prædestinationis *secundum esse suum respectivum* (seu formale)

consideratæ, h. e. causam impulsivam prædestinationis, spectatæ quoad liberam essentiæ ac Voluntatis divinæ ad certas personas, quæ ad certum finem destinantur, terminationem. Absurdissimum enim fuerit, si quis Meritum Christi prædestinationis quoad *esse suum absolutum* spectatæ causam impulsivam esse dixerit. Cum enim per esse absolutum prædestinationis intelligatur essentia & voluntas divina, præcise & in se absque terminatione libera & citra objecti certi connotationem spectata, certe si quis docuerit, Meritum Christi esse causam impulsivam prædestinationis quoad esse suum absolutum spectatæ, idem hoc erit, ac si asseret, DEUM esse vel existere, divinam naturam ac voluntatem esse propter Christi Meritum, Christique passionem ac mortem essentiam divinam promeruisse. Hinc recte & accurate scribit Jesuita ille Hispanus, *Didacus Alvarez*, quando Lib. V. de auxiliis divinæ gratiæ Disp. 39. concl. 3. ait: *Christus meruit nobis prædestinationem & electionem ad gloriam, non quidem quantum ad absolutum ipsius actus prædestinantis, sed quantum ad respectivum, quod connotat, seu quantum ad terminationem ad aliquas Personas, & ad tale vel tale objectum secundarium.* Male vero disputat hic ex Reformatis *Guilielmus Twissus*, quando Lib. I. Vindic. Grat. Part. 2. Digr. I. sect. I. fol. 141. seq. citata jam *Alvarezii* verba, simulque nostram inter prædestinationis esse absolutum & esse respectivum distinctionem impugnat

gnat: Cujus objectiones potisſimas in ſecunda noſtra de *Prædeſtin.* diſſertatione, jam ſeculi ſuperioris anno LXXX. Jenæ edita cap. I. §. 12. ex inſtituto diluimus.

§. 5. Ipſa vero aſſertio noſtra, qua Chriſti Meritum prædeſtinationis cauſa impulſiva eſſe dicitur, ex eo luculentiſſime patet, quod (uti ad Theſ. XII. ex *Eph. I, 4.* probatum dedimus) Chriſtus, qua paſſus & mortuus, prædeſtinationis cauſa efficiens meritoria ſit. Cujusvis enim cauſæ efficientis meritoriæ meritum eſt cauſa impulſiva effectus, cum cauſa efficiens meritoria per hoc ſit talis cauſa, quod merito ſuo, quod in bene vel male facto ponitur, cauſam efficientem phyſicam ad producendum effectum movet, omne autem illud, quod in bene vel male facto ponitur, & quo cauſa efficiens phyſica ad producendum effectum ab ipſo movente diſtinctum movetur, utique ſit cauſa impulſiva effectus.

§. 6. Eandem illam aſſertionem hic demonſtramus potisſimum argumento ab executione petito, quod huc redit: *Quicquid eſt cauſa impulſiva ſalvationis, illud etiam eſt cauſa impulſiva ipſius electionis ſeu prædeſtinationis. Atqui Meritum* CHRISTI *finali fide apprehenſum eſt cauſa impulſiva ſalvationis. Ergo Meritum* CHRISTI

finali

finali fide apprehensum est quoque causa impulsiva electionis seu prædestinationis. Quod *Lutheranorum* argumentum cum pro præcipuo habeatur, quo illa ipsorum thesis, quod Meritum Christi sit electionis ipsius causa impulsiva, constabiliri solet, in utraque ejus præmissa solidius confirmanda omnino nunc est elaborandum.

§. 7. Scilicet major illa propositio: *Quicquid est causa impulsiva salvationis, illud etiam est causa impulsiva ipsius electionis seu prædestinationis*, ex eo comprobatur, quod salvatio & prædestinatio ad se referantur invicem, ut executio & decretum de executione, quæ vero sunt causæ impulsivæ executionis, illæ etiam sint causæ impulsivæ decreti. Hoc vero axioma quam maxime decantatum tum ex *natura* & causalitate cujusvis *causæ impulsivæ*, in ordine ad effectum externum & executionem sic dictæ, & fundato in ea contradictionis principio, tum a posteriori demonstrari solet. Quemadmodum enim (uti in *Philosophia* mea *Prima* cap. V. p. 758. 760. liquido ostensum est) ratio formalis & causalitas causæ impulsivæ alicujus effectus externi in eo consistit, quod ad causæ efficientis voluntatem sese habet ut ratio volendi vel decernendi effectum, eamque ad illum efficiendum seu producendum movet: ita natura & ratio formalis, qua aliquid in esse causæ impulsivæ executionis constituitur, posita est in hoc, quod sub ratione boni vel mali voluntatem causæ efficientis movet, ut illud, quod executioni datur, exequi de-

cernat aut velit, & revera id ipsum exequatur. Manifestam igitur implicat contradictionem, aliquid esse causam impulsivam executionis, nec tamen esse causam impulsivam decreti de executione; isque qui hoc statuit, admittere necessum habet, unam eandemque rem ejusdem executionis esse causam impulsivam, & non esse causam impulsivam. Alterum enim, aliquid nempe causam impulsivam executionis esse, expresse cit: Alterum vero, idem scilicet non esse executionis causam impulsivam, eo ipso statuit, dum illud, quod executionis causam impulsivam esse asseruit, decreti executionis causam impulsivam esse inficiatur, siquidem per hoc ipsum aliquid est executionis causa impulsiva, quod voluntatem causæ efficientis movet & impellit, ut decernat aut velit executionem, ac tandem id, quod executioni datur, reapse exequatur. Hinc (quæ est probatio a *posteriori* petita) nec in humanis nec in divinis rebus adferri potest ullum exemplum, ubi aliquid, si mutatio nulla vel ex parte objecti vel ex parte voluntatis intervenerit, causæ impulsivæ rationem respectu executionis habeat, nec tamen sit decreti, cui respondet executio, causa impulsiva: contra vero ubivis eandem impulsivam causam deprehendimus; prout e. g. uti DEUS evertit Sodomam propter incolarum clamantia peccata *Gen. XIX, 13.* ita propter eandem causam urbem isthanc perdere decrevit cap. XVIII, 20. seq. Et sicuti princeps ministro ob merita prædium do-

nat, ita principem merita ad decretum donandi commoverunt. Atque ex eo, quod ubivis easdem executionis & decreti causas impulsivas conspicimus, evenit certe, ut omnes cognita executionis causa impulsiva protinus acquiescamus, neque de alia & diversa causa impulsiva *decreti* multum soliciti simus.

§. 8. Argumenti ab executione desumti minor ista propositio: *Meritum Christi finali fide apprehensum est causa impulsiva salvationis*, quam maxime ex natura causæ meritoriæ elucet. Omne enim meritum, quatenus effectus producti vera causa est, causæ meritoriæ rationem habet; Omnis vero causa meritoria, quæ personæ alicujus promerentis meritum est, proprie strictequeloquendo est causa impulsiva, cum omnis causa istiusmodi meritoria sit causa, sub ratione boni aut mali, in benefacto aut malefacto, eoque proemio aut poena digno, posita efficientem causam ad agendum impellens. Hinc ex ipsis Reformatis *Wendelinus* in Exercit. VIII. §. XLVI. pag. 67. diserte scribit: *Non illico meritoria* (causa) *est, quæ impulsiva est, etsi impulsiva est, qua meritoria est.* Quia igitur Meritum Christi, quippe quod salvationis vera & realis causa est, in ordine ad salutem nobis conferendam causæ meritoriæ rationem habet, ideo respectu effectus illius causam impulsivam esse oportet. Eandem illam argumenti nostri minorem propositionem ex eo porro commonstramus, quod Christus 1. *Tim. II. 6.*

sese

seſe pro omnibus dederit ἀντίλυτρον seu *pretium redemptionis* (h. e. pretium, quod cuipiam pro redimendo captivo persolutum per hoc captivum liberat redimitque, quod voluntatem illius, penes quem est dimittere eum, ad dimittendum valore suo permoveat). Quod si enim Christus tale est ἀντίλυτρον, sane *ratione & vi meriti sui* DEUM ad liberandum nos e potestate Diaboli, mortis & inferni, atque adeo ad salutem nobis conferendam movet ac impellit.

§. 9. Coeterum circa *Lutheranorum* ex causis executionis depromtum argumentum contra me nominatim disputat ex Reformatis D. *Samuel Andreæ*, Theologiæ in Marpurgensi academia Professor. Postquam enim eo, quo jam feci, pacto argumenti illius majorem propositionem in secunda mea, quæ de prædestinatione agit, dissertatione comprobaveram, ipse in vindiciis suæ de *Absoluto decreto* disquisitionis, Cap. V. §. 9 & 7, hæccæ mihi reposuit: *Majorem apriori probat tanta subtilitate, ut me illam non capere, nec sensum ejus exprimere posse lubens profitear. Verba enim quidem lego, mentem non video, neque quomodo vel inter se, vel cum majore probanda connectantur. Qui capere potest, capiat.* (2) *Ratio ejus a posteriori non probat, quod erat probandum. Non enim de decreto & executione in genere, sed de decreto salvationis & actuali salvatione quæstio erat. Ergo ignorationem elenchi committit, vel supponit gratis, quod*

alio argumento erat probandum. Aſt uti diſputator ille nihil plane priori probationi opponit, ita, quando poſterioris elidere vim annititur, immane quantum impingit. Quamvis enim in argumento noſtro non ſit ſermo de decreto & executione in genere, ſed de decreto ſalvationis & actuali ſalvatione, tamen ad majorem illam propoſitionem: *Quicquid eſt cauſa impulſiva ſalvationis, illud etiam eſt cauſa impulſiva ipſius electionis ſeu prædeſtinationis*, demonſtrandam aximoma iſtud: *Quæ ſunt cauſæ impulſivæ executionis, illæ etiam ſunt cauſæ impulſivæ decreti*, recte allegatur, idque exinde probatur ſolide, quod nec in humanis, nec in divinis rebus adferri poſſit ullum exemplum, ubi aliquid, ſi mutatio nulla vel ex parte objecti vel ex parte voluntatis intervenerit, cauſæ impulſivæ rationem reſpectu executionis habeat, nec tamen decreti, quod executioni reſpondet, ſit cauſa impulſiva. Certe tum demum elenchi ignorationem committerem, ſi in quæſtione præſenti concluſionem de decreto et executione in univerſum agentem, principalem velut, inferrem. Quid? quod ipſe antagoniſta ſe meam a priori petitam probationem hactenus haud evertiſſe, eumque defectum ſupplendum eſſe confitetur, quando in altera *Vindiciarum* editione pag. 92. & 93. inquit: *Dum vindiciæ recudunter, ſubit animum, & ad rationem a priori NIHIL RESPONSUM, & quoque ultimæ Cap. VI. & X. breviter ſolum perſtricta, quoniam*

niam ad finem properabam. Vtramque ergo defectum supplere nunc visum quadantenus, ut, quæ scripta sunt, eo melius cunctis pateant. Et quidem quod prius attinet, suffecerit, rationem illam disputatoris a priori desumptam verbis ejus hic proponere, & judicium tum permittere lectori, ut, qui capere potest, capiat. Verum enim vero nec hic respondet quicquam, sed probationem a priori desumptam prorsus intactam relinquit. Neque enim aliud quid hic facit, quam quod totum meum argumentum, & quam in medium protuli, probationem percenset, ac postea subjungit: *Dicat jam, cui mica salis est, an hæc inter se cohæreant, vel etiam cum majore, quam intenderat probare. Mera petitio principii est.* En pessimæ ac desperatæ causæ documentum! Sane si hujusmodi responsio quicquam valeret, stupidissimus quisque habiturus esset, quod vel invictis argumentis regereret. Unus quisque enim consimili pacto, advocata in partes eadem velut vulgata formula, hæcce reponere: *Quod argumentum objectum attinet, suffecerit illud Verbis disputatoris adversarii proponere & judicium tum permittere lectori, ut, qui capere potest, capiat;* ac deinceps prolato argumento isthoc, & repetita ejusdem probatione exclamare posset: *Dicat jam, cui mica salis est, an hæc inter se cohæreant, vel etiam cum majore, quam intenderat probare. Mera petitio principii est.* Quamobrem si candidi Disputatoris mensuram adimplere voluisset adversarius *Andreæ*, edo-

edocere necesſum habuiſſet, cur ea, quæ pro majore conſtabilienda adduxi, cum illa connexionem non habeant, quodque incerta ſint, quæ de cauſæ impulſivæ natura & functione, dum in majore illa adſtruenda elaborabam, enarravi: Namque in Logicorum palæſtris *fallacia petitionis ejus, quod eſt in principio*, appellatur, quando idem per idem, vel incertum peræque incertum comprobare quis præſumit. Aſt quicquam horum abs me factum eſſe, oſtendere neutiquam valebit antagoniſta. Cum enim major argumenti mei propoſitio de ſalvationis, alicujus velut executionis, & prædeſtinationis, cujusdam tanquam decreti, quod cauſam impulſivam harmonia eloquatur, id circo illa, quam ex impulſivæ cauſæ in ordine ad executionem ſic dictæ natura, atque in ea fundato contradictionis principio arceſſivi, probatio aptiſſimam cum probanda iſthac propoſitione connexionem habebit. Nec vero alia, atque ea, quam nos tradidimus, cauſæ impulſivæ natura unquam commonſtrari poterit.

§. 10. Neque ſolum majorem, ſed & minorem principalis argumenti noſtri propoſitionem l. c. §. VII. negat D. *Andreæ*, &, ubi in probatione minoris propoſitionis obſervavi, omnem cauſam meritoriam (quæ perſonæ alicujus promerentis meritum eſt) proprie ſtricteque loquendo eſſe cauſam impulſivam, ipſe regerit, me *cauſam impulſivam & cauſam meritoriam* male

pro

pro eadem habere. Sed vero licet omnem causam meritoriam (quæ personæ alicujus promerentis meritum est) causam impulsivam esse statuam, non tamen propterea causam impulsivam & causam meritoriam pro eadem habeo. Quamvis enim omnem ejusmodi causam meritoriam existimem esse causam impulsivam, minime tamen arbitror, omnem causam impulsivam esse meritoriam, sed impulsivam causam a causa meritoria ut latius quid ab angustiori distingvo. Cæterum D. *Andreæ*, dum Meritum Christi salvationis causam impulsivam esse inficiatur, aperte aliis reluctatur *Reformatis*, ex quibus percelebris *Wendelinus* in System. Maj. pag. 1101. scribit: *Justificationis causa impulsiva externa est Christus Mediator & Redemptor, propter cujus satisfactionem a maledictione legis absolvimur.* Quod si enim Christi Meritum justificationis causa impulsiva est, sane etiam salvationis causam impulsivam illud esse fatendum est, cum per justificationem ipsa æternæ salutis hæreditas nobis obtingat.

Th. XV.

Suo etiam modo prædestinationis causa *impulsiva* est prævisa *fides* in Christum finalis.

§. 1. Per fidem finalem intelligitur fides, quæ sub finem vitæ adest. Atq; hujusmodi fides vel sine interruptione ad finem usque vitæ perseverat, vel, si per peccata fuerit amissa, gratia divina ante obitum reparatur.

§. 2.

§. 2. Dico in thesi, fidem in Christum *suo modo* prædestinationis causam impulsivam esse. Absolute enim & simpliciter fidem prædestinationis causam impulsivam vocare veremur, cum causæ impulsivæ vox in genere causæ impulsivæ externæ simpliciter & absolute loquendo denotet causam impulsivam principalem, fides autem non alia prædestinationis causa impulsiva sit, quam externa minus principalis.

§. 3. Fidem autem suo modo prædestinationis causam impulsivam esse, hocce evincimus argumento: *Quicquid suo modo salvationis causa impulsiva est, id etiam suo modo est prædestinationis impulsiva causa. Atqui Fides suo modo salvationis causa impulsiva est. Ergo fides suo modo est etiam prædestinationis impulsiva causa.* Cujus argumenti propositio major ex eo liquet, quod prædestinatio & actualis salvatio se invicem ut decretum, & decreti executio respiciant, quæ vero sunt causæ impulsivæ executionis, illæ etiam sint causæ impulsivæ decreti. Minor autem propositio quatuor rationibus nunc demonstratur. Videlicet (1,) Fidem, si justificationis causa impulsiva est, salvationis quoq; causam impulsivam esse oportet: Nam per justificationem credentibus æternæ salutis hæreditas acquiritur. Jam vero fidem in Christum suo modo justificationis causam impulsivam esse, superius in Loc. VI. de Justif. §. 2. ad *Th. XV.* demonstravimus.

(2.) Ne-

(2) Negari nequit, intutiu fidei Meritum Christi apprehendentis nos salvari. At vero illud, quod se habeat ut ratio, cujus intuitu DEUS nos salvat, utique est ratio DEUM ad salvandos nos movens & impellens, seu causa impulsiva salvationis. (3) Posita causæ impulsivæ causalitate ponitur ipsa causa impulsiva: Ast veræ in Christum fidei causalitas causæ impulsivæ in ordine ad actualem salvationem competit, quatenus, dum Christi satisfactionem pro peccatis nostris præstitam tanquam ab homine apprehensam DEO exhibet, hoc ipso sub ratione boni, seu per infinitam illius ipsius satisfactionis dignitatem DEUM, ejusque Voluntatem ad salutem nobis conferendam movet ac impellit. (4) Sacræ literæ fidem salvationis veram & realem causam esse, luculente docent, quando *Eph. II, 8.* nos διὰ τῆς πίστεως (per fidem salvari, & *Rom. I, 17. Gal. III, 11. Ebr. X, 18.* ἐκ πίστεως (ex fide) vivere testantur: Particulæ enim ἐκ & διὰ vim causæ manifestam habent. Atqui fides in ordine ad salvationem non alterius, quam causæ moventis seu impellentis rationem habere potest.

§. 4. Ex Reformatis *Wendelinus* ut argumenti nostri majorem propositionem negat, ita minorem *Lib. I. System. Maj. cap. II, pag. 173.* ea impugnat ratione, quod *per fidem, non propter fidem salvemur.* Verum enim vero ex eo, quod non propter fidem, sed per fidem salvamur, haud licet inferre, fidem nullo modo salvationis causam

sam impulsivam esse, sed id saltem sequitur, quod fides non sit salvationis causa meritoria, seu impulsiva principalis.

§. 5. Communiter *Reformati* Lutheranis, fidem electionis causam impulsivam esse docentibus, Pelagianum errorem objiciunt. Ast non adparet, quo jure hic Lutherani Pelagianismi accusari queant. Nec enim fidem pro electionis causa impellente *meritoria* habent, nec ex viribus hominis naturalibus dependere statuunt, sed eam soli Spiritus Sancti supernaturali operationi referunt acceptam, ac nulla ratione alia, quam dignitate ac virtute Meriti Christi, DEUM ad electionem nostri permovisse asserunt. Atqui hoc dogma in *Lutheranis* nullo modo errorem Pelagianum arguit. Vid. omnino *B. Albertus Graverus* in Absurd. Calvin. p. 272.

§. 6. Cæterum fides illa, quæ suo modo in ordine ad prædestinationem causæ impulsivæ rationem habet, nonnisi *finalis* est. Uti enim homines non nisi intuitu finalis fidei salvantur, ita nemo nisi intuitu finalis fidei prædestinatus fuit: quia alias fieri posset, ut quidam electi seu prædestinati non salvarentur.

§. 7. Cum igitur finalis fides prædestinationis causa impulsiva sit, realiter vero ab æterno non extiterit, ipsam sane, ut in DEI præscientia ab æterno *præviſam*, DEUM ad nos prædestinandos movisse manifestum est. Id quod subinnuit Apostolus *Rom. IIX*, 29. ubi illos docet prædestinatos esse, quos DEUS præscivit: & inquiens,

quiens, προέγνω, καὶ προώρισε (h. e. quos præscivit, eosdem & prædestinavit.) Quod etiam antiquæ ecclesiæ Doctores de præviſione fidei in Christum finalis interpretati sunt. Hinc *Ambrosius* in h. l. c. XXI. ita scripsit: *Istos, quos præscivit futuros sibi devotos, elegit ad promissa præmia capessenda: ut hi, qui credere videntur, & non permanent in fide cœpta, a DEO electi negentur: quia quos DEUS elegit, apud se permanent.* Confer *Hieronymum* in h. l. *Augustin.* Tract. *XXIV.* in *Johannem*, *Fulgentium* Lib. I. ad Mon.

§. 8. Etsi vero nonnulli fuerint Lutherani Theologi, (ut *Hunnius* in Præfat. Tract. de Prov. & Prædest. fol. 675. *Hutterus* in explic. Form. Conc. *Meisnerus* in Anthrop. Dec. II. Disp. IV. *Gerhardus* in Disp. II. Anti-Wendel. th. 24. *Himmelius* in Syntagmate Dispt. XI. §. 38.) qui fidem electionis *causam impulsivam* esse simpliciter negarunt, imo vero causæ notione prorsus omissa, fidem conditionem ex parte hominis eligendi requisitam, vel partem ordinis prædestinatorii, quam DEUS ab æterno non minus, quam Christi Meritum adspexerit, appellare maluerunt, tamen quoad rem ipsam suffragati sunt *B. Joh. Musæo*, *Christiano Chemnitio*, *Scherzero*, *Bechmanno*, *Bajero*, qui omnes (ut in *Philos.* nostra *prima* P. III. cap. V. thes. VI. §. 3. & th. IX. §. 3. enarravimus) fidem finalem prædestinationis causam impulsivam suo modo esse docuerunt. Omnes enim Theologi Lu-

therani voce una, pari emissa consensu, edocent, DEUM nos intuitu fidei elegisse, & quærenti, cur DEUS hos & non illos elegerit? apte responderi: quia hi, non autem illi in Christum credunt: Atqui id omne, cujus intuitu DEus nos elegit (seu cujus respectu DEUS ad eligendum sese determinavit,) quodque quærenti: cur DEUS hos præ illis elegerit? ex asse satisfacit, utique fuit ratio DEUM ad nos prædestinandos movens, adeoque suo modo fuit prædestinationis seu electionis causa impulsiva. *Lutherani* porro Doctores in eo consentiunt, quod *Meritum* Christi amplexa fides in arcano electionis non propriæ suæ dignitati, sed dignitati sui correlati, nimirum Meriti Christi, innitatur. Sic enim instar omnium *B. Ægidius Hunnius* in Præfat. Tract. de Prov. & Præd. fol. 675. scribit: *Certe non sine omni plane dignitate electi sumus, sed absolutissima dignitate Meriti Domini nostri Jesu Christi. Quod Meritum amplexa fides non propriæ suæ dignitati, vel in arcano electionis, vel articulo justificationis innititur, sed* DIGNITATI, *ut dixi,* OBEDIENTIÆ CHRISTI. Is ipse Theologus consimili modo *Tom. V. Opp. Disp. XXV.* thes. 47. inquit: *Ubi fides non ex sua æstimatur vel dignitate vel merito: sed ex* DIGNITATE SUI CORRELATI, *nempe Christi.* Quod si igitur fides ad prædestinationem Virtute ac dignitate Meriti Christi concurrit, sane verissima prædestinationis causa fuit: Virtus enim & dignitas

gnitas Meriti Christi est verisima salvationem & prædestinationem causandi ratio. Et cum illa Meriti Christi vis & dignitas, per quam fides prædestinationis causa fuit, non sit alia, quam motiva & impulsiva, qua DEUS ad nostri electionem fuit commotus, fidem profecto prædestinationis causam impulsivam suo modo esse oportet: Ipsa enim causa in suo genere ex ratione & Virtute causandi æstimatur. Qua circa ipsemet *B. Balthasar Meisnerus* Anthropol. Dec. II. Disp. IV. membr. III. §. 36. *Convenientissimum*, ait, *illud videtur, fidem non considerari seorsim, ut causam electionis peculiarem a Christi Merito distinctam, sed conjunctim una cum ipso Merito apprehenso, ut sic utrumque copulatum unam electionis CAUSAM IMPELLENTEM constituat. Neque enim Meritum sine applicatione, neque fides per se MOVIT DEUM ad eligendum: sed UTRUMQUE in præscientia divina conjunctum, hoc est, Meritum fide apprehensum vel FIDES meritum apprehendens.* His prorsus gemina, iisdem plane verbis adhibitis, tradit *B. Himmelius* in Syntagm. Disp. XI. §. 39.

§. 9. Nostram huc usque declaratam, & proxime præcedentem liquidisime demonstratam thesinoppugnant *Reformati*, quippe qui præter liberrimum & gratuitum, DEI beneplacitum nullam aliam prædestinationis causam impulsivam esse contendunt atque adeo nec meritum Christi, nec fidem pro causa impulsiva agnoscunt. Diserte ex iis *Franciscus Gomarus* in Jud. de Elect.

lect. & Reprob. scribit: *Electionis hujus causa impulsiva est solum liberrimum & gratuitum DEI beneplacitum: ideoque non Christi meritum, nec quicquam extra DEUM.* Confer *Synod. Dordr.* de Prædest. Can. VII. & IX. & Judicia Theologorum tum exterorum tum provincialium de *Præd.* quæ Synodo Dordracenæ exhibita, ejusque Actis annexa sunt. Nec vero ex Reformatis *VVendelinus & Twissus* aliam fovent sententiam, Meritumque Christi, ac fidem illud finaliter amplectentem pro causis impulsivis ipsius electionis habent, quando ille in *Vindic. Grat.* Lib. I. fol. 168. scribit: *Nos minime dicimus, DEUM, velle alicui vitam æternam citra respectum Mediatoris*; hic vero in *System. Maj.* Lib. I. c. III. th. 12. *Interim*, inquit, *adversariis hoc damus: Electos nos esse ad vitam æternam intuitu Meriti Christi & Fidei id apprehendentis tanquam Mediorum in ipso decreto Electionis ordinatorum.* Neque enim ipsorum mens est, Meriti Christi, idque finaliter apprehendentis fidei intuitum ita ingressum esse æternum prædestinationis decretum, ut Christi Meritum, fidesque id apprehendens ipsius actus prædestinatorii, seu ipsius æternæ ac divinæ volitionis causæ impulsivæ fuerint, sed hæc eorum sententia est, quod Deus nulla causa impulsiva externa motus ab æterno decreverit nos in tempore ita salvare, ut actualis salvationis causæ essent Meritum Christi, & finalis id apprehendens fides. Hinc eam *Thomæ Aquinatis* propositionem: *Deus vult hoc propter hoc, sed non propter hoc vult hoc*, subin-

subinde usurpant, contendentes quippe, DEUM Petro velle salutem æternam propter Meritum Christi (ut Meritum Xsti sit causa salutis æternæ) sed non propter Christi Meritum velle Petro salutem (seu Petro non ita velle salutem, ut Meritum Christi sit causa ipsius actus volendi.) Quod *Thomæ* effatum *Twissius* l. c. p. 168. hunc in modum illustrat: *Vti DEUS nemini vult messem copiosam, nisi propter imbres tempestivos, non autem propter imbres tempestivos vult messem copiosam;* ita DEUS decrevit & voluit alicui vitam æternam propter Meritum Christi, sed non propter Christi Meritum decrevit & voluit alicui æternam vitam. Quanquam & hic *Reformati* illi Doctores variis modis impingant. Quippe (1.) jam in prima hujus Systematis Parte Loc. II. §. 2. ad Th. XLIIX. liquidissime demonstravimus, fieri non posse, ut aliquid ex parte voliti, non autem ex parte ipsius actus volendi ratio motiva sit. Hinc (2) fieri nequit, ut DEUS velit hoc propter hoc, sed non propter hoc velit hoc. (3) Ad *Thomæ* consensum incongrue provocant. *Thomas* enim agit de ratione volendi per modum finis, hic autem quæstio est de causa impulsiva. Vid. *B. Scherzerus* in System. Theol. Loc XVIII. §. XIII. (4) Minus accurate messis dicitur fieri propter imbres tempestivos. Neq; enim effectus est propter causam physice efficientem, sed causa efficiens potiq est propter effectum e. gr. architectus propter ædificium, imbres tempestivi propter messem copiosam. Vid. *Joh. Mus.* Tr. de Ætern. Elect. decr. c. VIII. §. CCXII. (*Th.*

Th. XVII.

Præter fidem nihil plane ex parte hominis datur, quod sit prædestinationis causa impulsiva. Bona certe renatorum opera, ab æterno præviſa, nullo modo prædestinationis causa impulsiva, nedum causa meritoria, fuerunt.

§. 1. Thesis hæc opponitur *Pontificiis*, utpote qui docent, DEUM præviſis *bonis renatorum operibus* ad eos, in quibus illa prævidit, eligendos *motum* fuiſſe, eaque opera ſpeciatim causas *meritorias* eſſe prædeſtinationis, & *electionem mereri* de *condigno* (quod condignum ſit renatis bene operantibus æternam gloriam deſtinari,) hancque merendi vim ex merito Chriſti ita habere, ut ipſis infinita quædam efficacia *a Chriſto* communicetur. Vid. *Becanus* Tom. I. Opuſcul. 2. de Prædeſtin. Catholicorum c. 3. §. 5. *Johannes a Daventria* in Refut. art. VI. Aug. Confeſſ. *Alphonſus Virveſius* Philippica IV. ſuper Artic. Auguſt. Confeſſ.

§. 2. Nos ad theſin noſtram contra *Pontificios* tuendam primo omnium evincimus, bona renatorum opera non eſſe prædeſtinationis cauſam impulſivam. Id quod commonſtramus (*a*) hocce argumento: *Quicquid factum eſt ex gratia DEI, id non eſt factum intuitu bonorum operum* (quia docente Apoſtolo *Rom. XI*, 6. contradictionem implicat, aliquid ſimul ex gratia & operi-

operibus fieri.) Atqui *æternum prædestinationis decretum factum est ex gratia DEI* (uti Thes. præced. XIII. & in annexo ei paragrapho 3. probatum dedimus.) *Ergo æternum prædestinationis decretum non est factum intuitu bonorum operum* (adeoque bona opera non fuerunt causa impulsiva prædestinationis.) (*b*) Argumentamur hunc in modum: *Quicquid nullo modo actualis salvationis causa impulsiva est, id nec prædestinationis causa impulsiva ullo modo fuit* (quia prædestinatio & actualis salvatio se invicem ut decretum & decreti executio respiciunt, executio autem & decretum, ceu ex superioribus liquet, eandem causam impulsivam habent.) *Atqui bona opera nullo modo actualis salvationis causa impulsiva sunt* (quia ex gratia salvamur *Eph. II, 8.* gratia autem & opus nostrum in ordine ad salvationem ita sibi invicem opponuntur, ut juxta Paulum contradictionem implicet, aliquid simul ex gratia & opere fieri.) *Ergo Bona Opera nullo modo prædestinationis causa impulsiva fuerunt.*

§. 3. Ostenso nunc, quod bona renatorum opera non sint prædestinationis causa impulsiva, evadit porro manifestum, bona opera *non esse* prædestinationis *causam meritoriam*. Omnem enim meritoriam causam, quæ personæ aliquid promerentis meritum est, causam rei promeritæ impulsivam esse, in præcedentibus demonstratum est. * Atque id ipsum dogma, quo bona renatorum opera non mereri prædestina-

tionem, perhibentur, ex eo liquet, quod ex naturalibus prædestinatorum viribo non dependeant, sed actualia *gratiæ* dona sint, nec, quia propter peccatum in carne hærens imperfecta & impura sunt, proportionata sint summo prædestinationis beneficio, nec infinitam merendi virtutem habeant. Certe quam absurdissime docent *Pontificii*, *bonis* renatorum *operibus* efficaciam & *virtutem infinitam* a Christo *communicari*. Aut enim virtus & efficacia infinita per hoc operibus illis a Christo communicatur, quod Christus sua passione ac morte meruit, ut DEUS in renatis bona opera gratioso & speciali suo influxu efficiat: aut eo sensu illud intelligendum, quod Christus eandem numero infinitam merendi vim, quæ suo merito inest, ad nostra opera transferat: aut tandem ita accipiendum, ut Christus infinitam merendi vim a virtute merendi Meritorum Christi distinctam, bonis renatorum operibus conferre dicatur. Ast nihil horum veritate salva asseri potest. Non primum, quia bonis renatorum operibus per hoc, quod ob mortem & passionem Christi speciali & gratioso DEI influxu in homine efficiuntur, vis merendi potius detrahitur, quam conciliatur. Nec alterum potest admitti, quia nulla adparet ratio Meritum Christi & bona renatorum opera ita invicem uniendi, ut ex ea unione eadem numero merendi vis, quæ Merito Christi per se & formaliter competit, ad bona ista opera transferatur. Nec tertium potest concedi,

cedi, quia alias numero plures merendi virtutes infinitæ darentur, quarum una meritis Christi, altera bonis renatorum operibus per se & formaliter conveniret, hoc vero absurdissimum dictu est, ac contradictionem manifestam implicat.

Thes. XVIII.

Postquam in præcedentibus solide evictum est, Gratiam DEI, Meritum Christi, & fidem in Christum finalem prædestinationis causas impulsivas esse, nunc patet luculente, Gratiam DEI esse prædestinationis causam impulsivam *internam*, Meritum Christi autem causam impulsivam externam *principalem*, & finalem in Christum fidem causam impulsivam externam *minus principalem*.

§. 1. Quod Gratia DEI prædestinationis causa impulsiva *interna* sit, eadem docetur ratione, qua superius Loc. VI. de Justif. Thes. XVI. §. 1. ostensum est, Gratiam DEI esse justificationis causam impulsivam internam.

§. 2. Sic & eodem pacto, quo docui supra l. c. Meritum Christi fidemque in Christum esse justificationis causas impulsivas *externas*, comprobari nunc potest, Christi Meritum & finalem in Christum fidem causæ impulsivæ externæ rationem in ordine ad nostri electionem obtinere.

§. 3. Consimili ratione, qua l. c. §. 3. evictum est, Meritum Christi esse justificationis causam impulsivam externam *principalem*, hic demonstratur, Meritum Christi in ordine ad prædestinationem ejusdem causæ impulsivæ rationem habere.

§. 4. Licet causa impulsiva externa *minus principalis* duplici modo possit accipi: uno pro causa impulsiva, quæ proprio quodam valore, sed longe ignobiliori, quam ad effectum a causa efficiente impetrandum requiritur, impellit, ideoque ab alia causa impulsiva elevatur; altero pro causa impulsiva, quæ non ex ulla sua propria vi, bonitate, ac dignitate, sed unice & in solidum ex vi, bonitate ac valore alterius impellit ac movet: hic tamen non priori, sed posteriori modo sumitur. Fidem enim prævisam nulla plane propria dignitate, sed in solidum valore sui objecti, nempe Meriti Christi, voluntatem DEI ad nos prædestinandos movisse, liquidissime constat. Id scilicet ex iisdem patescit rationibus, quibus supra l. c. §. 4. demonstratum est, Fidem nulla prorsus propria dignitate, sed unice objecti sui pretio ac valore voluntatem DEI ad justificandos homines movere.

Th. XIX.

Illud nostrum assertum, quod *fides prædestinationis causa impulsiva minus principalis sit*, a quibusdam Theologis sic enun-

enunciatur: *Fides* est *prædestinationis causa instrumentalis moralis, seu causa instrumentalis moraliter movens.*

§ 1. Nam *causa instrumentalis in genere morum sic dicta idem est*, quod *causa impulsiva minus principalis:* prout ex ipsis Theologis *Musæus* in Dissert. de decr. Elect. cap. II. §. LXXI. & *Scherzerus* in System. Loc XVIII. §. XIII. p. 419. observant.

§. 2. Illi igitur Theologi, qui Fidem prædestinationis causam instrumentalem moraliter moventem vocant, nequaquam innuunt, quod Fides respectu prædestinationis sit causa efficiens moralis, sed additameno illo: *moraliter movens*, significatum eunt, causæ instrumentalis terminum non accipi hic pro instrumento, quod influxum physicum in effectus productionem præbet, sed sumi pro causa aliqua minus principali, quæ fere per modum causæ moraliter moventis in effectum influit.

Th. XX.

Illud ipsum assertum, quo fides prædestinationis causa impulsiva minus principalis esse dicitur, Theologi ita efferre solent: *Non* PROPTER *fidem, sed* PER *fidem prædestinati sumus.*

§. 1. Nam vocula *PROPTER*, ubi causis impulsivis tribuitur, causam impulsivam externam

nam denotat, particula autem PER latius patet, & competit quoq; causæ impulsivæ externæ minus principali. Vid. *Muf.* Tr. de Ætern. Elect. Decr. cap. VI. §. CLXV.

§. 2. Hinc *B. Himmelius* in Syntagm. Disp. XI. §. 39. inquit: *Eligimur non ad fidem, ut terminum, non propter fidem, ut meritum, sed per fidem tanquam medium, vel in fide, tanquam parte ordinis prædestinatorii.*

Th. XXI.

Licet vero fides in Christum prædestinationis causa impulsiva minus principalis recte dicatur, eam tamen absolute & *sine additamento* prædestinationis causam impulsivam adpellare veremur.

§. 1. *Causæ* enim *impulsivæ terminus, ita nude & sine additamento acceptus* (in genere causæ impulsivæ externæ) *ex usu loquendi stat pro significatu famosiori, notatque id, quod suo merito, vel sua quadam bonitate, dignitate & perfectione causam efficientem ad agendum movet: Quod cum fidei non conveniat, nobis etiam religio sit, eam ita absolute & simpliciter electionis causam impulsivam dicere,* Verba sunt *B. Joh. Muf.* in Tr. de Æt. El. decr. §. LXII.

§. 2. Constat igitur ex dictis, nos, dum fidem prædestinationis causam impulsivam minus principalem vocamus, haud contradicere iis nostratium partium Doctoribus, qui fidem prædestinationis causam impulsivam esse inficiantur.

Que-

Quemadmodum enim illi Doctores causæ impulsivæ terminum absolute positum non nisi pro causa impulsiva (externa) principali accipiunt; ita & nos fidem prædestinationis causam impulsivam (externam) principalem esse negamus, atq; adeo æque ac illi electionis causam impulsivam simpliciter & absolute dicere veremur.

Th. XXII.

Cæterum stantibus iis nostris thesibus, quæ Meritum Christi prædestinationis causam externam principalem, Fidem vero causam impulsivam minus principalem esse asserunt, cadat oportet *absolutum* prædestinationis decretum, quod *Reformati* omni conatu stabilitum eunt. Vti enim *Reformati* decretum DEI absolutum hic sumunt in oppositione & respectu ad causam impulsivam extra Deum inveniendam, atq; adeo decreti divini absoluti appellatione intelligunt decretum, cujo nulla extra Deum causa impulsiva datur: ita *Lutherani*, decretum prædestinat. absolutum esse negantes, vocē decreti divini absoluti eodem illo modo, minime vero in oppositione ad conditionem aliquam adhuc implendam accipiunt.

§. 1. Ex Reformatis *Wendelinus* in Christ. Theol. lib. I. c. III. th. 12. n. 5. quærenti, an decretum electionis sit absolutum, vel non absolutum? respon-

respondet, diverso respectu esse absolutum, & non absolutum: *Absolutum*, inquiens, *est respectu causæ impellentis in homine existentis, vel a beneplacito DEI diversæ: hujusmodi enim causa fuit nulla &c. Non absolutum est respectu mediorum ad salutem obtinendam per ipsum electionis decretum destinatorum. Inter hæc media principem locum obtinent Christi meritum & fides, qua Christi meritum nobis applicamus.*

§. 2. Uti vero *Lutherani* decretum prædestinationis absolutum esse inficiantur, si decretum DEI absolutum dicatur ad excludendum respectum causæ impulsivæ extra DEUM inveniendæ, cujus intuitu ab æterno factum sit: ita absolutum esse concedunt, si voluntas DEI absoluta in oppositione ad conditionem aliquam adhuc implendam sumatur. Cum enim decretum illud fieret, finalis fides, quæ tanquam conditio quædam ex parte personæ eligendæ requiritur, in æterna DEI præscientia considerata jam fuit ut impleta & in actu constituta. Ex quo adparet, minus recte *D. Johannem Simonis*, Theologiæ in Acad. Francof. ad Oder. Professorem Reformatum, controversiæ statum formare, quando in *fasciculo Dispp. & quidem in Disp. de Prædest. & Reprob. sect. 2. subs. 2.* ait, decretum absolutum *Reformatis* eo sensu, quod *a conditione non sit suspensum*, absolutum dici. In eo enim, ut ex dictis patet, Lutherani Doctores Reformatis minime reluctantur. Constat & ex dictis, falli *D. Samu-*

Samuelem Andreæ, quando in sua *de decreto absoluto* disputatione anno 1679. Marpurgi habita §. 50. asserit, quod electio juxta *Lutheranorum* sententiam *ex vi & virtute propria hominis suspendatur*. Electio enim, cum secundum *Lutheranorum* doctrinam facta sit intuitu finalis fidei, quæ in æterna DEI præscientia considerata fuit ut impleta & in actu constituta, juxta Doctorum illorum sententiam non suspenditur ex aliqua conditione, seu facta non est sub conditione aliqua adhuc implenda. Quanquam nec *Lutherani* usquam fidem appellent vim & virtutem propriam hominis, sed contrarium ubivis profiteantur, fidem unice a DEO per supernaturalem ejus operationem dependere contendentes.

Th. XXIII.

Objectum prædestinationis seu electionis sunt homines peccatores, sed finaliter credentes.

§. 1. Sensus theseos huc redit: *Ea, de qua hic sermo est, prædestinatione prædestinati sunt, soli & omnes homines peccatores, qui finaliter credunt.*

§. 2. Asserto eo, quo *soli* homines prædestinati dicuntur, excludimus *angelos*, qui, licet ab æterno, & antequam essent, ad beatitudinem in tempore impertiendam destinati, & velut pauci ex pluribus seu integro cœtu spirituum electi fuerint, quibus beatitudo, cujus omnes poterant, fieri

fieri participes, in tempore conferretur, non tamen ea, de qua hic sermo est, prædestinatione seu electione prædestinati seu electi sunt. Hic enim de ea, quæ in Christo seu intuitu Meriti Christi facta est, prædestinatione & electione agimus: Ast angeli non sunt electi in Christo, quia Christi Meritum ad homines, non vero ad angelos pertinet.

§. 3. Non autem nisi homines *peccatores* prædestinati sunt, h.e. homines tantum, postquam DEUS eos ut peccatores prævidit, fuere electi. Namque Christi Meritum, cujus intuitu DEUS nos prædestinavit, ad homines peccatores, non autem ad homines, præcise ut homines, aut ut in integritatis statu constitutos pertinet. Sic igitur & hic adversamur Doctoribus *Reformatis Supralapsariis*, qui decretum prædestinationis præviso peccato ordine prius esse statuunt.

§. 4. Nec vero alii homines peccatores, quam finaliter credentes prædestinati sunt. Nam (*a*) prædestinatio facta est intuitu Meriti Christi, ut finali fide ab his vel illis hominibus apprehendendi. Hinc vero manifestum est, solos homines, Meritum Christi finali fide apprehendentes, prædestinatos esse. (*b*) Si soli homines finaliter credentes in tempore salvantur, sequitur omnino solos illos homines electos seu prædestinatos esse: Alias enim quidam electi damnarentur.

§. 5. *Omnes* autem homines peccatores fina-

finaliter credentes prædestinati sunt. Sicut enim omnes illi homines salvantur, ita omnes illi prædestinati seu electi sunt. Nec enim dici potest, DEUM in tempore ulli homini conferre, quod non ab æterno decreverit, se aliquando ei collaturum.

Th. XXIV.

Forma (seu ratio formalis) prædestinationis consistit in certorum nominatim hominum efficaci, & secundum omnium circumstantiarum prævisionem ab æterno facta destinatione ad salutem æternam.

Th. XXV.

Finis prædestinationis [h. e. id, propter quod efficiendum aut consequendum facta est prædestinatio] est vel ex parte electorum, vel ex parte DEI eligentis. Ex parte electorum est ipsa *Salus æterna*; Ex parte DEI eligentis est gratiæ divinæ gloria.

§. 1. Quando enim fideles *Matth. XXV. 4. regnum* sibi *ab exordi omundi paratum* occupare jubentur, hoc ipso significatur, fidelibus regnum æterno prædestinationis decreto adeo destinatum esse, ut aliquando illud consequerentur.

§. 2. Et quando *Eph. I, 4. 5. 6.* Apostolus docet, DEUM non elegisse & prædesti-

nasse εἰς ἔπαινον δόξης τῆς χάριτος αὐτῦ (in laudem gloriæ gratiæ suæ,) subinnuit sane, prædestinationem seu electionem propterea factam esse, ut gratiæ divinæ gloria deprædicetur.

Th. XXVI.

Tres potissimum prædestinationis seu electionis affectiones enumerantur: 1.) ejus *certitudo*, 2.) *particularitas*, 3.) *immutabilitas*.

Th. XXVII.

Non intelligimus hic certitudinem objectivam [quæ in eo consistit, quod electio nostri revera & citra mentis nostræ operationem facta est,] sed *subjectivam* [quæ in eo posita est, quod homo credens & prædestinatus de sui electione etiam citra specialem DEI revelationem ante ultimum vitæ articulum certus esse possit, ut certum & immotum Verbo DEI innixum assensum præbere queat huic propositioni: *Ego sum electus & prædestinatus.*] Atque hæc certitudo, quam homo credens ante ultimum vitæ suæ articulum de sua electione habere potest, non est absoluta, sed *hypothetica*, & sub conditione.

§. 1. Dico in thesi, hominem *etiam citra specialem DEI revelationem* de sua electione certum esse posse: Nec enim quæstio hic est de eo: utrum

utrum illi, quibus de salute sibi certo conferenda revelatio divina specialis obtigit, de sua electione certi esse possint? Nemo enim negaverit, Paulum 2. *Tim. IV, 8.* inquientem, *sibi coronam justitiæ repositam esse*, & latronem in cruce, ea Christi promissione: *Hodie mecum eris in Paradiso*, in fide confirmatum, ex speciali, qua nitebantur, divina revelatione de electione sui omnino certos fuisse.

§. 2. Loquor porro de certitudine, quam homo de electione sua *ante ultimum vitæ* suæ *articulum* habet. Certitudo enim, quæ hactenus saltem hypothetica fuit, in ultimo vitæ articulo in absolutam transit. Tunc enim homo credens in se deprehendit finalem fidem, cujus intuitu absolute, ac sine conditione ulla adhuc implenda electio facta est.

§. 3. Facili autem negotio hypothetica electionis certitudo demonstrari potest. Prædestinatio quippe seu electio facta est intuitu fidei ad finem perseverantis: Vti autem homo credens de sua perseverantia certus esse potest non absolute, sed hypothetice ac sub conditione, si scil. media perseverantiæ constanter usurpet, DEI assistentiam devotis precibus expetat, & peccata proæretica, quibus fides finaliter excutitur, devitet, quæ omnia per eam, qua jam pollet, gratiam facere utique potest, ita etiam de sui electione certitudinem, non quidem absolutam, sed hypotheticam, habere potest.

§. 4. Liquet ex jam dictis, electionis certi-

titudinem recte vocari aliquam ejus *affectionem*, h. e. attributum, quod prædestinationi seu electioni in essentia sua constitutæ supervenit (extrinsece,) & de ea per aliquam ipsius causam (nempe impulsivam externam minus principalem) demonstratur.

§. 5. Hanc prædestinationis affectionem asserimus contra *Pontificios*, utpote qui ut in hac vita de peccatorum remissione ipsaque æterna gloria certitudinem haberi posse inficiantur, ita idem de electione ad gloriam propugnant. Vid. *Bellarminus* lib. III. de Justif. c. XII *Becanus* Part. II. Theol. Schol. tr. IV. c. 2. q. 7. *Joh. Baptista Gonet* Clyp. Theol. Thomist. Tom. II. tr. 5. Disp. 4. art. 1.

Th. XXVIII.

Electionis *particularitas* (in eo posita quod non omnes homines sint electi & & prædestinati) non tantum ex ejus causa impulsiva externa minus principali & objecto, verum etiam ex ipsa vi vocis: *electionis*, oppido patescit.

§. 1. Electio scilicet facta est intuitu finalis fidei, ut ipsius objectum non nisi homines finaliter credentes sint: Jam vero uti finalis fides non est omnium hominum, ita nec electio seu prædestinatio ad omnes homines terminata est. Eandem electionis particularitatem ipsa vis vocis *electionis*, ceu monuimus in thesi, commonstrat. Vox enim electionis vi præpositionis E vel Ex, ex qua composita est, h. l. denotat decretum, quo Deus ab æterno

terno quosdam prætulit aliis, & aliquos præ aliis ad æternam vitam destinavit.

§. 2. Disputatum hic olim fuit adversus *Sam. Huberum*, Helvetium, qui, cum *Reformatorum* de absoluto electionis decreto doctrinam vehementer oppugnaret, aliam de electionis universalitate sententiam inprimis in Witteberg. academia, in qua Doctoris gradum, & Professoris Theologi munus adeptus erat, propugnavit.

§. 3. Certe *Huberiana* assertio inde defendi nequit, quod prædestinationis seu electionis decretum, latius acceptum, gradus quosdam universales, seu actus aliquos divinos, qui ad omnes homines spectant, nempe voluntatem DEI antecedentem, qua Deus hominum salutem vult, decretum æternum de mittendo Filio, voluntatem in omnibus non resistentibus malitiose fidem accendendi, in suo conceptu includat. Nec enim actus illi universales absolvunt vel denominant prædestinationem seu electionem etiam latius acceptã, sed formale & ultimum quasi complementum prædestinationis & electionis, etiam in conceptu latiori sumtæ, est decretum particulare, quo Deus iis, quos ut finaliter credentes distincte & individuo cognovit, salutem æternam in tempore impertiri constituit. Neq; vero *Huberianæ* assertioni patrocinatur *Form. Concordiæ*, quando art. XI. n. 6. ait, *Christum esse illum librum vitæ, in quo omnes inscripti & electi sunt, qui salutem æternam consequuntur.* Hic enim *Formula Concordiæ* con-

trarium potius, nempe non omnes electos esse, edocet, cum saltem, *omnes* eos, *qui salutem æternam consequuntur*, in Christo electos esse asserat, jam vero quidam duntaxat, non autem omnes homines æterna salute potiantur.

Th. XXIX.

Immutabilitas electionis (in eo consistens, quod is, qui semel electus seu prædestinatus est, non possit fieri reprobus seu non electus) non est absoluta, sed hypothetica.

§. 1 Immutabilitas ipsa sic demonstratur: Cum omnes & soli illi homines, quos ut finaliter in Christum credituros DEUS certo præcognovit, electi sint seu prædestinati, sane DEUS, si mutaret electionis decretum h. e. ex electo faceret reprobum,) damnaret finaliter credentem, nec non Voluntatem suam, etsi objectum non mutetur, mutaret: Ast vero aliquem hominem finaliter credentem damnari Verbo divino e diametro adversatur, & DEUM suam mutare voluntatem, ubi objectum non mutatur, cum omnimoda DEI immutabilitate pugnat.

§. 2. Non autem immutabilitas illa per hoc destruitur, quod aliquando in Scripturis, v. g. *Exod. XXXII, 32. 33. Rom. IX, 3. Psal. LXIX, 29. Apoc. III, 5.* mentio fit deletionis e libro vitæ. Id enim (ut succincte *B. Bajerus* Theol. Pos. Part. III. c.

III. c. XII. §. X. not. (*b*) observat) *partim conditionate dictum est, ubi nihil ponitur absolute; partim negationem inscriptionis simplicem importat, ejusque manifestationem; partim negative expressum, certitudinem aut immutabilitatem ipsam significat.* Scilicet existimat *Bajerus*, quod, quando Moses *Exod. XXXII, 32. 33.* DEUM ita alloquitur: *Si non auferes peccatum illorum, dele nunc me de libro, quem scripsisti*, sensus verborum illorum huc redeat: Remitte populo Israelitico peccata, & me potius, si tibi placuerit & possibile sit, ex libro vitæ æternæ dele. Atque hunc fere in modum loqui existimat Paulum, qui *Rom. IX, 3.* ait: *Optarim esse anathema a Christo pro fratribus meis.* Arbitratur quippe, hanc esse Apostoli mentem: *Si possibile esset, ut per meam perditionem Judæi salvi fierent, eam non detrectarem.* Statuit porro *Bajerus*, quod, quando David *Ps. LXIX, 30.* ait: *Deleantur de libro viventium*, hic verborum sensus sit: Non sint scripti in libro viventium, sed æternæ potius damnationi sint adjudicati, atque ex eventu innotescat, eos, licet externam sanctitatis speciem præ se tulerint, nunquam fuisse libro vitæ inscriptos. Putat tandem *Bajerus*, DEUM *Apoc. III, 5.* ubi dicit: *Qui vicerit, vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ*, nil aliud significare, quam quod DEUS ei juxta æternum & immutabile suum electionis decretum certo daturus sit vitam æternam. Quanquam *Hieronymus*

mus qu. IX. ad *Algasiam* Mosis verba non nisi de *libro vitæ temporalis* (h. e. de catalogo hominum in his terris viventium, quos DEUS ut viventes vitam hanc temporalem cognoscit) accipiat. Quæ quidem explicatio convenit & cum antegressa illa divina comminatione: *Dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos*, & cum subsecuta hac DEI responsione: *Qui peccaverit in me, illum delebo de libro meo.*

§. 3. Cæterum electionis immutabilitatem non *absolutam*, sed *hypotheticam* esse, liquidissime constat. Illud enim dicitur absolute immutabile, quod nullo in casu, & nullo in eventu se potest vel potuit aliter habere: at vero decretum, quo hic vel ille homo electus seu prædestinatus est, in aliquo eventu se potuit aliter habere, cum illi, qui prædestinati sunt, potuerint non credere finaliter, adeoque potuerint non prædestinari, & sic esse reprobi seu non electi. Atque id dicitur immutabile immutabilitate hypothetica, quod se non potest aliter habere, ex aliquo supposito, in se autem contingens est: Jam vero æternum electionis decretum, licet in se sit contingens, nunc tamen posito, quod DEUS hos vel illos homines ut finaliter credituros certo ab æterno præviderit, se non potest aliter habere, ut DEUS eos, quos ab æterno prædestinavit (seu ad vitam æternam ordinavit,) nunc velit damnare, & homines ab æterno prædestinati fiant reprobi.

Thes.

Th. XXX.

Defuncti jam tractatu de prædestinatione, uti hæc juxta stylum Scripturæ præcise æternam hominum ad salutem ordinationem denotat, de *Reprobatione* nunc exponimus, quia reprobatio prædestinationi isthoc modo acceptæ opponitur, oppositа autem juxta se posita se mutuo illustrant.

Thes. XXXI.

Certorum nominatim hominum ad æternam mortem abjectio, ut ab æterno revera facta (seu reprobatio ut revera facta) probatur inprimis ex decretorum divinorum horumque executionis convenientia, quæ (quantum ad præsens spectat) in eo consistit, quod quicquid DEUS in tempore facit, illud tunc se facturum ab æterno decreverit, & quo modo Deus in tempore aliquid exequitur, eo modo illud tunc se executurum itidem ab æterno decreverit.

Sicut igitur Deus certos nominatim & in individuo homines actu in tempore damnat; ita neminem actu in tempore damnat in individuo, de quo ab æterno non constituerit in individuo, se eum aliquando damnaturum.

Th. XXXII.

Causa *efficiens* physica reprobationis (h. e. agens, quod actione illa, quæ reprobatio dicitur, immediate agit, seu ipse reprobans) est Deus Trinunus, isq; solus.

§. 1. *DEUM* ipsum reprobasse homines impios, inde patet, quod DEUS actu certos in individuo homines damnet, hæc vero executio æternum de certis in individuo hominibus in tempore damnandis decretum præsupponat.

§. 2. Et quidem DEUM *Trinunum* reprobasse impios, ex eo luculente adparet, quod, sicut prædestinatio est decretum salvandi, ita reprobatio vi oppositionis sit decretum damnandi, atque adeo actus aliquis DEI internus, actus vero divini interni sint indivisi.

§. 3. *Solum* DEUM Trinunum reprobasse impios, exinde liquet, quod decreta æterna, ad quæ reprobatio utique pertinet, soli DEO Trinuni competant.

Th. XXXIII.

Causa aliqua IMPULSIVA reprobationis est ira DEI adversus peccata, seu justitia DEI vindicativa (h. e. justitia, qua inclinatur DEUS ad vindicandam legis suæ Violationem.

Thesis nostra patescit oppido ex Systematis hujus Parte I. Loc. IIX. th. XX. §. 1. ubi ostensum est, justitiam DEI vindicativam esse causam impulsivam actualis damnationis. Quicquid enim est causa impulsiva decreti, quod executioni respondet: atqui reprobatio ad damnationem actualem, ut decretum ad executionem, sese habet.

Thes.

Th. XXXIV.

Præter iram DEI causa impulsiva reprobationis secundum esse suum *formale* spectatæ, & quidem non tantum quoad actum affirmativum (h.e. vuluntatem damnandi,) sed & quoad *actum negativum* (h.e. voluntatem prætereundi, seu non dandi vitam, non miserendi) consideratæ, nec solum quoad actum affirmativum absolute (h.e. pro Voluntate, qua DEUS quosdam homines damnare decrevit) verum etiam *comparate* (i.e. pro actu, quo DEUS ab æterno decrevit hos præ illis damnare) acceptum, fuerunt peccata hominum non expiata, seu peccata hominum, quæ & quatenus cum finali incredulitate conjunguntur: Maxime omnium vero finalis incredulitas acquisita (tum positiva, tum negativa) reprobationis causa impulsiva fuit.

§. 1. Loquor de peccatis *non expiatis*. Licet enim omnia peccata, quia juris divini violationem, atque adeo offensam & injuriam infinitæ Majestati illatam important, æterna damnatione de jure digna sint, non tamen omnia, sed ea duntaxat, quæ per fidem in Christum non expiantur, æternam damnationem actu inferunt, cum

cum peccatoribus in Christum credentibus peccata pp. Christi satisfactionem, fide apprehensam, condonentur. Uti igitur peccata non præcise spectata, sed saltem ut non expiata, seu peccata, quæ & quatenus cum finali incredulitate conjunguntur ad infligendam damnationis pœnam: DEUM actu commovent, sic ea tantum peccata ob decretorum divinorum horumque executionis convenientiam reprobationis causa impulsiva fuerunt.

§. 2. *Affero* autem de finali incredulitate, quod *maxime omnium* reprobationis causa impulsiva sit. Quodcunque enim peccatum causa est, ut reliqua peccata non remittantur, sed actu ipso damnationem adferant, atque adeo etiam reprobationis causa impulsiva sint, illud maxime omnium est reprobationis causa impulsiva. At vero ratio, cur originale & peccata actualia non remittantur, sed ad damnationem imputentur, est finalis incredulitas, quæ, si abesset, peccata reliqua omnia, tam originale quam actualia, actu non damnarent.

§. 3. Et quidem de *acquisita* infidelitate asserimus, quod *maxime* sit reprobationis causa impulsiva. Cum enim ratione *naturalis*, ut *Reformatis* dicitur, *infidelitatis* (h. e. ratione nativæ cœcitatis, dubitationis & diffidentiæ in rebus divinis, unicæ ortæ ex humanæ naturæ corruptione) omnes ab Adamo descendentes homines pares sint, peccatum illud, quod maxime reprobationis causa impulsiva est, non in naturali, sed in acquisita, eaq; finali incredulitate constitui potest.

§. 4. Cæterum de infidelitate acquisita, cum *positiva* (quæ in voluntaria contumacia adver-

versꝰ Evangel. per prædicationem actualem propositum, consistit) tum *negativa* (quæ posita est in carentia fidei, quam ex mediis in Ecclesia propositis omnes per DEI gratiam habere poterant & debebant, culpa tamen hominum non habent,) in thesi nostra assero, quod reprobationis impulsiva causa sit. Cum enim utraq; infidelitas causa sit, cur Meritum Christi aliquibus ad peccatorum reliquorum expiationem non applicetur, utraq; etiam causa est, cur aliqui in tempore damnentur, & ab æterno sint reprobati.

§ 5. Loquor in thesi de causa impulsiva *reprobationis* secundum esse suum *formale* consideratæ, h.e. de causa impulsiva reprobationis, spectatæ quoad liberam essentiæ ac voluntatis divinæ ad certos homines, tanqvam ad damnandos, terminationem: Nam si qvis asseruerit, peccata esse causam impulsivam reprobationis, cõsideratæ quoad esse suum absolutum (quod est essentia & voluntas divina præcise & in se, absq; terminatione libera, & citra objecti certi connotationem spectata,) idem hoc foret, ac si diceret, Deum esse seu existere, divinam naturam esse propter peccata, hominumq; peccata esse causam divinæ essentiæ. Conferantur, quæ supra §. 4. ad Thes. XV. disseruimus.

§. 6. Singulari studio loqvor in thesi de causis impulsivis reprobationis tum quoad actum *negativum*, tum quoad actum *comparate* acceptum spectatæ. Namqve ex *Reformatis*, contra quos hic disputamus, multi contendunt, quod, licet actus affirmativi, quem reprobatio importat, causa sit partim in DEI beneplacito, par-

partim etiam in peccatis reproborum, tam originali, quam actualibus, actus tamen negativi causa sit sola Patris εὐδοκία. Vid. Theologi *Hasſiaci* sive *Caſſellani* in judicio de primo Remonſtrantium articulo, Synodo Dordracenæ exhibito, pag. 535. *Wendelinus* porro in Syſtem. Maj. Lib. I. c. IV. th. 4. in Expl. n. 4. diſerte profitetur, *impulſivam cauſam reprobationis eſſe peccatum, ſi de reprobationis cauſa abſolute quæratur, ſin reſpective & comparate*, non eſſe niſi DEI εὐδοκίαν, eorumque Reformatorum Doctorum, qui reprobationis cauſam peccatum eſſe prorſus negant, *ſententiam* eſſe *ſingularem, in Eccleſiis Reformatis minime receptam.*

§. 7. Peccata vero non expiata, maximeque omnium incredulitatem finalem, reprobationis cum quoad poſitivum, quem includit, tum quoad negativum actum, & quidem quoad actum poſitivum tam abſolute, quam comparate conſideratum, cauſam impulſivam eſſe, primum hocce ab executione deſumto argumento evincimus: *Quicquid eſt cauſa, cur DEUS aliquos prætereat, ac damnet, itemque hos potius, quam illos damnet, illud etiam cauſa eſt, cur DEUS aliquos præterire, æternisque animæ ac corporis ſupplicüs afficere, & quidem hos potius, quam illos damnare decreverit. Atqui peccata hominum ut non expiata, maximeque omnium finalis incredulitas cauſa ſunt, cur DEUS aliquos prætereat ac damnet, & quidem hos potius, quam illos damnet.*

Ergo

Ergo peccata hominum ut non expiata maximeque omnium finalis incredulitas, causa sunt, cur DEUS aliquos præterire, æternisque animæ ac corporis suppliciis afficere, & quidem hos potius, quam illos damnare, decreverit. Minor propositio ex Theologico *de æterna damnatione* Loco superius tradito patescit. Major autem eo nititur fundamento, quod, (uti in doctrina de prædestinatione ex instituto ostensum est:) decreti & executionis una & eadem sit causa impulsiva, reprobatio vero æterna, & actualis damnatio se invicem ut decretum & decreti executio respiciant.

§. 8. Ad demonstrandam eandem reprobationis causam impulsivam secundo argumentamur hunc in modum: *Si DEUS omnes in peccata prolapsos homines vult salvos fieri, non vult ullos perire, & Filium suum omnibus hominibus Redemptorem misit, sequitur, quod salva veritate asseri nequeat, DEUM aliquos homines præterire, & hos potius, quam illos damnare ex absoluto beneplacito, ac sine ullo alicujus peculiaris in aliquibus hominibus deprehensæ causæ intuitu decrevisse.* Antecedens patet ex superioribus Locis Theologicis de Gratia DEI & Christo, ubi de universalitate Gratiæ DEI & Meriti Christi egimus. Consequentia exinde clara est, quod repugnet, DEUM omnes in peccata prolapsos homines velle salvos fieri, non velle ullos perire, Filium suum omnibus hominibus Redemptorem

ptorem misisse, & tamen ex absoluto beneplacito, ac sine ullo peculiaris alicujus in aliquibus hominibus inveniendæ causæ intuitu decrevisse aliquos homines præterire, & hos potius, quam illos damnare. Quod si igitur aliqua in hominibus causa deprehenditur, cur DEUS aliquos homines præterire, & hos potius, quam illos damnare decreverit, sane illa causa non potest esse alia, quam peccata non expiata, maxime vero finalis incredulitas.

§. 9. Thesin nostram hucusque demonstratam oppositimus Reformatis non solum *Supralapsariis*, sed & omnibus *Infra lapsariis*, atque ex his speciatim *Wendelino*. Supralapsarii enim cum decretum reprobationis prævisо peccato prius faciant, peccatum reprobationis ipsius causam nullo modo ac respectu esse contendunt: Quam opinionem (ut in præcedente §. IV. observavimus,) ipse Wendelinus vocat *sententiam singularem*, *& in ecclesiis Reformatis non receptam*. Infralapsarii vero aliqui (e. g. *Hasiaci*, & *Wendelinus* ll. citatis) decretum reprobationis prævisо peccato posterius facientes, reprobationis quoad affirmativum, non autem quoad negativum actum, & quidem quoad actum affirmativum non comparate, sed absolute consideratum spectatæ causam esse peccata statuunt. Speciatim *Wendelino* in thesi nostra per hoc adversamur, quod incredulitatem *acquisitam* reprobationis causam esse doceat. Is quippe, etsi incredu-

credulitatem naturalem, si de reprobationis causa impulsiva absolute quæratur, reprobationis causam impulsivam esse concedat, acquisitam tamen incredulitatem reprobationis causam impulsivam nullo modo ac respectu esse existimat. Rationes, queis *Wendelinus* hanc suam sententiam stabilitum ivit, vide explosas apud *Musæum* in Colleg. Anti-Wendel. Disp. IIX. Qu. II. §. 14. seqq.

Th. XXXV.

Quod si igitur incredulitas acquisita eaque finalis, est causa impulsiva reprobationis non solum quoad actum affirmativum, sed & quoad actum negativum, nec tantum quoad actum affirmativum absolute spectatum, verum etiam quoad illum actum comparate consideratum, cadat oportet sententia *Reformatorum* tam *Supralapsariorum*, qui reprobationis decretum prorsus & omni respectu absolutum esse docent, quam *Infralapsariorum*, quippe qui reprobationem tam quoad negativum actum, quam quoad actum affirmativum comparate spectatum, pro absoluto decreto habent. Vti enim *Reformati* hic quoque decretum DEI absolutum sumunt in oppositione & respectu ad causam impul-

sivam extra DEUM inveniendam: Ita *Lutherani* vocem decreti divini absoluti eodem illo modo accipiunt, quando decretum reprobationis neutro modo absolutum esse statuunt.

Th. XXXVI.

Objectum reprobationis sunt homines peccatores, sed finaliter increduli.

§. 1. Sensus theseos huc redit: *Ea, de qua hic sermo est, reprobatione reprobati sunt soli & omnes homines peccatores, qui finaliter increduli sunt.*

§. 2. Asserto eo, quo *soli homines* reprobati dicuntur, excludimus hic angelos malos, qui licet æterno DEI decreto æternæ damnationi adjudicati sint, non tamen ea, de qua hic sermo est, reprobatione reprobati sunt. Vti enim in præcedentibus de ea, quæ intuitu finalis in Christum fidei facta est, prædestinatione egimus, ita hoc loco vi oppositionis solum de ea differimus reprobatione, quæ facta est intuitu incredulitatis acquisitæ, tum privativæ (quæ posita est carentia fidei in Christum adesse debitæ) tum positivæ (quæ consistit in voluntaria contumacia adversus Evangelium, per prædicationem actualem propositum): Ast ejusmodi incredulitas non cadit in angelos malos, cum nec Salvator, nec Evangelium ad eos pertineat.

§. 3.

§. 3. Non autem nisi homines *peccatores* reprobati sunt, h. e. homines tantum, postquam DEUS eos ut peccatores prævidit, fuere reprobati: Reprobatio enim peccatorum non expiatorum intuitu facta est. Sic igitur & hic adversamur Doctoribus *Reformatis supralapsariis*, qui, cum decretum reprobationis præviso peccato ordine prius faciant, decreti istius homines condendos ad imaginem DEI, non ut peccatores prævisos, objectum esse existimant.

§. 4. Nec vero alii homines peccatores, quam *finaliter increduli*, reprobati sunt. Nam (1.) homines quoque electi sunt peccatores. Quod si igitur homines præcise ut peccatores reprobationis objectum adæqvatum essent, etiam illi, qui electi sunt, forent reprobi. (2.) Reprobatio facta est intuitu peccatorum non expiatorum: Atqui sola incredulitas finalis causa est, cur reliqua peccata non expientur. Ergo soli homines peccatores finaliter increduli reprobati sunt.

§. 5. Constat igitur liquido, Wendelinum *adæquatum* reprobationis objectum (h. e. objectum illud, quod sub suo ambitu complectitur omnes reprobos, nec sub se continet quenquam, qui non est reprobatus) haud assignare, quando Lib. I. Christ. Theol. c. IV. expl. th. V. dixit, *reprobationis objectum esse homines in conspectu DEI lapsos, & per peccatum corruptos*. Cum enim electi etiam sint peccatores, homo pecca-

tor non solos reprobos, sed etiam electos sub sua latitudine comprehendit. Quod si autem *Wendelinus* adæquatum reprobationis objectum non declaravit, sane de reprobationis objecto non satis distincte, nec accurate disseruit. Ut enim actus alicujus objectum distincte & accurate proponatur, objectum ejus *adæquatum* determinare oportet.

Th. XXXVII.

Forma (seu ratio formalis) reprobationis consistit in certorum nominatim hominum efficaci, & secundum omnium circumstantiarum prævisionem ab æterno facta destinatione ad damnationem æternam, non autem ad damnationis causam.

§. 1. Cum enim sententia illa, quæ DEUM aliquos homines æterno suo decreto ad damnationis causam, seu ad peccatum destinasse ait, DEUM per se ac directe peccati causam faciat, asserendum minime est, quod reprobationis forma efficacem hominum quorundam ad damnationis causam destinationem includat.

§. 2. Nobis autem hic adversantur *Reformati Antelapsarii*, qui formalem rationem reprobationis, seu (ut ipsi loquuntur) prædestinationis ad mortem, constituunt in decreto DEI æterno, quo aliquos homines ad damnationem, & damnationis causam, peccatum scilicet, DEUS destinaverit. Vid. *Beza* Vol. I, Oper. pag. 419.

Pisca-

Piscator in Not. ad Tract. Vorstii de DEO. *Zanchius* Lib. V. de nat. DEI c. II. p. 620.

Th. XXXVIII.

Finis reprobationis est cum peccatorum non expiatorum punitio, tum justitiæ divinæ ultricis gloria.

Th. XXXIX.

Duæ potissimum reprobationis affectiones enumerantur: (1) ejus *particularitas* (in eo posita, quod non omnes homines peccatores sint reprobi. (2) *immutabilitas* (in eo consistens, quod is, qui semel reprobatus est, non possit fieri electus, seu non reprobus.) Atque hæc immutabilitas non est absoluta, sed hypothetica.

§. 1. *Particularitas* reprobationis ex causa impulsiva externa, & objecto adæquato illius divini decreti patescit. Reprobatio enim facta est intuitu finalis incredulitatis, ut ipsius objectum adæquatum constituant homines peccatores finaliter increduli: Jam vero uti finalis incredulitas non est omnium hominum peccatorum, nec omnes homines peccatores sunt finaliter increduli, ita nec reprobatio ad omnes homines peccatores terminatur.

§. 2. *Immutabilitas* reprobationis hunc in modum demonstratur: Cum omnes & soli illi homines, quos ut finaliter incredulos DEUS

certo præcognovit, reprobati sint, sane DEUS, si mutaret decretum reprobationis (h. e. ex reprobo faceret electum, salvum faceret peccatorem finaliter incredulum, nec non voluntatem suam, etsi objectum non sit mutatum, mutaret: Ast vero quicunque dicit, aliquem peccatorem finaliter incredulum salvum fieri, is Verbo divino a diametro se opponit, & omnimodam DEI immutabilitatem impugnat.

§. 3. Cæterum reprobationis immutabilitatem non *absolutam*, sed *hypotheticam* esse, luculente patet. Illud enim dicitur absolute immutabile, quod nullo in casu & in nullo eventu se potest vel potuit aliter habere: at vero decretum, quo hic vel ille homo reprobatus est, in aliquo eventu se potuit aliter habere (seu potuit non fieri,) cum illi, qui reprobati sunt, potuerint credere finaliter, adeoque potuerint non reprobari, & sic esse electi seu non reprobi. Atque illud dicitur immutabile immutabilitate hypothetica, quod se non potest aliter habere ex aliquo supposito, in se autem contingens est: Jam vero æternum reprobationis decretum, licet in se sit contingens, nunc tamen posito, quod DEUS hos vel illos homines ut peccatores finaliter incredulos certo ab æterno præviderit, se non potest aliter habere, ut DEUS eos, quos ab æterno reprobavit, nunc velit ac decernat salvos facere, & homines ab æterno reprobati nunc fiant electi.

LOCUS

LOCUS XV.
DE
ECCLESIA.

Thes. I.

POst locum de Prædestinatione ideo statim agitur de *ecclesia*, quia homines illi, quos DEUS juxta æternum prædestinationis (in latiori significatu acceptæ) decretum fide & gratia sua donat, collective & junctim sumti dicuntur ecclesia, & quidem ratione vitæ præsentis *ecclesia militans*, ratione vitæ alterius *ecclesia triumphans*.

Th. II.

Ecclesiæ nomen hic non sumitur in significatu *generali*, quo denotat quemcunque cœtum ex pluribus convocatum, sive ille sit ordinatus, sive inordinatus, neque accipitur hic in significatione illa *speciali*, qua quamvis paucorum concionem, legitime & publica autoritate ex pluribus convocatam, designat, sed adhibetur hoc loco in significatu specialissimo, quo congregationem vere credentium & sanctorum, ex promiscua hominum multitudine legiti-

me & autoritate Christi per prædicationem Verbi ad æternam salutem evocatam, denotat.

§. 1. Generali vocis ecclesiæ acceptioni ipsa etymologia favet. Cum enim nomen ἐκκλησία a verbo ἐκκαλεῖν (quod idem est, ac aliquos ex promiscuo cœtu evocare) descendat, vi etymi ac derivationis quemcunque cœtum ex pluribus convocatum significat.

§. 2. Generalis ille significatus occurrit *Actor. XIX*, ubi v. 32. ἐκκλησία συγκεχυμένη (i. e. concio confusa sive inordinata), & v. 39. ἐκκλησία ἔννομος (h. e. concio legitima,) memoratur.

§. 3. *Specialis significatio* vocis *ecclesiæ* viget ex usu loquendi Scripturis sacris, & Scriptoribus ecclesiasticis recepto. Inter alia Scripturæ loca huc pertinet locus *Eph. V*, 25. ubi Christus *dilexisse ecclesiam, & se ipsum pro ea tradidisse*, perhibetur. Atque eodem illo significatu ecclesiæ vocem usurpat *Augustana Confessio*, quando art. VII. & VIII. *ecclesiam* dicit esse *congregationem sanctorum & vere credentium.*

§. 4. Nomen autem *congregationis*, quod hic tribuitur ecclesiæ, non sumitur pro actu congregandi, sed pro *statu*, nempe pro hominum congregatorum cœtu.

Th. III.

Cum autem ecclesia *specialiter* accepta

ta iterum tribus modis sumatur, nimirum 1.) pro ecclesia *militante*, (h. e. pro cœtu vere credentium & sanctorum in his terris adhuc viventium) 2.) pro cœtu vere credentium & sanctorum in cœlis jam degentium, 3.) pro toto cœtu sanctorum, viventium partim in terris, partim in cœlis; hoc loco non nisi in primo significatu adhibetur.

§. 1. Ecclesia, primo modo accepta, vocari solet ecclesia *militans*, quia est cœtus illorum hominum, qui sub Christo duce ejusque vexillo adversus Satanam, mundum, & carnalem concupiscentiam dimicant. Atque ecclesia, eo modo sumta, cum Scripturarum, tum vulgari usu loquendi absolute Ecclesia, itemque Ecclesia Christi, Ecclesia DEI salutatur.

§. 2. Ecclesia, secundo modo accepta, differentiæ causa vocatur ecclesia *triumphans*, quod sit cœtus hominum, qui omnibus belli laboribus ac periculis exantlatis, suisque hostibus devictis cum Christo in cœlis vivunt, & gaudent. Hæc ipsa ecclesia *Apoc.* XXI, 10. per modum civitatis describitur, atque *civitas magna, sancta Hierusalem, habens claritatem DEI, appellatur.*

Th. IV.

Ecclesia *militans* ipsa quoque bifariam accipitur: Vno modo pro qualibet fideli-

um & sanctorum in his terris viventium congregatione, ut etiam Ecclesia esse dicatur, quandocunque alicubi fideles & sancti, sive multi sive pauci, congregati sunt in nomine Christi: Altero modo pro cœtu, qui non solum fidelibus & sanctis congregatis constat, verum etiam includit ministerium publicum, per quod in conventibus publicis docetur Verbum Dei, & administrantur sacramenta.

§. 1. Priori modo ecclesiæ vocabulum accipit Paulus, quando *Colos. IV, 15.* Nymphæ domesticos, & in epistola ad *Philemonem* v. 2. credentes in Philemonis domo congregatos vocat ἐκκλησίαν κατ' οἶκον.

§. 2. Modo autem posteriori ecclesiæ vocabulum usurpatur *1. Cor. XII, 28.* ubi testatur Apostolus, *DEUM quosdam posuisse in ecclesia, primum Apostolos, deinde Prophetas, tertio Doctores &c.* Ac toties ecclesiæ vox eodem illo modo accipitur, quoties juxta *Esa. LVI, 1. sqq.* deprædicatur ut mater fidelium, quæ filios & filias spirituales (h. e. fideles) concipit & parit: Hæc enim conceptio & nativitas ordinarie fieri non potest, nisi mediante ministerio ordinario, per quod media producendæ ac conservandæ fidei, Verbum nempe & Sacramenta, in usu constituuntur.

§. 3.

§. 3. Sumit quoque ecclesiæ vocem posteriori modo *Augusta Confessio*, quando Art. VII, *Ecclesiam* describit, quod sit *congregatio sanctorum, in qua Evangelium recte docetur, & recte administrantur sacramenta.*

Th. V.

Porro *Ecclesia militans* sumitur vel proprie vel improprie. In proprio significatu eorum tantum in terris viventium hominum, qui credentes & sancti sunt, congregationem denotat, seu eum designat credentium & sanctorum cœtum, a quo vel prorsus absunt increduli & non sancti, vel certe admixti non-sancti per mentis operationem abstrahuntur. In sensu autem improprio & synecdochico (quo nomen partis ad significandum totum transfertur) pro toto ex vere credentibus sanctisque, & ex admixtis malis aggregato cœtu accipitur.

§. 1. Priori & propria significatione Ecclesia militans sumitur in illis Scripturæ locis, in quibus *sancti*, *vocati sancti*, *fideles*, *sanctificati*, collectim sumti, Ecclesia dicuntur.

§. 2. In posteriori & impropria significatione Ecclesia militans consideratur, quando promiscuis, sanctos & non sanctos complexis, cœti-

cœtibus ecclesiæ nomen in Scriptura tribuitur. Sic quippe consideratur e. gr. *Gal. I, 2.* ubi Apostolus *Ecclesias Galatiæ* vocat, quas seq. v. 6. miratur *ita cito, deserto eo, qui vocaverat eos in gratiam Christi, in Evangelium aliud transferri.* Nec enim vere credentes & sancti, qui supererant in illis ecclesiis, sed mali credentibus admixti, in Evangelium aliud translati fuerant. Hinc *B. Lutherus* in Comment. in Epist ad *Gal. c. I, v. 2.* ad quæstionem illam ab *Hieronymo* prolatam: *cur Paulus vocet Ecclesias, quæ Ecclesiæ non sunt?* exquisite respondet, *Paulum vocare Ecclesias Galatiæ per synecdochen, cujus usus in Scripturis sit frequentissimus.* Conf. *B. Musc.* Tr. de Eccles. Part. I. Disp. I. §. 6.

Th. IV.

Nos proinde statuimus, *formam* seu rationem formalem *verorum membrorum ecclesiæ proprie dictæ* (h. e. id, per quod homines sunt vera membra Ecclesiæ proprie dictæ, & quo sublato ejusmodi membra esse desinunt) non esse externam doctrinæ fidei professionem, nec qualemcunque credendorum assensum, sed fidem internam & quidem supernaturalem, quæ assensum certum & immotum, divinæque revelationi innixum, itemque fiduciam in Christo Mediatore defixam importat, & cum chari-

charitate ac vitæ sanctitate conjuncta est.

§. 1. Hic disputandum nobis est contra *Pontificios*. Licet enim multi in Papatu Scriptores percelebres, atque inter eos *Johannes a Daventria* Refut. Artic. VII. Aug. Confess. *Franciscus Suarezius* de Tripl. Virt. Theol. Disp. IX. Sect. I. n. III. seqq. *Adamus Tannerus* Tom. III. Theol. Scholast. Disp. I. q. III. Dub. II. n. LVII. *Gregorius de Valentia* Tom. III. q. I. p. VII. §. XIX. *Johannes de Turrecremata* Lib. I. Sum. Eccles. c. VI. & lib. IV. part. II. c. XX. profiteantur, ecclesiæ vera & proprie dicta membra esse omnes & solos vere credentes, fidemque internam esse formam, qua omnes Ecclesiæ partes in unam spiritualem rempublicam conjungantur, seu in esse verorum ecclesiæ membrorum constituantur, in declaranda tamen fidei illius natura a nobis dissentiunt: Ejus enim appellatione intelligunt qualemcunque credendorum assensum, qui etiam in homines gratia & charitate destitutos cadere potest & cadit.

§. 2. Manifestius hic sese opponunt nobis illi Doctores *Pontificii*, qui verorum ecclesiæ proprie dictæ membrorum rationem formalem ne quidem in aliquo credendorum assensu, sed tantum in externa doctrinæ fidei professione constituunt, ac proinde ecclesiæ proprie dictæ vera membra esse inquiunt omnes, quicunque doctrinam fidei, quam ecclesia tenet, tenere se profi-

profitentur, sive seria & ex fide interiori profecta sit professio illa, sive sit simulata, & fide interna destituatur. Quam sententiam haud obscure inculcat *Catechismus Tridentinus* edit. Colon. A. 1572. p. m. 82. 87. *improbos* ex ea ratione ecclesiæ annumerat, quod *eorundem sacramentorum* (cum bonis) *participes sint, & eandem, quam boni, fidem profiteantur.* Clarius illam ipsam sententiam tuentur *Joh. Driedo* Lib. IV. de Eccles. script. & Dogm. c. II. part. II. *Thomas Waldensis* Tom. I. Lib. II. cap. IX. n. X. & cap. XI. n. V. *Petrus a Soto* Confes. Cathol. c. de Eccles. Script. & cap. de Concil. *Hosius* Lib. III. contra Proleg. Brentii, *Melch. Canus* Lib. de Loc. Theol. c. ult. ad arg. XII. *Bellarminus* Lib. III. de Eccles. milit. cap. X.

§. 3. Nos igitur in præsenti nectimus argumentum aliquod duabus illis diversisque *Pontificiorum* sententiis oppositum, quod huc redit: *Per quod Judæi erant rami oleæ spiritualis, & per quod gentiles etiam ex oleastro excisi eidem insiti, ejusque rami facti sunt, & quo cessante ac sublato utrique esse desinunt oleæ spiritualis rami, illud est forma seu ratio formalis verorum membrorum ecclesiæ proprie dictæ. Atqui per fidem supernaturalem, quæ in Christum est, Judæi erant rami oleæ spiritualis, & gentiles etiam ex oleastro excisi per illam ipsam fidem eidem insiti, ejusque rami facti sunt, nec non cessante ac sublata fide illa supernaturali in Christum utrique* (Judæi æque ac gentiles) *rami oleæ spiritualis esse desi-*

desierunt. Ergo &c. Major propositio luculente patet. Cum enim olea spiritualis quoad rem idem sit, quod Ecclesia proprie dicta, oleæque spiritualis rami nihil aliud sint, quam membra Ecclesiæ proprie dictæ, sane illud, per quod homines actu fiunt rami oleæ spiritualis & quo sublato oleæ spiritualis rami esse desinunt, est etiam forma verorum membrorum ecclesiæ proprie dictæ, h. e. id, per quod homines sunt vera membra ecclesiæ proprie dictæ, & quo sublato membra istiusmodi esse desinunt. Minor secundum tria illa, quæ includit, membra distincte ex scripturis sacris nunc est confirmanda. Videlicet (I) *Judæos* initio per fidem in Christum fuisse oleæ spiritualis ramos, exinde liquet, quod illi, fatente ipso *Cornelio a Lapide* in Comment. ad cap. XI. Epist. ad Rom., ideo defracti sint, quia fidem, quam in Messiam venturum habuerant, in eum venientem abjecerunt. (II) *Gentiles* per fidem in Christum factos esse oleæ spiritualis ramos, manifestum est ex *Eph. II, 13.* ubi illi, qui olim procul erant, per sanguinem Christi propinqui facti esse dicuntur. (III) Judæos pariter ac Gentiles cessante fide in Christum oleæ spiritualis ramos esse desiisse, ex *Rom. XI, 20.* seqq. patescit. Ibi enim docetur, gentiles, si in fide in Christum non perstiterint, perinde, ut Judæi, excisum iri per incredulitatem. Atqui Gentiles & Judæi excisi sunt per eam incredulitatem, qua Christum venientem abjecerunt: Id quod non tantum a *Cornelio* a *Lapide* agnoscitum,

tum, sed & ex eo liquet, quod Judæi jam defracti generalem aliquem credendorum assensum haberent, ea, quæ in Mose, Prophetis, & Psalmis præscripta sunt, a DEO revelata esse opinati.

Th. VII.

Hinc igitur, quod verorum membrorum ecclesiæ proprie dictæ ratio formalis sit fides supernaturalis, quam in thesi proxime præcedente descripsimus, liquidissime constat, ecclesiam militantem, proprie accepto nomine, esse præcise cœtum hominum vere credentium fide supernaturali in Christum, conjuncta cum charitate ac vitæ sanctimonia, adeoque & sanctorum non solum per sanctitatem Christi fide imputatam, sed & per sanctitatem sibi intrinsecam ex fide provenientem (non perfectam quidem, sed inchoatam.)

Quo circa & hic adversamur *Pontificiis*, quippe qui statuunt, ecclesiam militantem in significatione nominis propria non esse cœtum præcise *bonorum*, seu eorum, qui *Spiritu gratiæ & charitatis vinculo inter se conjuncti & colligati sunt, sed complecti intra se tanquam membra, bonos & improbos, nec dubitandum esse, quin etiam improbi & scelerati homines adhuc in Ecclesia perseverent, idque fidelibus assidue tradendum esse.* Vid. Judicium nomine Caroli Cæsaris & Catholico-

licorum Principum super Aug. Conf. Artic. VII. editum, *Catechismus Tridentinus pag. 82. 83. Johannes a Daventria* Refut. art. VII. *Aug.* Confes. *Thomas Stapletonus* Princip. Fid. Doctr. Demonstr. *Lib.* I. & II.

Th. VIII.

Ecclesia militans proprie dicta habet aliquod caput.

Ecclesia enim militans in propria significatione est ens per aggregationem cum ordine: Vbi autem est ordo, ibi est primum, cum ordo non detur nisi cum relatione ad primum. Atque primum illud & summum, a quo Coetus ecclesiæ dependet, *Caput Ecclesiæ* dicitur.

Th. IX.

Huius ecclesiæ Caput est Christus. Sic enim expresse salutatur *Eph.* I, 22. Cap. IV, 15. 16. Cap. V, 23. *Colos.* I, 16. Cap. II, 19.

Th. X.

Christus autem in ordine ad ecclesiam Capitis appellationem habet propter analogiam seu similitudinem; quæ ipsi cum capite corporis humani in ordine ad ecclesiam intercedit.

Th. III.

Scilicet Christus in ordine ad ecclesiam similis est capiti corporis humani non

materialiter (h. e. quoad conceptum communem,) sed *formaliter* (h. e. quoad conceptum proprium) spectato.

Communis enim seu genericus capitis humani conceptus in eo consistit, quod Caput humanum sit corporis pars integralis, & eandem ad totum corpus habitudinem obtineat, quam cetera membra obtinent, h. e. importet dependentiam a corpore, ejusque influxu, & tam indigeat aliorum membrorum adjumento, quam cætera membra aliorum commembrorum adjumento egent: Ac conceptus capitis humani proprius in hoc consistit, quod ipsum sit principium rectivum corporis, & influxu suo corpus totum & membra ejus omnia regat, foveat, & adjuvet. Jam vero Christus a corpore Ecclesiæ nullatenus dependet, nec quicquam ab eo, ullisve ejus membris accipit, atque adeo nec satis commode ecclesiæ membrum vocari potest, ipse vero Ecclesiam, & singula ejus membra regit, fovet & adjuvat.

Th. XII.

Similitudinis igitur, quam Christus in ordine ad ecclesiam cum capite corporis humani habet, ratio triplex est: Vna consistit in *ordine & dignitate*; altera in *perfectione*; tertia in *virtute & influxu*.

§. 1. Nam 1. sicut in corpore humano caput in ordine pars prima est, & excellentiorem obti-

obtinet locum; Ita in corpore Ecclesiæ Christus est ordine primus, & Locum tenet supremum. II. Vti in corpore humano Caput omnes partes alias perfectione sua antecellit, quippe in quo omnes sensus, tum externi tum interni, sese exerunt, cum partes reliquæ solo polleant tactu: Ita in corpore Ecclesiæ Christus membra omnia infinitis perfectionis modis exuperat, cum ipsum tota deitatis plenitudo corporaliter inhabitet *Coloss. II, 9. III.* Quemadmodum in corpore humano a capitis virtute & influxu vitam motumque cætera membra habent atque ab eo gubernantur: Ita in corpore Ecclesiæ membra omnia a Christi influxu ac virtute vitam, sensum, motumque spiritualem accipiunt, & reguntur.

§. 2. Triplex illa inter caput corporis humani & Christum intercedens similitudo a *Thoma* in part. III. Sum. q. VIII. c. *I.* pridem tradita, ac temporibus recentioribus a *Musæo* Tr. de Eccl. *P.* I. Disp. *II.* §. IV. seq. egregie illustrata est.

Th. XIII.

Influxus autem, quem Christus velut caput in membra mystici sui corporis præbet, in universum duplex est: *Moralis* (qui est ipsum Christi Meritum, cujus valore ac vi omnia gratiæ dona Ecclesiæ, ejusque membris superne obtinguntur,) & *Physicus* (qui consistit in operatione reali quam Chri-

ſtus circa Eccleſiæ corpus & ejus membra exercet.)

Th. XIV.

Influxus Chriſti capitis phyſicus eſt vel *internus*, vel *externus*. Internus eſt talis Chriſti operatio, per quam eccleſiæ membra interne ac ſpiritualiter vegetantur, vivunt, & moventur (ſeu actio realis, per quam interni & ſupernaturales effectus in ſingulis eccleſiæ membris producuntur:) Externus vero ad ſublevandam pauperum indigentiam & ægrotorum curam, ac conſervandum eccleſiæ regimen externum pertinet.

Th. XV.

Influxum *moralem* Chriſtus in Eccleſiam hujusque membra præbet interveniente fide, cum Meritum Chriſti, quippe in quo influxus ille conſiſtit, homini per fidem applicetur & appropietur.

Theſ. XVI.

Influxum *phyſicum*, & quidem *internum*, Chriſtus, eccleſiæ caput, *directe* tum per functiones eccleſiaſticas in tradendo Verbo occupatas, donaque miniſtrantia ad eas obeundas collata, tum per ipſam fidem, chari-

charitatem, & virtutes Christianas alias in corpus suum mysticum dispensat, *indirecte* autem & dispositive sub initium & in prima quasi infantia ecclesiæ Novi Testamenti per *genera linguarum*, *potestates*, & *dona sanationum* (ut Apostolo 1. *Cor.* XII, 28. vocantur) corpori illi communicavit.

§. 1. Testatur *Paulus* diserte, a Christo functiones varias in Ecclesia constitutas fuisse. Docet quippe 1. *Cor.* XII, 28. Christum in corpore Ecclesiæ posuisse primo *Apostolos*, (h. e. Legatos suos, qui nullis sedibus affixi hinc inde commigrabant, & propagando ac dilatando ejus regno intenti, Verbi prædicatione ubique locorum ecclesias constituebant, atque constitutis de idoneis doctoribus & pastoribus prospiciebant,) deinde *Prophetas* (qui tum Scripturas intellectu difficiliores interpretabantur, tum futura prædicebant,) tertio *Doctores* (qui, ut *Flacius* in Glos. ad *Eph. IV*, 11. observat, *Scholastice docebant, habebantque curam diligenter exponendi Sacrum textum, & custodiendi doctrinæ sinceritatem*, h. e. de rebus sacris in scholis accurate disserebant, explicando eas, confirmando ac defendendo,) deinde *Potestates* (h. e. eos, qui facultate patrandi miracula, eaque altiora, & a virtute causarum secundarum remotiora, quam sanitatis restitutio præternaturalis erat, pollebant,) deinde *Dona sanationum*, (h. e. eos, qui facultate ægrotos absque naturali-

bus mediis sanandi præditi erant,) *Opitulationes* (h. e. Diaconos & Diaconissas, quibus pauperum & ægrotorum cura commissa erat) *Gubernationes*, (h. e. Seniores, qui disciplinæ & politiæ ecclesiasticæ custodes erant,) *Genera Lingvarum* (h. e. homines, qui instructi erant facultate loquendi linguis peregrinis ad informationem variarum gentium.) Ille ipse Apostolus *Eph. IV, 12.* seq. perhibet, Christum Ecclesiæ dedisse alios quidem *Apostolos*, alios vero *Prophetas*, alios *Evangelistas*, (qui, Apostolis in rebus gravioribus occupatis, rudem plebeculam, velut Catechetæ, edocebant, & sic Apostolorum comites, atque in plantandis per orbem terrarum ecclesiis cooperarii & coadjutores erant) alios *Pastores* (qui, ut *Flacius* & *Beza* ad h. l. annotant, publice concionabantur, sacramenta administrabant, & ecclesiam sibi commissam modis omnibus tuebantur) & *Doctores, ad instaurationem sanctorum, in opus administrationis, ad ædificationem corporis Christi &c.*

§. 2. Licet igitur *Apostolorum, Prophetarum* & *Evangelistarum* munia in tradendo Verbo occupata essent, hodie tamen per ea Christus influxum suum ad ecclesiam non diffundit. Illæ enim functiones temporariæ erant, & temporis progressu in Ecclesia desierunt.

§. 3. Cæterum olim per *Apostolorum, Prophetarum* & *Evangelistarum* munia influxus Christi capitis physicus, isque internus directe & effective ad Corpus Christi mysticum diffundebatur,

batur, cum per verbum & Sacramenta, quæ tractabant, vita & motus spirituales in corpore ecclesiæ, & membris illius effective producerentur.

§. 4. Vti *Doctorum* & *Pastorum* munia perpetua esse debent, & etiamnum in ecclesia vigent: Ita adhuc hodie influxum Christi Capitis physicum, eumque internum, ex eadem ratione, ob quam sub initium ecclesiæ id præstabant, directe & effective subministrant. Namque per Verbum & Sacramenta, quæ autoritate Christi functiones istæ membris ecclesiæ applicant, vita & motus spirituales effective producuntur ac conservantur.

§. 5. Hodie vero per *genera lingvarum*, *potestates* & *dona sanationum* influxus capitis Christi physicus nullo modo ad ecclesiam, hujusque membra derivatur. Quippe & hæcce munia temporaria erant, & temporis successu in ecclesia desiere. Cæterum sub ecclesiæ initium, ubi vigebant, influxum Christi physicum internum *indirecte* ac *dispositive* munia illa suppeditabant: *genera lingvarum* quidem, in quantum Verbi inter gentes varias prædicandi ad fidem in cordibus hominum accendendam & confirmandam instrumentum erant; *potestates* vero, & *dona sanationum*, in quantum homines per opera miraculosa vel ad auditum Verbi invitabant, vel credentium fidem confirmabant, & ad gratias DEO agendas excitabant. Vid. *Mus.* Tract. de Eccles. *P.* II. Disp. II. §. XLVII.

§. 6. Quæ functionum ecclesiasticarum in ordine ad influxum Christi Capitis physicum, ut in ecclesiam derivandum, ratio fuit vel adhuc est, eadem quoque fuit aut est ratio *donorum ministrantium* ad functiones illas obeundas divinitus concessorum Quo enim fine functiones illæ in Ecclesia institutæ sunt, membrisque diversis conferebantur, aut conferuntur adhuc, eo hæc etiam dona collata fuerunt, aut adhuc conceduntur, illaque munia & hæc dona ad influxum ex capite Christo membris aliis subministrandum simul & junctim sese exerebant, aut adhuc se exerunt.

§. 7. Per *fidem* Christi capitis influxus physicus internus directe & effective dispensatur, quia fides charitatis & cæterarum virtutum christianarum, per quas membra ecclesiæ spiritualiter vivunt, principium ac radix est.

§. Per *charitatem*, ac *virtutes christianas alias* idem ille influxus ad ecclesiam pervenit, cum Christus per eas in corpore suo mystico membra omnia (i. e. vere credentes æque omnes) ad mutua charitatis officia sibi invicem præstanda, velut ad varias vitæ spiritualis operationes, ab influxu Christi physico dependentes, inclinet.

Th. XVII.

Influxum physicum *externum* Christus sub ecclesiæ initium per *opitulationes* &gu-

& *gubernationes* (ut Apostolo 1. Cor. XII, 28. dicuntur) mystico suo corpori impertiebat, cum hæcce munia ad ordinem & regimem Ecclesiæ *externum* pertinerent.

Th. XVIII.

Omnia illa & singula hactenus enumerata media, per quæ Christus in ecclesiam, ejusque membra influxum suum diffundit, insignem cum corporis humani commissuris similitudinem habent, ac propter eam analogiam in ordine ad ecclesiam, tanquam ad corpus Christi mysticum, ex Eph. IV, 16. ἁφαὶ τῆς χορηγίας (h.e. *commissuræ subministrationis*) dici possunt cum passive, tum active.

§. 1. Postquam Apostolus *Eph. IV.* 15. docuit, Christum esse Ecclesiæ caput, v. 16. subjungit: Ex quo totum corpus congruenter coaggmentatum & compactum διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας (per omnes commissuras subministrationis) *ex vi intus agente pro mensura unius cujusque membri, incrementum facit corpori conveniens, ad sui ipsius exstructionem per charitatem.* Vbi ante omnia notandum, ἁφὴν (h e. *junctturam* seu *commissuram*) proprie significare (uti quidem *Beza* in notis ad Cap. IV. *Eph.* existimat) *mutuas artuum* in corpore humano *con-*

tactus, *qua parte videlicet committuntur*, aut (ut *Flacius* in Glos. ad d. l. arbitratur) non tantum *mutuos artuum contactus*, sed etiam *ipsas connexiones ac vincula artuum*, ut sunt *nervi*, *arteriæ*, *venæ*, *tendines*, *musculi* & *ligamenta*, per quæ ex alio membro in alia fluunt & refluunt spiritus, sangvis vitaque, & omnis vis vegetans. Atque junctura illæ dici possunt commissuræ *subministrationis* cum passive (h. e. commissuræ submistratæ seu suppeditatæ) tum active (h. e. commissuræ submistrantes seu suppeditantes.) Sunt enim cuique membro a capite, quod nervarum habet principium, totoque corpore suppeditatæ: Ipsæ quoque submistrant tum influxum cordis, Spiritusque vitales & sangvinem, tum influxum capitis ejusque spiritus animales necessarios ad motum, sensum & vitam, tum concursum & opem mutuam, qua unum membrum alteri devinctum, illud omnibus in rebus fovet & adjuvat, ut dum quodque suam partem, facultatem & operationem administrat, & quodammodo suum symbolum in commune adfert, inde & alia membra participent, & totum corpus crescat & perficietur.

§. 2. Non solum autem ecclesia corpori humano in dicto Apostolico jamjam allegato comparatur, sed & media illa, per quæ Christus in ecclesiam, ejusque membra influxum suum diffundit, commissuris in corpore humano deprehensis assimilatur. Scilicet uti in ipso corpore

pore humano membra cum capite & inter se commissuris compagibusque variis congruenter coagmentata & compacta sunt, caputque nervorum habet principium, ac spiritus animales corpori reliquo, ejusque membris communicat; ita in ecclesia credentes, ut membra, cum Christo & inter se certis quibusdam mediis, tanquam commissuris, uniuntur illaque media ex Christo, ut capite, habent originem, & per ea vita motusque spirituales ad ecclesiæ membra derivantur. Sicut igitur per *commissuras* in corpore humano spiritus vitales a capite in membra diffunduntur: Ita per certa quædam media, quæ vel ipsa sunt quædam ecclesiæ membra, vel aliquæ membrorum ecclesiæ affectiones, Christus suum influxum ecclesiæ communicat.

§. 3. Illa media, per quæ Christus suum influxum in ecclesiam diffundit, ex *Ephes. IV, 16.* dici possunt *commissuræ subministrationis* cum in sensu *passivo* (h. e. commissuræ suppeditatæ,) tum in sensu *activo* (h. e. commissuræ suppeditantes.) Namque non solum a Christo capite trahunt originem, & corpori Ecclesiæ ab ipso communicantur, verum etiam velut media quædam activa ex uno capite Christo membris ecclesiæ (diversa utut ratione) influxum subministrant.

Th. XIX.

Licet vero Christum tanquam Caput ac supremum Dominum Ecclesiæ militan-

tis

tis totius honore ſummo proſequamur, nullum tamen agnoſcimus epiſcopum, qui velut rector viſibilis in reliquos omnes toto orbe diffuſos epiſcopos, atque in univerſam eccleſiam *jurisdictionem* ac *poteſtatem* nunc poſſideat, aut unquam poſſederit. Nec enim neceſſitas & eccleſiæ natura iſtiusmodi præſidem efflagitat, nec Chriſti inſtitutio & voluntas (ſeu jus divinum,) expoſcit, nec jus humanum, aut conſtitutio eccleſiaſtica unquam introduxit.

§. 1. Non, inquam, *neceſſitas* & *eccleſiæ natura* viſibile aliquod eccleſiæ caput requirit. Namque *ſancta Chriſtiana ſive catholica eccleſia* (ut Proteſtantes *Artic. Smalcald.* Part. II. Art. IV. de *Papatu* aſſeverare haud verentur) *conſiſtere abſque iſto capite optime poteſt, & conſtitiſſet, certe rectius & melius cum ea ageretur, niſi illud caput exaltatum fuiſſet.* Sæpe enim in toto, quacunque patuit, eccleſiæ orbe nemo comparuit, qui pro rectore ejus ſuppremo ſeſe venditaret, quemve alii cultu præſidi iſtiusmodi debito proſequerentur; prout denuo *Proteſtantes* laudati *manifeſtum eſſe* l. c. inquiunt, *ſanctam eccleſiam ad minimum ultra quingentos annos ſine Papa fuiſſe.* Quippe poſt aſcenſionem Domini nec Petrus jurisdictionem in omnes eccleſias exercuit, nec alius quidam eam ſibi arrogavit poteſta-

testatem, quia potius *Petrus*, quem *Pontificii* universalem ecclesiæ monarcham tunc fuisse contendunt, æquo tulit animo, cum a *Paulo* (ut ex cap. II. epist. ad *Galatas* constat liquido) graviter objurgaretur, id non facturus, si sese tanquam ecclesiæ summum Monarcham gessisset, ac, uti in cæteros Apostolos, ita in *Paulum* quoque potestate ac imperio polluisset. Ac ducenti jam a Christo nato anni effluxerant, cum demum Victor, episcopus Romanus, superbia inflatus, totius Asiæ paroecias, suam non amplexas sententiam, a communione revellere sustineret. Sed vero, cum non hic tantum inani ac superbo mentis affectu sese efferret, sed alii quoque episcopi Romani fastu turgere inciperent, & prærogativas, quas jure humano præ cæteris omnibus patriarchis obtinebant, suumque primatum ordinis semper latius extendentes, nunc saltem inspectionem quandam in universam ecclesiam, magis, quam ullus alius Patriarcha, sibi vendicarent, ad consuetudinem & conciliorum canones provocantes, nunc vel ex humani vel divini juris prætextu supremum plane dominatum in totam Christi ecclesiam sibi arrogarent, omni ævo cordati præsules ac graves viri tantæ se arrogantiæ, ac tyrannidi lacertos jam moventi, animose opposuerunt, nec arrogantes isti episcopi Romani jurisdictione in omnes ecclesias particulares tantopere affectata potiri valuere, donec sub initium seculi septimi Bonifacius III, fastuosus homo a Pho-

a *Phoca* Imperatore, parricida sævo, qui Mauritium Imperatorem suum cum conjuge & liberis obtruncari nefarie curaverat, seque ingesserat in imperium, postularet & impetraret, ut episcopus Romanus omnium reliquorum episcoporum caput esset, atque oecumenicus episcopus, cui omnes ecclesiæ parerent, salutaretur. Erudite ac copiose de hac rerum serie *Philippus Mornæus* in Myster. Iniqv. seu Histor. Papat. *Wilhelmus Zepperus* Polit. Eccles. L. II. C. I. *Georgius Calixtus* in Appar. pag. 208. seqq. *Christianus Dreierus* Disp. XIV. adversus Pontificios, diseruerunt. Ex ipsis Pontificiis *Thomas Stapletonus*, cum sine visibili aliquo rectore oecumenico ecclesiam aliquamdiu floruisse in annalibus animadverteret, de lege saltem communi, ut tale ecclesiæ caput sit, necessarium esse *Dem. Princip. Fid. Doct.* Lib. VI. c. XV. docuit, atque ibidem Lib. XIII. cap. XV. p. 546. fassus est aperte, *sanitatem corporis ecclesiastici absque supremo ejus capite commode conservari posse, quamdiu vel nulla de fide controversia oboritur, vel illa oboriente reliqua capita, reliqui Episcopi & Doctores, populo Christiano non desunt.*

§. 2. Neque vero ex *institutione & voluntate Christi* (seu jure divino) unus in ecclesiam universam jurisdictione gaudet. Nam 1. Apostol. Paulus 1. *Cor. XII. 28.* hierarchiam ecclesiasticam describens, Apostolos promiscue, velut primos ac supremos, in isthoc ordine collocat: id quod jam olim

olim professus est *Ambrosius*, quando ad illum Paulinum locum ita est commentatus: *Caput in Ecclesia Apostolos posuit, qui Legati Christi sunt.* Atqui non plures, omnesque Apostoli simul primi fuissent, si unus tantum in universam ecclesiam ex voluntate & institutione Christi jurisdictionem ac potestatem obtinuisset. II. Christus in coelos ascensurus *Math. XXIIX, 9. Marc, XVI, 15.* parem ecclesiæ plantandæ ac gubernandæ potestatem pluribus simul commisit, nec potestatis quicquam cui assignavit, quod non pariter ad omnes pertineret. Quamvis enim ex Pontificia factione *Onuphr. Panvinius* in tr. de primatu Petri, *Stapletonus* in Dem. Princ. Fid. Doct. Lib. VI. c. I. seqq. *Tannerus* T. III. Theol. Schol. Disp. I. Q. 4. Dub. II. num. 46. seqq. cum *Catech. Trid.* Art. IX. Symb. Apost. p. 86. urgeant, Petro olim per hoc peculiarem potestatem in cæteros ecclesiæ ministros & universum fidelium genus traditam esse, quod Christus illi oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ex hac tamen jussione nulla Petro attributa superioritas adparet. Istæ enim *pascendi*, (h. e. ut *Articuli Smalcaldici* Tractat. de potestate & primatu Papæ exponunt) docendi Verbum, seu ecclesiam Verbo regendi partes in reliquos etiam ecclesiæ. ministros fuerunt dispensatæ, atque adeo Petro cum aliis communes, cum non solum *Act. XX, 28.* presbyteri a Spiritu Sancto constituti dicantur, ut pascant ecclesiam, sed & ipse Petrus 1. Epist. V, 2. ut *gregem*

DEI

DEI pascant, presbyteros sedulo cohortatur. Quia imo quod *pascendi* vox dominatum summumque imperium neutiquam importet, ex Petri dicto jam allegato clare liquet, ubi is ministros Verbi alloquens, *Pascite*, inquit, *qui in vobis est, gregem Domini, non ut dominantes cleris*, atque sic pascere & dominari inter se opponit. Vid. D. *Seb. Schmidii* libellus, cui titulus: *Petrus non Papa*, das ist, Petrus niemahls Pabst. Confer. *Marcus Antonius de Dominis* Lib. IV. de Rep. Eccles. Cap. I. seqq.

§. 3. *Neque* tandem *jure humano* & ex *constitutione ecclesiastica uni episcopo jurisdictio & potestas in omnes reliquos præsules, totamque ecclesiam convenit.* Si enim jure humano ac constitutione ecclesiastica uni ille dominatus quæsitus esset, eum ecclesia communi suffragio contulisset. Ast nullo deprehendi potest indicio, Ecclesiam in ullum unquam hominem tantam potestatem sic transtulisse. Nec enim probati annalium conditores ferunt, quod *Jacobus Bossnet*, episcopus Condomensis, in Expos. Fid. c. XXI. ait, *sancta Concilia, sanctosque Patres Christianos ubique docuisse, quod subjectio & obedientia Pontifici Romano ab omnibus debeatur*: Nec ex indubiis monumentis liquet, quod *Baronius* ad Ann. 1076. §. 30. scribit, *hactenus in Ecclesia Catholica usu receptas fuisse sententias, quod solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis, quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur, quod*

quod sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit, quod a nemine ipse judicari debeat, quod majores causæ ad eum referri debeant, quod Catholicus non habeatur, qui non concordat Romanæ Ecclesiæ. Primatus certe, qui veteribus canonibus ac Patrum quorundam dictis Episcopo Romano jam olim concessus fuit, in Romæ, quæ Caput Imperii erat, dignitate fundamentum habuit, atque in eo tantum constitit, quod honore potissimus inter cæteros episcopos censeretur, minime vero quod potestatem in eos haberet, aut jurisdictionem ullam. *Irenæus* videlicet, quando *ad Ecclesiam Romanam propter potentiorem principalitatem omnem convenire ecclesiam* Lib. III. c. 3. inquit, *Athanasius*, qui ad Felicem Papam *ob id*, scribit, *vos decessoresque vestros, Apostolicos videlicet, præsules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere præcepit, ut nobis succurratis*, *Basilius* Romanum episcopum Epist. 52. obtestatus, ut orienti hæresibus laboranti subveniret, *Hieronymus* Epist. II. *se Damasum juvisse* dicens *in orientis & occidentis Synodicis consultationibus*, *Augustinus* Epist. 162. *in Romana ecclesia semper Apostolicæ cathedræ viguisse principatum* professus, adjudicant quidem ecclesiæ Romanæ, ejusque præsuli aliquem primatum, ast non potestatis ac jurisdictionis, sed ordinis, eum quoque habentem effectum, quod ecclesiæ illi, ejusque episcopo ea cura ex charitate

incumbat, ut alii coetus in errorum præcipitia lapsi moneantur, & in veritatis tramitem revocentur. Nec vero, primatum jurisdictionis ac supremæ potestatis a conciliis & Patribus datum esse Pontifici Romano, ex eo potest ulla cum verisimilitudine colligi, quod *Tertullianus* Lib. de pudicitia Cap. 1. Romanum Pontificem adpellet Pontificem Maximum, & episcoporum episcopum, quod *Canon. XLIV. Concilii Nicæni* dicat, eum, cujus principatus est Romæ, similem Petro & æqualem autoritate, imperium ac Dominium obtinere in omnes patriarchas; quod *Nazianzenus* in Carm. de vita sua ajat, *Romanam Ecclesiam veram de DEO sententiam semper conservasse, ut decet urbem, quæ toti urbi præsidet*; quodque *Ambrosius* comment in 1. *Tim. III.* scribat, *cum totus mundus DEI sit, tamen domum ejus Ecclesiam dici, cujus hodie rector sit Damasus.* Verba namque *Tertulliani* ironica sunt, in Romanum Pontificem conjecta, qui ipsi jam Montanistæ adversabatur. Ac *canon* ille, qui *Concilio Nicæno* adscribitur, suppositicius est, ac aliunde irrepsit, cum *Theodoretus* Lib. 1. Hist. Eccles. c. VIII. *Nicephorus* Hist. Eccl. Lib. VIII. c. 19. ipseque Papa Romanus, Stephanus, apud *Gratianum* dist. 16. testentur, plures, quam viginti canones, in isthac Synodo editos non esse. Sic & illi in epistolam Paulinam Commentarii, Ambrosio vulgo attributi, etsi sint perantiqui, non tamen ab Ambrosio originem trahunt. *Nazianzenus*

vero

vero de urbis Romæ, non autem de episcopi Romani prærogativa atque præsidentia palam disserit.

§. 4. Licet igitur nullum agnoscamus episcopum, qui velut rector visibilis in reliquos omnes toto orbe diffusos episcopos, atque in universam ecclesiam jurisdictionem ac potestatem nunc possideat, aut unquam possederit, concedimus tamen, quod, sicut alias in aristocratia unus aliquis inter optimates cæteros primus honore haberi potest, ita in universa ecclesia unus episcopus institutione ac jure humano inter reliquos præsules *primatis ordinir* sustinere queat, & reapse antiquitus *antistes Romanus* inter omnes ecclesiæ totius episcopos *præcipuus* fuerit, ac quodam emicuerit *primatu*. Nihil enim prohibet, quo minus (si cætera sint paria) præ reliquis ecclesiæ optimatibus dignitate excellat Præsul, in urbe splendidiori atque ampliore, inprimis ea quæ Caput & Domina totius orbis, aut principis egregiis privilegiis ecclesiam ornantis, cæterisve ecclesiis laborantibus subvenientis sedes est, vel Christi doctrina viva editisque miraculis præcipue claruit, episcopatum administrans, aut isti præsidens ecclesiæ, quæ, plurium ut pote ecclesiarum foecunda genitrix, multo latius, quam reliquæ, suam ex officio charitatis curam extendit, vel illustriori fidei doctrina & ecclesiastica disciplina inter cæteras eminet, vel asylum quasi est ac commune afflictorum aut in-

juſte damnatorum perfugium. Hinc ille in prima eccleſia mos invaluerat, ut epiſcopi in iis urbibus, quæ amplitudine, potentia aut ſplendore cæteras antecellebant, conſtituti, autoritate & honore cæteris quoque epiſcopis plurimum præſtarent, ac peculiari *Patriarcharum* titulo mactarentur. Scilicet cum in Ægypto Alexandria, & in Syria Antiochia caput efferret, urbium illarum epiſcopi Patriarcharum nomen adipiſcebantur. Ac cum Ælia, Hieroſolymæ loco ab Ælio Adriano Imperatore ædificata, ex iis cauſis cum maxime emineret, quod in Judæa, cujus metropolis olim erat Hieroſolyma, Chriſtus natus fuerat, quod Hieroſolymæ & paſſim per Judæam docuerat, miracula patraverat, ibidemque paſſionem ac mortem obierat, ejus quoque epiſcopi magnificum Patriarcharum titulum ſortiebantur. Cumque *Conſtantinus* Imperator imperii ſedem Conſtantinopolin tranſtuliſſet, & urbem eam exornaſſet mirifice, atque amplificaſſet, ob ſolam urbis eminentiam, quod (ut chalcedonenſis Synodi Patres can. XXVII. loquuntur) *& imperio & ſenatu honorata eſſet, & æqualibus cum antiquiſſima Regina Roma privilegiis frueretur*, epiſcopus Conſtantinopolitanus Patriarchis annumerabatur, atque ſecundum a Romano antiſtite gradum obtinebat. Quippe in concilio Conſtantinopolitano I. Can. 3. conſtituebatur, ut Conſtantinopolitanæ civitatis Epiſcopus haberet τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς (h. e. privilegia honoris,

noris, seu primatum honoris & ordinis) *post Romanum Episcopum* διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν τὴν νέαν Ρώμην (h. e. eo, quod ipsa sit nova Roma.) Cui sanctioni ecclesiasticæ concinit Justiniani *Novella Constitutio* 131. c. 2. *Sancimus*, inquiens, *secundum ecclesiasticorum canonum definitiones sanctissimum senioris Romæ Papam primum esse omnium Sacerdotum: Beatissimum autem Archi-episcopum Constantinopoleos, novæ Romæ, secundum habere locum post sanctam Apostolicam senioris Romæ sedem: aliis autem omnibus sedibus præponatur.* Cum igitur Roma reliquis urbibus eo nomine clarior ac nobilior esset, quod imperii mater & antiquissima sedes, Principumque variis ecclesiam beneficiis cumulantium, ac coetibus in discrimine versantibus succurrentium habitaculum, atque multorum afflictorum præsidium esset, & plures ecclesias alias felicissimo nisu proseminasset, atque adeo suam in alias ecclesias curam multo latius, quam ulla alia amplissima urbs, ex arctiori charitatis lege diffunderet, factum inde est, ut episcopi ejus non solum patriarcharum titulo exsplendescerent, sed & inter quinque patriarchatus primatu ordinis potirentur.

Th. XX.

Quod si igitur nullus unquam homo jurisdictionem ac potestatem in universam ecclesiam possedit, manifestissimum protinus evadit, immane quantum hallucinari,

quotquot asserunt, *Petrum Romæ per annos XXV sedentem cum episcopatu Romanæ ecclesiæ simul regimen in universam ecclesiam conjunxisse, idque aliquandiu exercuisse & suam jurisdictionem ac monarchicam totius ecclesiæ regendæ potestatem ad ejusdem sedis episcopos successionis jure transmisisse.* Quo enim quis pacto præcellentiam eam, qua ipse destitutus est, ad successores transfundet?

§. 1. Aliis insuper argumentis ea, cui thesis nostra sese opponit, *Pontificiorum* sententia funditus destruitur. Quippe (I) lis adhuc sub judice est, an Petrus Romæ fuerit aliquando? Certe ejus rei nulla prorsus in Scripturis vestigia extant. Vid. *Vedelii* tractatus de tempore utriusque Episcopatus *Petri* contra *Baronium* & *Bellarminum*. (II) Si vel maxime fuerit Romæ, non tamen consequitur ex eo, quod Romanæ eccleſiæ præfecturam gesserit: Apostolorum namque munus nulli certo loco erat alligatum; & si isthæc valeret sequela, concludi potius posset, Paulum, quippe qui ipsa Scriptura teste Romæ commoratus est, ecclesiæ Romanæ administrasse præsulatum, cum ipse gentium, *Petrus* vero circumcisionis Apostolus esset. Hinc ipse *Bailius* in praxi pietatis p. m. 532. *Probabile est*, scribit, *Paulum, tanquam Apostolum gentium, fuisse*

fuisse episcopum Romæ, tanquam primariæ inter gentes civitatis. (III) Non est credibile, *Petrum* unquam ordinarium ecclesiæ Romanæ episcopum fuisse. Illius enim arduæ provinciæ tanquam a Petro administratæ nullus Apostolus, ac ne Lucas quidem, qui leviora quoque commemorat negotia, mentionem facit, sed multa potius (ut ex Remonstrantibus *Stephanus Curcellæus* in Tract. de Eccles. fol. 711. opp. Theol. & ex *Reformatis* aliis *Daniel Chamier* Panstrat. Cathol. Tom. II. Libr. XIII. c. 1. erudite ostendunt) multa in sacris literis & alibi habentur, quæ valde verisimiliter contrarium suadent. Quippe (α) si Petrus Romanæ ecclesiæ episcopus ordinarius fuisset, functio illa male convenisset sortitioni inter *Paulum* & Petrum factæ *Gal. II.* vi cujus Petro apud *Judeos*, Paulo apud gentes Evangelium prædicandum erat: Petrus enim isto Evangelium Judæis annunciandi munere multo commodius defungi potuisset, si in Judæa habitasset, cum inprimis ob Claudii Cæsaris præceptum, quo omnes *Judæi* Roma discedere jubebantur *Act. XVIII, 2.* pauciores *Judæi* Romæ commorarentur. (β) Si Petrus ordinarium Romanæ ecclesiæ episcopatum administrasset, sane eo temporis tractu, quo *Paulus* Romam in vinculis abducebatur, spartam isthanc ornasset: Docent enim ipsi *Pontificii*, Petrum, quem Paulus juxta *Gal. II.* decimo quarto a conversione sua anno Hierosolymæ invisérat, & quadriennio

post Antiochiæ objurgaverat, per continuos XXV. annos Romæ sedisse, ibique suum cursum martyrio confecisse. Ast toto illo biennio, quo Paulus Romæ captivus detentus fuit, Petrum ibi non fuisse manifeste adparet. Etsi enim tunc Paulus multas ibi epistolas, nimirum ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, ad Philemonem, posteriorem ad Timotheum composuerit, nusquam tamen Petri mentionem injicit, imo 2. *Tim. IV*, se ab omnibus in prima sua defensione desertum fuisse conqueritur, atque *Coloss. IV*. Aristarchum & Marcum solos suos in regno DEI adjutores esse memorat. Quis vero credat, Paulum mentionem non fecisse Petri, si hic Romanus antistes tunc fuisset? Et quis credat, Petrum, si Romanæ ecclesiæ columen tum fuisset, Paulum non visitasse? Atque egregium in regno DEI propagando adjutorem habuisset Paulus, si tunc Petrus Romæ fuisset ordinarius episcopus. (γ) Pontificii (ut *Bellarminus* Libr. II. de Rom. Pontif. c. XII. p. 740, *Baronius* in Annal. ad ann. 44) constantissime docent, Petrum per XXV. annos Romæ sedentem episcopatu illius urbis defunctum fuisse. Ast vero cum Petrus à morte Christi ad summum 37. annis superstes fuerit, annos autem octodecim aliis in locis extra moenia Romana substiterit, non potuit plus, quam 18 annis Romæ habitasse, si unquam eo pervenit. (δ) Ipse *Eusebius*, ad cujus *chronicon* alias hic *Pontificii* provocant, *Histor. Eccles.* Lib. III. c. I. narrat,

rat Petrum in Ponto, Galatia, Bithynia, Cappadocia & Asia Judæis hinc inde dissusis Evangelium annunciasse, & *sub finem* (vitæ) *Romæ versantem* capite deorsum statuto cruci fuisse affixum. At non saltem sub vitæ suæ finem Petrus Romæ substitit, si, ut *Pontificii* asserunt, per XXV annos episcopatum ibidem administravit? IV. Si demus omnio, Petrum Romæ vitam egisse, ecclesiæque Romanæ episcopatu functum esse, imo totius ecclesiæ Christi Caput aut pastorem fuisse, non tamen liquet, nec probari potest, quod Pontifices Romani, & quidem soli in ecclesiæ universæ præfectura ipsi succedant. Neque enim omnia sua privilegia & prærogativas ad alios transmisit hæreditate, cum immediatæ ad Apostolatum vocationis, divinæque inspirationis gloriam ad alios e. gr. Romanos Pontifices, hæreditario jure non derivaverit, neque ostendi potest ratio, cur, dum Petrus per octennium Antiochiæ quoque substitit, solus Romanus, non autem Antiochenus episcopus in præfectura ecclesiæ universæ ipsi succedat. *Certe non mortis locus, sed sedes episcopalis* (uti etiam ex Remonstrantibus *Philippus a Limborch* Theol. Christ. Lib. VII. c. X. §. 3. præclare monet,) *jus successionis confert*, quia alias si contigisset Petrum in ignobili aliquo pago interfici, illius pagi sacerdos Petri hæres & successor foret.

§. 2. Jam olim *Nilus*, Thessalonicensis episcopus, in suo adversus primatum Papæ libro

(quem lege ex editione *Salmasii* annexum hujus libro de primatu *Papæ*) etsi Petrum toti ecclesiæ velut pastorem præfuisse, ac in Romano episcopatu diem suum obiisse concedat, episcopos tamen Romanos alios ipsius præfecturam in totam ecclesiam hæreditario jure consecutos esse inficiatur, successores in Romano tantum episcopatu agnoscens.

Thes. XXI.

Papa proinde nec successionis iure, nec ulla alia ratione jurisdictionem ac potestatem aliquam *in universam ecclesiam* obtinuit.

§. 1. Quod enim successionis jure potestatem istiusmodi non habeat, in thesi proxime antecedente evictum est: Nec alia quadam ratione illam ipsi potestatem convenire, id vero ex eo liquet, quod in thesi præcedente XIX. solide demonstratum sit, nullum agnoscendum episcopum, qui velut rector visibilis in reliquos omnes toto orbe diffusos episcopos, atque in universam ecclesiam jurisdictionem ac potestatem possideat.

§. 2. Thesis nostra quam maxime adversatur regno Pontificio, utpote in quo Papa jurisdictionem ac potestatem sibi in universam ecclesiam vendicat. Videlicet non contradicimus duntaxat vulgatæ illi *Pontificiorum* sententiæ, quæ Romanum Pontificem vi divini juris in cæte-

cæteros præsules omnes, totamque ecclesiam potestate pollere censet, sed reluctamur quoque *Dominico a Soto*, superbiæ Romanæ utut minus faventi, ac idcirco a *Gregorio de Valentia* Tom. III. Theol. Schol. Disp. 1. Q. 1. punct. VII. impugnato, qui Apostolicam sedem jure tantum ecclesiastico episcopatui Romano annexam esse docuit.

§. 3. Cæterum thesis nostra *Pontifici* Romano potestatem in *universam* saltem *ecclesiam* derogat. Neque enim *Protestantes* inficias eunt, episcopo olim Romano amplam jurisdictionem, in ecclesias videlicet suburbicarias, fuisse concessam secundum illam *Nicani Concilii* constitutionem, quam ex can. VI. *Ruffinus* Eccl. Hist. Lib. I. cap 6. sic refert: *Et ut apud Alexandriam, & in urbe Roma vetusta consuetudo servetur, ut vel ille Ægypti, vel hic suburbicariarum ecclesiarum solicitudinem gerat*; Hoc est, ut sicut ille Ægypti, ita hic suburbicariarum ecclesiarum curam gerat. Quippe particula *vel* apud bonos auctores non nunquam hoc modo usurpatur. Erant autem ecclesiæ suburbicariæ, quæ intra centesimum ab urbe lapidem concludebantur.

Th. XXII.

Quod si Romano Pontifici nullo plane pacto aliqua in universam ecclesiam potestas competit, multo minus is tanta in totam ecclesiam potestate pollet, ut ejus decreta

creta & decisiones in rebus ecclesiæ fideles omnes audire, in iisque citra hæsitationem acquiescere teneantur.

Th. XXIII.

Et, si Papa neque ex divino neque ex humano jure in universam ecclesiam seu in totum fidelium coetum potestatem habet, recte *Protestantes* in articulis Smalcaldicis Part. II, art. IV. pag. 313. pronunciarunt, *rugire Papam ut Leonem*, quando clamitat, *neminem Christianorum posse salvari, nisi ei obediat, & subjectus sit in omnibus, quæcunque vult, quæcunque dicit, quæcunque facit.* Qua enim, quæso, ratione universus Christianus orbis sub poena amittendæ æternæ salutis obligari potest ad facienda omnia ejus imperata, qui nulla in totam Christianitatem potestate pollet?

Th. XXIV.

Quin imo Romano Pontifici ne nunc quidem jurisdictio in universam ecclesiam per constitutionem aliquam ecclesiasticam conferri debet, etiamsi ejus potestas, quemadmodum Concilia *Basileense* & *Constantiense*, *Sorbonam Parisiensem*, *Gersonem* &

Docto-

Doctores alios fecisse constat, non nihil restringeretur, imo (quod tamen impossibile esse *Protestantes in Art. Smalcald.* l. c. pag. 314. judicant, cum *sic universum suum regnum & statum, omniaque jura & volumina sua immutari, everti & destrui pateretur*) diceret ac fateretur ipse, *se non jure divino, sive ex mandato DEI esse supremum, sed, ut concordia & unitas Christianorum conservari possit, caput certum esse eligendum, cui cæteri omnes quasi innitantur, atque tale caput per homines eligendum, & in hominum quoque electione ac potestate situm esse, illud caput ut mutet & semoveat.*

§. 1. *Plane* enim *notæ Anti-Christi competunt in regnum Papæ & sua membra*: ut Theologi Smalcaldiæ anno 1537. congregati in tract. de *potestate & primatu Papæ* pag. 341. seq. loquuntur, & copiosius demonstrant. Nefas vero est ac impium in Anti-Christo potestatem supremam & Imperium universam Christi ecclesiam, & singula ejus membra deferre. Quare cum quidam *Protestantium* Theologi anno 1530. in Comitiis Augustanis (ut *Georgius Coelestinus* in Histor. comit. Aug. Tom. III. fol. 31. 32. narrat) ex timiditate ac nimia ad conciliationes proclivitate statuerent scriptoque traderent, non episcopis tantum restitui posse jurisdictionem Cleri, cum politici Principes gubernationi ecclesiasticæ, suis quip-

quippe Viribus majori & ingentes sumtus requirenti, diu præesse & vacare non possint, sed & sub Pontifice, sicut Israelitæ sub Pharaone vixerunt, vivi posse, *Gregorius Pontanus* Cancellarius Saxonicus Senior, qua erat prudentia judiciique soliditate, animadvertebat statim, fieri non posse, ut stante illa Protestantium hypothesi: *Papam esse Anti-Christum, prædictum a Paulo, jamque revelatum*, ejus in ecclesiam potestas admittatur, atque idcirco suum hunc scrupulum in margine illius scripti Theologici annotabat. Vid. *Seckendorffius* in Histor. Lutheran. Lib. II. fol. 176.

§. 2. Ad hæc Romanos Pontifices, quippe qui doctrinas horribiles cultusque impios vi, minis ac suppliciis defendunt, deserere & aversari, omnique eorum consortio solicite abstinere decet, cum juxta Christi & Pauli monita impios Doctores vitare, & execrari velut anathemata oporteat, ne impiæ doctrinæ ac blasphemiarum participes reddamur. Quo igitur, quæso, pacto jurisdictionem ac potestatem in universam ecclesiam Romano Pontifici conferre licebit? Vid. omnino *Articuli Smalcaldici* in Tract. de potestate & primatu Papæ pag. 348.

Th. XXV.

Ne illud quidem indulgendum putamus, quod inter Remonstrantes *Philippus a Limborch* Theol. Christ. Lib. VII. c. X. §. 8.

§. 8. concesſit, posſe ſcilicet Papam in concilio ad canones quoſdam condendos convocato epiſcoporum & antiſtitum, qui ſimul confluxere, communi conſenſu & libera delatione propter urbis, cujus epiſcopus eſt, majeſtatem *ordine primum* agnoſci, *ut totam actionem tanquam præſes dirigat.*

§. 1. Quis enim Anti-Chriſto locus eſſe poteſt in eorum, qui Regni Chriſti ſubditi ſunt, tam illuſtri concilio? Quo jure in iſthoc conventu Anti-Chriſtus gaudebit primatu, ac præſidebit? An fas erit, tanta veneratione Anti-Chriſtum complecti? Qua, quæſo, ratione ampliſſimis Chriſtianorum conciliis tantum intercedere poteſt commercium cum regno, quod idololatriam, & graves atque exitiales errores vi & homicidiis defendit, & injuſtam ubivis ſævitiam exercet? Hinc *Proteſtantes* in Articulis Smalcaldicis l. c. diſerte monent, *Chriſtianos omnes cavere debere, ne fiant participes impiæ Doctrinæ, blaſphemiarum, & injuſtæ crudelitatis Papæ; & licet grave ſit, diſſidere a conſenſu tot gentium, & dici ſchiſmaticos, tamen auctoritatem divinam mandare omnibus, ne ſint ſocii & propugnatores impietatis & injuſtæ ſævitiæ, ideoque ſatis eſſe excuſatas conſcientias noſtras.*

§. 2. Quid? quod ipſe *Limborchius* l. c. cap. XI. §. 8. etſi confidenter aſſeverare non auſit, Pon-

Pontificem Romanum per hominem illum peccati, & bestiam e terra ascendentem, & cornua agni habentem, & per meretricem bestiæ insidentem ab Apostolis fuisse designatum, dicere tamen non vereatur, præcipua, quæ de Anti-Christo sive filio perditionis prædicuntur, optime in Pontificem Romanum quadrare, ac proinde *jure merito nos HORRERE COMMVNIONEM ipsius, si non ut ipsius Anti-Christi, saltem ut impii & injusti imperii in ecclesiam usurpatoris, apostasiæ a vera Christi Doctrina Capitis, ac gravissimæ erga DEI servos ac fideles persecutionis autoris, eoque ipso Anti-Christum optime referentis, illiusque vivam effigiem exprimentis.*

Th. XXVI.

Neque vero ulla causa adparet, cur Romæ urbis episcopus pristinam suam dignitatem & præeminentiam in toto antistitum Senatu retineat.

§. 1. Illa namque urbs imperii Romani sedes esse desiit, nec asylum amplius est afflictorum, sed potius vere credentium trucidatrix: Præterea cum a Petri & Apostolorum vestigiis longissime discesserit Romanus Præsul, & ministerium ecclesiasticum in mundanum principatum transformaverit, & Christianam religionem penitus corruperit, jure amisisse censendus est illam dignitatem, quam veteres Romæ urbis episcopi ob sanctimoniam & pietatem, qua reliquo orbi prælucebant, fuerant adepti.

§. 2. Qua-

§. 2. Quare exaudiendi non sunt *Masenius* in Medit. Conc. & *Godofr. Volusius* in aurora Pacis, quando anathematum suspensionem & abusuum quorundam abrogationem pleniorem, ac dogmatum, quæ durius sonant, commodiorem explicationem promittunt, postulant vero, ut Protestantes interea Articulorum Smalcaldicorum rigori renuncient, desistant oppugnare communionem sub una, transsubstantiationem & sacrificium misaticum, atque *Pontifici* potius, certe ut *primatum ordinis* habenti, sese submittant.

Th. XXVII.

DEUS est ecclesiæ proprie dictæ *causa efficiens physica* (h. e. DEUS per veram & realem actionem aliquem credentium cœtum immediate constituit.)

§. 1. DEUS enim pluribus simul hominibus veram fidem efficienter & immediate confert, cum omnium credentium fidem, tanquam habitum vel actum in sua substantia supernaturalem, effective & immediate producat. Ast quisquis pluribus simul hominibus veram fidem efficienter & immediate confert, is quoque per veram & realem actionem aliquem credentium cœtum immediate constituit.

§. 2. Theseos nostræ veritas inde etiam elucet, quod Ecclesia dicatur *Ecclesia DEI*, *po-*

pulus DEI, quem ipse sibi condiderit aut vocaverit. Vid. *Psalm.* XCV, 7. 1. *Pet.* II, 9. 10.

Th. XXVIII.

Quod si DEUS ecclesiæ causa efficiens physica est, sane *DEUS Trinunus* ejusmodi causa existit.

Quippe aliquem vere credentium cœtum effective & immediate constituere, si est opus DEI, non est aliud, quam opus DEI ad extra: Ast vero opera DEI ad extra sunt indivisa.

Th. XXIX.

Christus quoque Θεάνθρωπος est ecclesiæ *causa efficiens physica.*

§. 1. Christum, *qua DEUM*, ecclesiæ causam efficientem physicam esse, inde liquet, quod vera & realis actio, per quam aliquis vere credentium cœtus immediate constituitur, tanquam actio DEI ad extra, omnibus tribus divinitatis personis, atque adeo etiam Christo, qua DEO, competat.

§. 2. Christum, *qua hominem*, seu secundum humanam suam naturam causam efficientem physicam esse, ex eo probatur, quod humanæ Christi naturæ vi unionis personalis omnipotentia, atque adeo etiam potentia aliquem credentium coetum per veram & realem actionem immediate constituendi communicata sit, communicata autem majestate Christus secundum

dum humanam naturam in statu exaltationis plenarie & incessanter utatur.

Th. XXX.

Causa efficiens *moralis*, eaque *meritoria*, ecclesiæ est Christus, si consideretur, quatenus in assumta humanitate pro nobis passus & mortuus est.

§. 1. Christus enim *Act. XX, 28. proprio sanguine acquisivisse sibi ecclesiam dicitur.*

§. 2. Quando autem in thesi de Christo, qua passus & mortuus est, loquor, hoc ipso subinnuo, eum alio quodam respectu ecclesiæ causam efficientem physicam esse. Videlicet si spectetur Christus ut ejusdem cum Patre & Spiritu Sancto potentiæ ac majestatis est, per veram & realem actionem aliquem vere credentium cœtum immediate constituit.

Th. XXXI.

Vti DEUS Trinunus est causa efficiens physica, eaque *principalis*, ecclesiæ: Ita Verbum Evangelii & Baptismus sunt ecclesiæ causa efficiens physica *instrumentalis*.

Quemadmodum enim Verbum Evangelii & Baptismus sunt instrumenta, per quæ DEUS pluribus simul hominibus veram fidem efficienter & immediate confert; Ita etiam sunt organa, per quæ DEUS aliquem vere credentium cœtum effective & immediate constituit.

Th. XXXII.

Causæ impulsivæ ecclesiæ (h. e. causæ, ab omni causa efficiente morali & causa finali distinctæ, quæ DEUM Trinunum ad aliquem vere credentium cœtum effective constituendum movent) sunt bonitas DEI & Christi Meritum.

Nam *B*onitas DEI & Christi Meritum, tanquam fidei causæ, ab omni ejus causa efficiente morali & causa finali distinctæ, movent DEUM ad fidem iis omnibus, qui in Christum credunt, efficienter conferendam; ut ex loco de *fide in Christum*, superius tradito, patescit. Id vero, quod DEUM sic movet, eundem quoque ad aliquem vere credentium cœtum effective constituendum permovere omnino manifestum est.

Th. XXXIII.

Materia ecclesiæ, præcise in significatu proprio sumtæ (seu entia, ex quibus ecclesia isto modo accepta constat, sunt vere credentes & sancti.

§. 1. Dedimus enim in præcedentibus demonstratum, ecclesiam, proprie accepto nomine, præcise esse cœtum hominum vere credentium fide supernaturali in Christum, conjuncta cum charitate ac vitæ sanctimonia, adeoque & sanctorum non tantum per sanctitatem Christi fide imputatam, sed & per sanctitatem sibi intrinsecam ex fide provenientem.

§. 2.

§. 2. Entia vero illa, ex quibus ecclesia constat, recte vocari ecclesiæ materiam, inde patet, quod ecclesia sit aliquod ens per aggregationem, talismodi autem entis materia dici ubivis consueverint plura illa entia, quæ in ipso involvuntur.

Th. XXXIV.

Forma (seu ratio formalis) ecclesiæ (præcise in proprio significatu acceptæ) est unio vere credentium & sanctorum cum Christo per fidem veram.

§. 1. Sicut enim singulorum verorum ecclesiæ proprie dictæ membrorum ratio formalis est fides in Christum; Ita etiam forma, per quam fideles plures junctim sumti in esse totius alicujus ecclesiæ proprie dictæ intrinsece constituuntur, non potest esse alia, quam unio vere credentium cum Christo capite per fidem in Christum.

§. 2. Homines autem credentes revera cum Christo per veram fidem uniri, ex eo adparet manifeste, quod, quando credunt in Christum, hoc ipso ferantur in Christum, eique ut causæ remissionis peccatorum & salutis æternæ consequendæ adhæreant.

Th. XXXV.

Licet vero credentes habeant quoque locales congressus sacros, & sic localem &

externam corporum conjunctionem, illa tamen externa & localis corporum conjunctio non est de essentia ecclesiæ proprie dictæ ac præcise pro aliquo vere credentium cœtu sumtæ, adeoque nec est ecclesiæ isto modo acceptæ forma.

Sine quo enim ecclesia esse potest, illud non est de essentia ecclesiæ, (cum res sine essentia sua, & absque eo, quod ad essentiam pertinet, esse nequeat.) Atqui ecclesia proprie dicta, & præcise pro aliquo vere credentium cœtu accepta, sine externa & locali corporum conjunctione esse potest (cum congressus sacri non tantum instituantur statis saltem temporibus, & vicissim solvantur, verum etiam persecutionis tempore, vel per impedimenta alia nonnunquam prorsus intermittantur.)

Th. XXXVI.

Finis ecclesiæ (qui & Effectus ejus certo respectu dici potest) est mutiplex: nempe 1. regeneratio aliorum plurium (seu aliorum fidelium plurium productio) 2. eorum, qui jam sunt in ecclesia, sanctificatio, adeoque fidelium nutritio & conservatio 3. membrorum ecclesiæ æterna salus.

§. 1. Ante omnia observandum hic probe est, quod in thesi non sit sermo de ecclesia, ut præ-

præcise est aliquis coetus vere credentium & sanctorum in his terris viventium, sed de ecclesia, quatenus est coetus, qui non solum fidelibus & sanctis congregatis constat, sed & includit ministerium publicum, per quod in conventibus publicis docetur verbum DEI, & administrantur Sacramenta.

§. 2. Effectus illos, quos thesis nostra recenset, ecclesiæ modo jam commemorato acceptæ recte tribui, ex eo demonstramus, quod ecclesia, quando per ministros suos Verbum DEI prædicat, & Sacramenta administrat, tunc alios plures regeneret, eos, qui in ipsius sinu sunt, sanctificet, fideles nutriat & conservet, suaque membra ad æternam salutem perducat, quia a Verbo prædicato & Sacramentis administratis regeneratio, sanctificatio, fidelium nutritio & æterna membrorum ecclesiæ beatitudo effective pendent.

§. 3. Illi, quos thesis nostra ecclesiæ tribuit, effectus sunt etiam ecclesiæ *finis*, h. e. id, cujus efficiendi ac consequendi causa DEUS ecclesiam colligit & conservat. Nisi enim dicere velis, casu evenire, ut tot tantique effectus in ecclesia & ab ecclesia producantur, asserendum est, eorum efficiendorum ac consequendorum causa DEUM ecclesiam colligere & conservare.

Th. XXXVII.

Attributa ecclesiæ communiter quatuor constituuntur, primum quidem, quod sit

una, alterum, quod sit *sancta*, tertium, quod sit *catholica*, & quartum, quod sit *apostolicà*.

§. 1. Sequuntur hic scriptores ductum Synodi Constantinopolitanæ primæ, utpote Synodi inter oecumenicas seu universales secundæ, cujus *Patres* in appendice Niceno Symbolo adjecta inter alia profesi sunt, se credere UNAM SANCTAM CATHOLICAM ET APOSTOLICAM ECCLESIAM.

§. 2. Nomine autem *attributi* h. l. intelligitur rei proprietas essentialis, seu id, quod ex rei ratione & natura intrinseca necessario fluit, atque adeo rei necessario & perpetuo competit.

Th. XXXVIII.

Nimirum quævis Ecclesia proprie dicta (sive universalis sive particularis) semper una est absolute & in se (h. e. indivisa) 1. ratione capitis, 2. ratione unionis singulorum membrorum cum capite per fidem, 3. ratione immediatæ membrorum inter se conjunctionis per charitatem in actu primo spectatam, (i. e. per habitualem charitatem, seu per φιλαδελφίαν, quæ est quædam ad amandum quemvis fratrem alium propensio, in singulis fidelibus deprehensa.)

§. 1.

§. 1 Quævis, inquam, ecclesia, proprie dicta, semper *ratione capitis* in se & absolute una est. *Quæcunque* enim *divisionem non habent, qua ratione non habent, unum dicuntur*: ut ipse *Aristoteles* Lib. V. Metaph. C. VI. scribit. Jam vero quævis ecclesia proprie dicta, cum semper unum caput, Christum videlicet, habeat, nunquam ratione capitis divisionem habet. Ergo quævis ecclesia proprie dicta, semper ratione capitis (in se & absolute) una est.

§. 2. Deinde quævis ecclesia, proprie dicta semper una & indivisa est *ratione unionis singulorum membrorum cum capite per fidem.* Quando enim res aliqua, quæ una dicitur, est compositum quippiam ex partibus, tunc ea per hoc est una in se, seu indivisa, quod partes ejus inter se sunt unitæ. Atqui partes ecclesiæ proprie dictæ, nempe credentes & Sancti, per hoc inter se uniuntur ac conjunguntur, quod per fidem uniuntur cum Christo: Membra enim, quæ uni capiti uniuntur, per hanc conjunctionem unius corporis membra sunt, in uno corpore copulantur, atque adeo inter se uniuntur.

§. 3. Porro quævis ecclesia, proprie dicta, semper est una absolute (seu indivisa) *ratione immediatæ conjunctionis membrorum inter se per charitatem in actu primo spectatam.* Quando enim res aliqua, quæ una dicitur, est compositum quid ex partibus, tunc ea per hoc est una absolute, seu indivisa, quod partes ipsius sunt unitæ.

Jam vero omnia ecclesiæ membra semper inter se immediate uniuntur per charitatem in actu primo spectatam, quia ecclesia in intrinseca sua ratione componitur non nisi ex fidelibus, cum fide autem nexu individuo conjuncta est charitas erga alios fideles in actu primo spectata.

§. 4. Dico autem notanter, membra ecclesiæ inter se *immediate* conjungi per charitatem. Membra enim ecclesiæ proprie dictæ etiam per fidem inter se conjunguntur, verum non immediate, (cum fides pro objecto habeat solum Christum, & homo sua fide ipsi soli adhæreat,) sed mediate & interveniente unione cum Christo, cum per fidem uni capiti uniantur, & per consequens unionis corporis membra sint.

§. 5. Alii equidem Theologi docent, quamvis ecclesiam, proprie dictam, unam & indivisam esse quatur modis aliis, nempe (α) ratione ejusdem principii vocantis, DEI, (β) ratione ejusdem finis ultimi, qui sit æterna salus (γ) ratione eorundem mediorum, Verbi nimirum & Sacramentorum, (δ) ratione ejusdem spiritus in membrorum ecclesiæ cordibus agentis; Ast quatuor illi modi sub ea unitate comprehenduntur, quæ singulorum membrorum cum capite Christo unionem per fidem importat. Quicunque enim per fidem uni capiti Christo adhærent & uniuntur, illi ab uno DEO ad eandem beatitudinem, cujus eandem spem habent, sunt vocati, eodem DEI Verbo & iisdem Sacramentis a Chri-

a Christo institutis ad conservandam fidem utuntur, eodemque Spiritu Sancto, per fidem in cordibus agente, reguntur.

Th. XXXIX.

Non autem ecclesia, proprie dicta, semper est una & indivisa propter membrorum inter se conjunctionem per charitatem pro actu secundo sumtam.

§. 1. Charitas enim in actu secundo spectata, (quæ fraternam communionem per mutua officia in externo vitæ consortio exhibita importat) adeoque etiam membrorum ecclesiæ per ejusmodi charitatem inter se conjunctio, quandoque per varia impedimenta, vel ex infirmitate connata, vel ab admixtis hypocritis & malis provenientia inter fideles sufflaminari seu tolli solet.

§. 2. Licet vero ecclesia non semper sit una propter membrorum inter se conjunctionem per charitatem in actu secundo spectatam, ecclesia tamen, in qua datur illa conjunctio, propter ipsam una in se, & indivisa recte dicitur. Quamdiu enim in toto aliquo partes divisionem non habent, & qua ratione non habent, tamdiu & eadem illa ratione ipsum illud totum indivisum manet.

Th. XL.

Nec vero unitas, quæ in consensu de doctrina Evangelii, & in professione ejusdem

dem doctrinæ fundata est, semper in ecclesia proprie dicta (sive universali, sive particulari) datur.

§. 1. Dissensiones enim in doctrina frequenter oriuntur non tantum ex infirmitate fidelium, sed multo magis Satanæ opera per hypocritas & malos, qui falsas doctrinas disseminant, aut sævitia & fraudibus veram doctrinam, ejusque professionem opprimunt. Vid. *Musæus* in Tr. de Eccl. P. II. Disp. I. §. CXLII.

§. 2. Quamvis autem ecclesia non semper sit una quoad professionem ejusdem doctrinæ, ecclesia tamen, in qua consensum illum deprehendimus, propterea recte dicitur una in se, & indivisa. Quæcunque enim divisionem non habent, qua ratione non habent, unum sunt. Atqui ecclesia, quatenus unam doctrinam profitetur, ratione professionis doctrinæ divisionem non habet.

Th. XLI.

Adparet igitur manifeste, nec unitatem, quæ immediatam membrorum inter se conjunctionem per charitatem in actu secundo spectatam importat, nec unitatem, in externa ejusdem doctrinæ professione fundatam, esse attributum ecclesiæ proprie dictæ.

Hactenus enim ostensum est, duos illos uni-

unitatis modos non convenire perpetuo ac necessario ecclesiæ proprie dictæ: At vero attributum competit rei perpetuo ac necessario, cum ex essentia & intrinseca natura rei necessario fluat.

Th. XLII.

Licet igitur nec unitas, quæ immediatam membrorum inter se conjunctionem, vi charitatis in actu secundo spectatæ factam, importat, nec unitas, quæ in externa doctrinæ professione fundatur, non sit ecclesiæ proprie dictæ attributum, adeoque ad esse ecclesiæ non requiratur, requiritur tamen ad bene esse ecclesiæ, & adesse merito debebat.

Fideles enim, qui junctim sumti ecclesiam intrinsece constituunt, in doctrina fidei, ejusque professione externa consentire, ac charitate mutua se invicem complecti, seu mutua sibi officia in externo vitæ consortio actu & reapse exhibere omnino decet. Hanc enim unitatem Scriptura Sacra passim inculcat.

Th. XLIII.

Quamvis vero duplex illa unitas in quavis ecclesia adesse, & ad bene esse cujusvis ecclesiæ requiratur, non tamen ad ecclesiam universalem, ac ne quidem ad quamcunque ecclesiam particularem, inprimis ampli-

ampliorem, *unitas ratione eorundem rituum* usitatius sic dictorum (h. e. ratione eorundem institutorum humanorum, quæ ordinis in ecclesia conservandi causa introducta sunt) exigitur.

Nam (1) cum ritus, usitatius sic dicti, ob id ipsum, quod non a DEO, sed ab hominibus ordinati sunt, in se ita sint comparati, ut citra legis divinæ violationem in ecclesia possint fieri & non fieri, necesse sane non est, ut ubique in ecclesia similes ritus & ceremoniæ vigeant. (2) Sicut leges civiles ad rerum publicarum, in quibus locum inveniunt, statum accommodatæ, atque adeo in diversis diversæ esse debent: Ita ritus, cum propter ordinem & ædificationem ecclesiæ sanciantur, ac proinde ad cujusque ecclesiæ statum & conditionem accommodati esse debeant, pro populorum, nationum, locorumque diversitate non solum possunt, verum etiam sæpe debent esse diversi.

Th. XLIV.

Ad attributa ecclesiæ *universalis* spectat quoque unitas exclusive sumta, quæ in eo consistit, quod ecclesia illa simpliciter & in rerum natura sit una tantum, seu unica.

Cum enim illud, quod simpliciter & in tota rerum natura unicum est, dupliciter accipiatur, nempe (1) præcise in oppositione ad plures ejus-

ejusdem speciei seu rationis res coexistentes, ut denotet id, præter quod nunc non existit aliud ens ejusdem speciei ac rationis. 2) in oppositione ad plures ejusdem speciei res tum coëxistentes, tum sibi invicem succedentes, notetque illud, præter quod neque nunc existit, neque exstitit, neque unquam existet aliud ens ejusdem rationis, sane universalis ecclesia utroque modo est unica. Priori quidem, quia ecclesia universalis sua natura omnes fideles, quotquot in terris existunt, velut sua membra in se complectitur, atque adeo ecclesia universalis non foret universalis ecclesia, si plures simul ecclesiæ universales existerent: Posteriori autem modo est unica, quia nunquam periit aut peritura est non solum propter divinas promissiones *Psal. XLIIX, 9. LXXII, 5.* seqq. *Dan. II, 44. Math. XVI, 18. XXIIX,* ult. sed etiam quod sua natura sit corpus successivum, cujus ut quotidie membra quædam morte decedunt, vel etiam per ἀποστασίαν deficiunt, ita vicissim alia a Christo ejusque spiritu renascuntur, & ecclesiæ per Verbum & Sacramenta inseruntur, quorum accessu universalis ecclesia ab interitu vindicatur.

Thes. XLV.

Ex eo quod universalis ecclesia sit perpetua, nec unquam prorsus in his terris peritura, oppido manifestum evadit, universalem

salem ecclesiam semper unam numero permanere, etiamsi fideles, ecclesiæ materiam constituentes, non semper numero iidem, sed diversis temporibus numero diversi existant.

Nam ecclesia est ens per aggregationem cum ordine, hujusmodi vero ens unum numero est ac manet semper, quamdiu non totum simul perit, sed non interrupta partium successione conservatur. Conf. nostra *Philosophia prima* pag. 492. seq.

Thes. XLVI.

Quævis ecclesia, proprie dicta, *sancta* est, cum quod sanctum caput habeat, tum quod omnia ipsius membra sancta sint non solum sanctitate imputata (seu sanctitate & justitia Christi per fidem applicata & appropriata,) sed etiam sanctitate intrinseca seu inhærente (quæ in virtutibus christianis consistit)

§. 1. Etsi plures dentur rationes, ob quas unaquæque ecclesia, proprie dicta, adpellari potest sancta, nimirum (α) sanctitas illius *doctrinæ*, quam profitetur ecclesia, (β) *legum* secundum quas vivit, (γ) *sacramentorum*, quibus utitur, (δ) *cultus*, cui addicta est, hic tamen inprimis

mis ob eam sanctitatem, quam thesis nostra memorat, ecclesia quævis sancta denominatur.

§. 2. Constat autem liquido, eam, de qua h. l. inprimis sermo est, sanctitatem ex natura & conceptu quidditativo ecclesiæ proprie dictæ necessario profluere. Ecclesia enim, proprie dicta, formaliter & in sua natura est congregatio vere credentium, & per fidem veram Christo, tanquam Capiti suo, unitorum. Quicunque vero coetus sanctissimo capiti conjungitur, nec nisi membris vera fide, cum qua inhærens iis sanctitas necessariam Connexionem habet, pollentibus constat, is vere denominatur sanctus, tum quia Caput est sanctum, tum quia singula membra veritate salva sancta adpellantur.

Th. XLVI.

Quod ad ecclesiæ *catholicismum* attinet, Ecclesia proprie dicta universalis (h. e. ecclesia pro tota multitudine vere credentium & sanctorum præcise accepta) & quidem ecclesia universalis Novi Testamenti, vocatur *catholica*, tum quatenus ecclesia catholica idem est, quod ecclesia orthodoxa, tum quatenus denotat ecclesiam nullis locorum, populorum, aut temporum cancellis conclusam.

§. 1. Ecclesia orthodoxa vocatur catholica, quia tenet doctrinam catholicam, h. e. doctrinam non recens inventam, sed a Christo & A-

postolis traditam. Hæcce vero doctrina dici consvevit catholica, quatenus τὸ καθολικὸν seu τὸ καθ' ὅλον idem est, ac id, quod est *per totum*: Est enim inde ab Apostolorum temporibus *per totam ecclesiam* unanimi consensu recepta & credita.

§. 2. Ecclesia, ut ad nullum populum aut locum certum alligata, adpellatur catholica, quatenus τὸ καθολικὸν etiam idem est ac id, quod est *per totum*: Illa enim ecclesia *toto terrarum orbe* per omnes populos gentesque diffusa est, vel certe diffundenda.

§. 3. Sic & ecclesia, ut nullis temporum cancellis concluſa, dicitur catholica, quatenus τὸ καθολικὸν, seu τὸ καθ' ὅλον idem denotat ac quod est *per totum*: Durat enim inde a primo sui initio, & *per totum* illud tempus, quo mundus perennaturus est, durabit.

§. 4. Catholicismus ecclesiæ, respectu temporis sic dictus, nihil aliud est, quam *ecclesiæ perpetuitas*.

§. 5. Omnis autem ille, qui ecclesiæ universali tribuitur, catholicismus, ex ejus, natura & essentia necessario dimanat. Quia enim fideles, qua tales, quorum tota multitudo formaliter est ecclesia proprie dicta, eaque universalis, ex doctrina a Christo & Apostolis tradita, quæ per universum orbem omni tempore prædicatur, nascuntur, fit inde, ut ecclesia illa non tantum doctrinam istam fide teneat, verum etiam nullis locorum, populorum, aut temporum cancellis concluſa sit, sed

sed longe lateque se diffundat, ad finem usque mundi perennatura.

Th. XLVII.

Asseri etiam potest de ecclesia proprie dicta particulari, quod sit catholica, quatenus ecclesia catholica idem est, quod ecclesia orthodoxa, minime vero de aliqua particulari ecclesia affirmare licet, quod sit catholica, quatenus ecclesia catholica denotat ecclesiam nullis locorum, populorum aut temporum cancellis conclusam.

§. 1. Ecclesiæ cuivis particulari catholicismum, respectu locorum, populorum, ac temporis sic dictum, denegamus, quia nulla ecclesia particularis sparsa est per totum terrarum orbem, nulla per omnes populos & gentes diffusa, nulla denique habet promissionem, quod perpetuo usque ad finem mundi permansura sit, sed ecclesiæ particulares, determinate & in se spectatæ, omnes deficere possunt, quamvis confuse aliquam credentium multitudinem in orbe manere necesse sit. Confer B. *Musæus* Tract. P. 1 Disp. III. §. LXX.

§. 2. Manifestum autem est, de particulari ecclesia dici posse, quod eo sensu sit catholica, quo ecclesia catholica idem est, quod ecclesia orthodoxa. Hinc apud *Sozomenum* Lib. II. c. XXV. ecclesia Pelusiana *catholica* in Pelusio ecclesia adpellatur.

Th. XLVIII.

Quævis ecclesia Novi Testamenti pro-

prie dicta (sive universalis, sive particularis sit) eo sensu vocatur *Apostolica*, quo ecclesia Apostolica denotat ecclesiam, quæ doctrinam Apostolorum fide amplectitur, & integram tenet.

§. 1. Illud ecclesiæ proprie dictæ prædicatum ex essentia & natura ejus necessario fluit. Ecclesia enim proprie dicta in intrinseca sua natura & ratione est coetus vere credentium & sanctorum, Christo, Domino ac Capiti suo, per veram fidem unitorum: Ast omnes Novi Testamenti fideles, qua tales, sive seorsim sive junctim sumti, doctrinam Apostolorum amplectuntur, integramque tenent, cum fides vera in doctrina Apostolica fundetur, atque per eam efficiatur, & conservetur. Quod si igitur omnes Novi Testamenti fideles, qua tales, doctrinam Apostolicam fide amplectuntur, profecto etiam omnis tempore Novi Testamenti existens coetus fidelium, Christo per veram fidem unitorum, seu ecclesia proprie dicta Novi Testamenti doctrinæ illi per fidem adhærebit: Coetus enim fidelium, Christo per veram fidem unitorum, quoad rem idem est, quod ipsi fideles, per veram fidem Christo uniti.

§. 2. Quartum hoc attributum, quod ecclesiæ in thesi nostra assignatur, nihil est aliud, quam catholicismus doctrinæ, atque attributo ecclesiæ tertio adæquate non contradistinguitur, nisi in quantum illud catholicismus respectu locorum, populorum, & temporis sic dictum præcise importat. *Thes.*

Th. XLIII.

Frequenter admodum, ut ex dictis patet, inter ecclesiam militantem *universalem*, & inter ecclesiam militantem *particularem* distingui solet. *Universalis* est tota multitudo vere credentium & sanctorum, per fidem veram Christo capiti unitorum; Particularis vero est quorundam, non autem omnium vere credentium & sanctorum congregatio.

§. 1. Fundamentum illius distinctionis in eo positum est, quod tota Christi ecclesia, longe lateque per orbem terrarum diffusa, plures in se contineat vere credentium partiales cœtus, quorum quilibet seorsim sumtus nomen ac rationem formalem ecclesiæ propriæ dictæ habeat. Hinc enim fit, ut, sicut universa multitudo vere credentium & sanctorum, per fidem veram Christo Capiti unitorum, ecclesia universalis dicitur, ita quilibet partialis vere credentium cœtus ecclesia particularis adpelletur.

§. 2. Fundamentum illud minime evertes, si dixeris forte, partialem fidelium cœtum esse partem ecclesiæ toto terrarum orbe diffusæ, partem vero sibi vendicare non posse nomen & definitionem totius. Nam pars totius homogenei sibi utique vendicat nomen & definitionem totius homogenei, prout e. gr. quælibet aquæ pars æque aqua est, diciturque, ac tota aqua. Jam ve-

ro ecclesia universalis in ordine ad partiales fidelium congregationes habet se per modum totius alicujus homogenei (h.e. totius, cujus partes inter se ejusdem naturæ ac rationis sunt, quodq; cum suis partibus ejusdem rationis seu essentiæ est.) Nam ecclesiæ particulares non tantum inter se ejusdem sunt naturæ, cum omnes sint partiales vere credentium & sanctorum congregationes, verum etiam cum universali ecclesia, si præcise ut ecclesia spectetur, eandem habet rationem, cum, sicut ecclesia universalis est vere credentium & sanctorum congregatio, ita etiam quælibet particularis ecclesia sit vere credentium & sanctorum coetus. Hinc ipse *Marcus Antonius de Domin.* Lib. VII. de Rep. Eccles. c. X. n. XXVII. *Ecclesia*, inquit, *catholica & universalis ab ecclesiis particularibus nullo alio differt, nisi sicut totum homogeneum a suis partibus. Quæro enim, Ecclesia quæcunque particularis vel est vere & proprie ac univoce ecclesia: vel non est. Si non est, nisi æquivoce; ergo nulla ecclesia particularis est corpus Christi, seu membrum corporis Christi, cujus caput sit Christus. Ergo nulla particularis Ecclesia mundata est a Christo lavacro aquæ in verbo vitæ: Ergo nulla regitur & vivificatur a spiritu Christi. Si autem est Ecclesia univoce; ergo tota ratio & natura ecclesiæ catholicæ est in quacunque ecclesia particulari.*

§. 3. De ecclesia universali Scriptura Sacra semper loquitur in numero singulari, eamque vel absolute dicit ecclesiam, (prout *Eph.* I, 22. perhibet, Christum esse constitutum ECCLESIÆ *caput*

Put super omnia) vel cum apposito, non quidem cum adjecta restrictione aliqua ad certum locum aut gentem, sed ecclesiam Dei *Act.* XX, 28. 1. *Tim.* III, 15. ecclesiam Christi, *Matth.* XVI, 18. Cujus rei ratio in aprico est. Universalis enim ecclesia, cum per suam naturam sit unica simpliciter & in tota rerum natura, locutionem pluralem non admittit: Nec ferre potest in sermone aliquam ad certum locum aut gentem restrictionem, quia non est ad unum aliquem locum, aut ad gentem unam alligata, sed longe lateque per terrarum orbem diffusa.

§. 4. Ast de ecclesiis particularibus bene etiam possumus loqui in numero plurali, prout *Act.* XVI, 5. ecclesiæ fide confirmatæ fuisse dicuntur: Plures enim dantur ecclesiæ particulares: vel si de una aliqua ecclesia determinate accepta sermo fuerit, vox quidem ecclesiæ usurpanda erit in numero singulari, sed, ut intelligi queat, de quanam ecclesia particulari agatur, adjicienda erit restrictio quædam, sive à loco, in quo continetur, sive a populo, ex quo collecta est, sive alibunde petita, prout *Act.* IIX, 1. particularis aliqua ecclesia vocatur Ecclesia, quæ est Hierosolymis, 1. *Cor.* I, 2. alia Ecclesia particularis dicitur Ecclesia Dei, quia est Corinthi, 1. *Thess.* I, 1. ecclesia alia particularis adpellatur ecclesia Thessalonicensium; Vid. omnino B. *Mus.* Tract. de Eccles. P. II. Disp. I. §. VI. seqq.

§. 5. Nec nisi de ecclesia universali loquitur Scriptura, quando encomia illa insigniora, quod sit *domus Dei*, *columna & stabilimentum veritatis*

1. *Tim.* III, 5. *quod sit domus spiritualis extructa ex lapidibus vivis super lapidem angularem Christum* 1. *Petr.* II, 4. seq. ecclesiæ tribuit, itemque perpetuæ durationis promissionem ecclesiæ factam Matth. XVI, 8. commemorat. Tunc enim non est sermo de hac vel illa ecclesia determinate accepta, sed de ecclesia Christi absolute & simpliciter spectata, quæ quoad rem ipsa universalis ecclesia est.

§. 5. Notandum insuper circa præsentem distinctionem, quod non sit adæquata divisio sed *distinctio inadæquata*. Namque ad adæquatam divisionem requiritur, ut intercedat inter ea, quorum neutrum ex altero constat, aut quorum neutrum includit alterum: Et inadæquata distinctio inter illa est, quorum unum ex altero constat, aut quorum unum in altero includitur. Jam vero ecclesia particularis includitur in ecclesia universali, ut pars in suo toto.

Th. L.

Ecclesia particularis subdividitur in *simplicem* (h. e. ecclesiam, ex aliis Ecclesiis non compositam,) & in *compositam* (h. e. ecclesiam ex aliis ecclesiis constantem.)

§. 1. Non intelligimus hic simplex *absolute* tale, seu id, quod omnis plane compositionis veræ expers est: Sic enim ecclesia simplex non esset ecclesia, cum quælibet ecclesia intrinsece & in sua natura sit congregatio vere credentium & sanctorum, atque adeo veram & realem ex pluribus

cre-

credentibus & sanctis compositionem in intrinseca sua ratione involvat; Sed intelligimus simplex *secundum quid* & in certo genere tale, h. e. id, quod ex aliquibus sui generis non est compositum.

§. 2. In omni autem ecclesia particulari composita (seu in omni ecclesia ex ecclesiis constante) necesse est dari quandam unionem, per quam ecclesiæ plures conjungantur & coalescant in unam: Omnis enim compositio intrinsece importat quandam unionem. Illa vero unio, per quam plures ecclesiæ conjunguntur & coalescunt in unam particularem compositam, fundatur potissimum in *unitate regiminis ecclesiastici*, ut unam Ecclesiam particularem compositam constituere censeantur, quæcunque sub uno regimine ecclesiastico continentur: interdum in *unitate regiminis secularis*, ut in unam ecclesiam particularem compositam coalescere putentur, quæcunque in unius Principis religioni christianæ addicti ditionibus hospitantur; quandoque in unitate *Doctrinæ*, quam ecclesiæ alias distinctæ profitentur. Ecclesia sane aliqua, ex pluribus ecclesiis, mediante unione in unitate regiminis ecclesiastici fundata inter se conjunctis, composita, erat olim *Ecclesia provincialis*, h. e. Ecclesia, quæ ex omnibus totius provinciæ ecclesiis componebatur, & uni alicui episcopo subjecta erat. Quippe ecclesiæ antiquitus pro ratione locorum, in quibus hospitabantur, sub uno regimine ecclesiastico plerumque conjunctæ erant, ut, quæ in una præfectura, diœcesi, aut provincia continebantur, unius

episcopi regimini subessent: Et, quando provincia quædam amplior erat, pluresque urbes præclaras suo ambitu continebat, tunc in diversis ejus urbibus majoribus diversi episcopi constitui solebant, qui tamen in universum uni alicui subjiciebantur, ei videlicet, qui in metropoli seu potiori totius provinciæ urbe Episcopatu fungebatur, ac propterea dicebatur Metropolitanus, cum cæteri simpliciter episcopi vocarentur. Ecclesia vero aliqua, ex pluribus ecclesiis, mediante unione fundata in unitate regiminis ecclesiastici inter se conjunctis, composita, erat e. gr. Ecclesia *orientalis*, itemque *occidentalis*, orientalis enim ecclesia ex pluribus ecclesiis sub imperio orientali hospitantibus componebatur: Et occidentalis constabat ecclesiis pluribus sub occidentali imperio constitutis. Tandem e. gr. ecclesia Lutherana est aliqua particularis ecclesia, quæ ex pluribus ecclesiis, mediante unione fundata in unitate doctrinæ inter se conjunctis, composita est.

Thes. LI.

Solet porro inter ecclesiam *veram* & *falsam*, itemque inter ecclesiam *visibilem* & *invisibilem* subinde distingui.

§. 1. Ut illæ distinctiones plenius intelligantur, & accuratius explicentur, certe hypotheses quædam præmitti debent.

§. 2. Prima hypothesis est: *Cœtus vere credentium & sanctorum, inprimis amplior, in his terris sine admixtis hypocritis & malis vix datur; ille*

ille vero credentium coetus, cui non sancti admixti sunt, est ecclesia synecdochice sic dicta.

§. 3. Secunda hypothesis est: *Ecclesia, quando in veram & falsam distinguitur, in tam stricto sumitur significatu, ut præter fideles congregatos includat etiam ministerium publicum, per quod in conventibus publicis Verbum DEI docetur, & sacramenta dispensantur.*

§. 4. Tertia hypothesis huc redit; *Quando credentium & sanctorum coetui hypocritæ & non sancti admiscentur, id duplici fit modo. Aut enim non sancti ita admiscentur fidelium coetui, ut adhuc vere credentes & sancti potiorem partem constituant: aut admiscentur ita, ut potiorem partem constituant non sancti, in doctrina fidei errantes. Potiorem autem ecclesiæ partem illi constituere dicuntur, penes quos est ministerium publicum suæ, quam mente tenent, doctrinæ conformiter constituere, atque per illud hancce doctrinam in conventibus publicis profiteri, docere, propugnare, & propagare.*

§. 5. Quarta hypothesis est: *Quando in ecclesia aliqua potiorem partem constituunt vere credentes & sancti, tunc ecclesia permanet vera seu pura; quando autem in ecclesia aliqua potiorem partem constituunt non sancti, in doctrina fidei errantes, ecclesia illa evadit falsa seu corrupta, quia tunc Viri heterodoxi publico docendi muneri admoventur.*

Th. LII.

Ecclesia *vera* h. l. idem est, quod ecclèsia pura seu non falsata (h. e. partialis congregatio

gatio sanctorum in qua Verbum pure prædicatur, & recte administrantur sacramenta) Falsa autem ecclesia idem est ac ecclesia corrupta, seu falsata, (h. e. ecclesia, in qua Verbum Dei cum admixtis quibusdam erroribus noxiis publice docetur.]

§. 1 Quemadmodum τὸ verum & τὸ falsum, quatenus de terminis incomplexis, sive rebus ipsis dicuntur, duobus potissimum modis accipiuntur, ut scilicet (1) verum dicatur, quod tale est, quale esse apparet & cognoscitur, (2) verum vocetur, quod pure tale est, quale esse apparet, nec quicquam alieni admixtum habet, falsum vero adpelletur, quod licet aliquatenus & ex parte sit, quod esse videtur, tamen alieni quid, & quod tale non est, quale esse videtur, admixtum habet: ita etiam ecclesia vera & falsa in duplici significatu accipi potest: Videlicet (1) ecclesia vera sumi potest pro cœtu, qui esse ecclesiæ habet, seu qui revera est aliqua vere credentium congregatio; falsa autem ecclesia vocari potest cœtus, qui plane non est ecclesia, pro qua tamen habetur aut venditatur; (2) ecclesia vera accipi potest pro ecclesia pura seu non falsata, falsa vero pro impura, falsata, corrupta. Quam duplicem ecclesiæ veræ & falsæ acceptionem pridem tradidit B. *Gerhardus* in Confess. Cathol. Lib. 1. art. V. C. IV. th. general. d. num. 7.

§. 2. In præsenti negotio, ubi inter ecclesiam veram & falsam distinguimus, tum vera, tum fal-

la

sa ecclesia in posteriori significatu accipitur. Sic &eandem iliam significationem respiciemus, quando dicemus infra, veræ ecclesiæ notas esse puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem. Fieri enim potest, ut cœtus aliquis sit ecclesia vera in priori significatu (h.e. non sit nulla ecclesia, sed revera esse ecclesiæ habeat), nec tamen pura Verbi prædicatione, & legitima Sacramentorum administratione effulgeat.

§. 3. *In* descriptione ecclesiæ veræ, uti hæc in præsenti sumitur, notanter dico (1,), quod sit *partiales* sanctorum congregatio. Nec enim ecclesiæ veræ appellatione indigitamus ecclesiam universalem, quando aliam ecclesiam dicimus veram, aliam falsam. Quippe (a) distinctio hæc inde a sui initio non nisi ad ecclesias particulares applicata fuit. Postquam enim ecclesia in partes plures divisa est, quarum quælibet se veram seu orthodoxum ecclesiam esse dixit, alteram vero heterodoxias accusavit, factum inde est, ut quædam ecclesia vera, quædam vero falsa seu corrupta vocaretur. (b) Cum ecclesia universalis qua talis ad certum locum, populum, aut gentem non sit alligata, sed per totum terrarum orbem diffusa, non potest de ea ex signis & notis quibusdam certo judicari, quod in ipsa *qua tali* Verbum Dei pure doceatur, & Sacramenta recte administrentur. (c) Ad ecclesiam universalem (h. e. ad totam vere credentium multitudinem toto terrarum orbe diffusam, omniumque cœtuum, qui esse

esse ecclesiæ revera habent complexum) pertinent etiam ecclesiæ corruptæ, cum hæc ecclesiæ propter credentes & sanctos, quos includunt, esse ecclesiæ revera habeant.

§. 4. Dico (2.) in definitione ecclesiæ veræ, quod in ea *Verbum Dei pure doceatur, & Sacramenta rite administrentur.* Ubi per puram Verbi prædicationem intelligitur publica fidei doctrina, quæ non involvit errores seu corruptelas, ipsam fidem aut fundamentum fidei sive directe sive indirecte evertentes. Illa enim ecclesia, in qua publice quidem docentur errores, sed qui salvum relinqvunt fidei fundamentum, adhuc (modo etiam Sacramenta recte administrentur) est pura, cui salva conscientia aliquis se associare potest.

§. 5. Dico (3.) quod in ecclesia vera *Sacramenta recte administrentur.* Ubi it idem per rectam Sacramentorum administrationem intelligitur ea dispensatio, cui non est admixta corruptela ipsam Sacramentum substantiam evertens. Ea enim ecclesia, in qua Sacramentorum administrationi aliqua circa ritum aut rem indifferentem occurrens corruptela admiscetur, propterea non dicitur corrupta seu impura.

§. 6. In descriptione ecclesiæ corruptæ dico (1.) eam esse *ecclesiam.* Nec enim ecclesia corrupta nulla est ecclesia, sed esse ecclesiæ revera habet, seu aliquis vere credentium cœtus manet. Nam etiam in ea ecclesia, quæ est corrupta, generantur & conservantur fideles, quatenus nimirum in ea bapti-

ptismus in substantialibus integer infantibus confertur, & Verbum Dei adhuc docetur, noxii autem errores, qui doctrinæ publicæ admiscentur, non æque ad animum penetrant, aut mature eiiciuntur iterum, atque fideles per Dei gratiam vile a pretioso discernunt. Nulla certe tyrannis efficere potest, ut Verbum Dei, & Baptismus juxta institutionem Christi administratus, nullum plane fructum ferant. Verbum Dei enim super & ubivis efficax est ad accendendam in cordibus hominum fidem, non obstante, quod inter docendum etiam doctrinæ falsæ admiscentur: Et baptismus, ubi Christi institutioni conformiter administratur, est & manet lavacrum regenerationis & renovationis, ubicunque etiam administretur. Videlicet sicut in agro, in quo Pater familias bonum semen, inimicus zizania seminavit, ex bono semine triticum bonum progignitur, ita in cœtibus illis, qui ecclesiæ corruptæ nomen habet, ex Verbo Dei adhuc prædicato seu prælecto, etiamsi inter prædicandum errores noxii admisceantur, fides concipitur, si nempe errores illi non æque animo se insinuent, aut vicissim expellantur mature; atque fideles inter pretiosum & vile discernant.

§. 7. Cum igitur in ea etiam ecclesia, quæ est corrupta, Deo nasci possint, & nascantur filii spirituales, hac ratione *ecclesia corrupta* potest esse *fidelium Mater*. Quo nostro asserto reluctamur Pontificiis, quippe qui (ut ex *Henrici Wagnereckii* Anti-Dorscheo p. 321. seqq. & ex *Viti Ebermanni* Parall.

Parall. Eccl. Veræ & Fal. Q. III. p. 42. adparet) inficiantur, *Ecclesiam, quæ non est ex omni parte & puncto vera & pura, posse esse Matrem fidelium.*

§. 8. Quamvis vero in ea eccclesia, quæ est corrupta, seu in ecclesia corrupta materialiter spectata nascantur fideles, non tamen in ecclesia corrupta formaliter sumta, seu in ecclesia corrupta, ut est corrupta, fideles generantur, quia alias dicendum esset, per prædicationem errorum noxiorum qua talem, & per illegitimam sacramentorum administrationem ut talem fideles gigni. Atque illud, quod dicimus fideles non nasci in ecclesia corrupta formaliter spectata, alii sic efferunt: *Fideles non nascuntur ex ecclesia corrupta.*

§. 9. Dico (2) in definitione ecclesiæ corruptæ, quod in ea doceantur credenda *cum admixtis erroribus noxiis.* Hic vero per errores *noxios* intelligo corruptelas doctrinæ, fidem ipsam immediate aut fundamentum fidei evertentes.

§. 10. Dico (3) in ecclesiæ corruptæ descriptione, quod in illa errores noxii *publice* doceantur. De eo enim, an hæc vel illa ecclesia corrupta sit, non est judicandum ex hujus vel illius privati doctoris, qui hujus vel illius ecclesiæ pars est, erroneis opinionibus, sed ex doctrina noxia, quæ in conventibus publicis Verbo DEI admiscetur: Fieri enim potest, ut Doctor aliquis heterodoxus in aliquo coetu hæreat, ut tamen coetus seu ecclesia doctrinam falsam non amplectatur, sed sit vera & pura Ecclesia.

§. 11. In

§. 11. In descriptione ecclesiæ veræ seu puræ tradidi simul ejusmodi ecclesiæ *genuinas & sufficientes notas*, h. e. signa, quæ homini Christiano semper, certo, & infallibiliter ostendunt ecclesiam veram, eamque ab omni ecclesia falsa seu corrupta semper discernunt. Pura quippe, eaque publica Verbi prædicatio, & legitima Sacramentorum administratio veram seu orthodoxam ecclesiam homini christiano, & fideli semper demonstrant certo, eamque a falsis seu heterodoxis ecclesiis ubivis distinguunt, cum omnis ecclesia, in qua Verbum DEI pure prædicatur, & Sacramenta recte administrantur, sit vera, pura, & ab omnibus heterodoxis ecclesiis distincta ecclesia, & quæcunque ecclesia est vera seu pura, ea puram Verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem habeat.

§. 12. Quando jam dixi, per veræ ecclesiæ notas intelligi signa, quæ *homini christiano* ecclesiam veram ostendunt, atque hæc signa esse puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem, hoc ipso significavi, sermonem hic esse de notis veræ ecclesiæ, præcise in *ordine ad hominem christianum sic dictis*, h. e. de illis signis, quæ non homini pagano, sed Christiano veram ecclesiam cognoscendam exhibent. Nemo enim ex pura Verbi prædicatione & legitima Sacramentorum administratione certo cognoscere potest, quænam inter ecclesias per schismata distractas, quarum quælibet se pro vera Christi ecclesia venditat, & alias, a quibus divisa

est, execratur, vera sit, nisi prius divinam Scripturæ Sacræ originem, & contentam in ea veram doctrinam christianam intelligat & credat.

§. 13. Litem hic nobis movent *Pontificii*, qui, quamvis negare non audeant, omnem illam ecclesiam, quæ puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem habet, esse veram, dicunt tamen, puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem non esse notas vere ecclesiæ *sufficientes*. Verum enim vero quæcunque signa ita simpliciter connexa sunt ut, cum vera ecclesia reciprocentur, ipsisque positis ponatur, sublatis tollatur vera ecclesia, illæ utique sunt genuinæ & sufficientes veræ ecclesiæ notæ. Atque ea puræ prædicationis Verbi & legitimæ Sacramentorum administrationes cum vera ecclesia connexio manifestissima est: uti in paragrapho proxime præcedente jam docuimus.

§. 14. Objiciunt hic (1) Pontificii, (nominatim *Guilielmus Bailius* in catech. controv. Tract. II. Qu. VII. *Thomas Stapletonus* Dem. priv. fid. L. I. C. XIX. seqq. *Adamus Tannerus* T. III. Theol. Schol. Disp. I. Qu. III. Dub. 3.) *notas veræ ecclesiæ sufficientes prius oportere esse cognitas, quam ecclesia vera nobis innotescat, aut ecclesiam veram prius cognosci, quam de Veritate Doctrinæ fidei, seu de puritate publica prædicationis Verbi constare possit.* Sed negamus omnino, prius oportere cognosci, hanc vel illam ecclesiam esse veram seu puram, quam constet nobis, in hoc vel illo coetu

Ver-

Verbum DEI pure seu sine admixtis erroribus prædicari. Quando enim controvertitur inter diversas ecclesias, quænam vera sit ecclesia, impossibile est cognoscere, utra sit vera vel falsa, nisi prius cognitum sit, ubinam pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio locum habeat. Excipiunt quidem hic Pontificii, *ab ecclesia vera primum discendum esse, quænam sit pura Verbi prædicatio, ac proinde ecclesiam veram oportere esse prius cognitam, quam de puritate doctrinæ fidei nobis constare possit*: Sed & hic negamus, ab ea vera ecclesia, de qua quæritur, utrum vera sit ecclesia? primum discendum esse, in ipsa Verbum DEI pure ac sincere prædicari, aut quænam in genere sit Verbi DEI prædicatio. Nec enim ex ecclesiæ alicujus testimonio disci quid certo potest, nisi prius de ejus veritate seu puritate liquido constet: ast vero determinatæ alicujus ecclesiæ veritas non potest cognosci, nisi prius cognoscamus, in ea Verbum DEI pure prædicari, & Sacramenta rite administrari. Cæterum in hac vel illa ecclesia, de cujus veritate disputatur, puram Verbi prædicationem locum habere, optime cognoscimus ex natura fidei salvificæ aut ex fundamento illius fidei, si nempe ad hanc normam dogmata, quæ in ecclesia hac vel illa prædicantur, exigamus & examinemus. Ea enim ecclesia Verbum DEI pure prædicat, quæ nullum tradit dogma, quod fidem aut fundamentum fidei evertit.

§. 14. Objiciunt (2) *Pontificii*, genuinas & sufficientes veræ ecclesiæ notas esse veræ ecclesiæ

proprias, puram vero Verbi prædicationem, itemque legitimam Sacramentorum administrationem, omnibus sectis communem esse, cum omnes sectæ & ecclesiæ, etiam falsæ, de puritate doctrinæ & legitima Sacramentorum administratione glorientur. Vid. *Suarezius* Disp. IX. de Fid. sect. IX. n. 1. *Jodocus Keddius* in Glaubens Spiegel/Probierstein/Nihil ad rem, Schuldforderung/ & schedis aliis. Sed resp: Pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio minime sunt ecclesiæ veræ cum falsa communes, sed soli veræ ecclesiæ revera competunt. Quæcunque enim ecclesia puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem habet, ea est vera, non autem falsa ecclesia. Certe vana de aliqua re gloriatio non facit eam rem cum gloriantibus revera communem: Alias enim etiam veritas seu puritas ecclesiæ heterodoxis ecclesiis, quæ se pro veris venditant, cum veris ecclesiis communis foret, adeoque etiam falsæ ecclesiæ essent veræ. Ipse sane *Bellarminus* concedit, notas illas falsis ecclesiis non esse communes, sed veræ ecclesiæ proprias, quando *Lib.* IV. de *Eccles. milit.* c. 1. ait, eas esse hæreticorum sectis communes saltem ipsorum *opinione*. Quod enim opinione tantum commune est, id revera eis commune non est. Dicis: *Si etiam falsæ ecclesiæ jactitant, se puram habere Verbi prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem, sequitur, quod ex pura Verbi prædicatione & legitima Sacramentorum administratione ecclesia*

clesia vera non possit certo cognosci. Nos vero respondemus, falsam signorum arrogantiam non tollere genuinum signorum usum, eorumque certitudinem.

§. 15. Objiciunt (3) *Pontificii*, genuinas & sufficientes veræ eccleſiæ notas a vera eccleſia inseparabiles esse, puram autem Verbi prædicationem non esse inseparabilem a vera eccleſia, cum in eccleſia Corinthiorum 1. *Cor. XV.* 12. resurrectio mortuorum negata, & in eccleſia Galatarum observatio legis Mosaicæ & justificatio per opera illius eccleſiæ *Gall. III.* inculcata fuerit. Resp: Puram Verbi prædicationem habuit cum eccleſia Corinthiaca, tum Eccleſia Galatarum, etiamsi in urbeCorintho resurrectio mortuorum negaretur, & apud Galatas observatio legis Mosaicæ & justificatio per opera illius legis inculcaretur. Eccleſia enim puram Verbi prædicationem retinere censetur, quamdiu in conventibus publicis Verbum DEI pure docetur. Ast nec Corinthii, nec penes Galatas error noxius in conventibus publicis inculcabatur, sed unus vel alter apud Corinthios & Galatas a puriore doctrina recedebat. Quod enim ad Corinthiorum errorem attinet, Paulus 1. *Cor. XV.* notanter scribit: *Quomodo dicunt QUIDAM inter vos, non esse resurrectionem mortuorum?* Nec apud Galatas istum de lege Mosaica errorem eccleſia recipiebat, sed Pseudo-Apostoli obtrudere conabantur.

§. 16. Non solum autem eas, quas nos veræ seu puræ eccleſiæ tribuimus, notas rejiciunt

Fontificii, sed & alias esse docent, contendentes quippe, ex his veram puramque ecclesiam rectius cognosci posse. Quanquam illi in assignando earum numero mire dissentiant, dum alii unam tantum, alii duas, alii tres, alii quinque, alii duodecim, alii (quos inter *Bellarminus* Lib. IV. de Eccles. c. IV. seqq. eminet) quindecim statuunt. Verum enim vero illæ Pontificiis sic dictæ notæ aut plane non conveniunt ecclesiis veris, aut si illis conveniunt quadantenus, notarum rationem tamen in ordine ad eas non habent, aut denique cum notis, quas Protestantes ecclesiis veris assignant, coincidunt. Quæ omnia ex instituto & exquisite demonstravit *B. Bechmannus* in *Theol. Polem.* P. III. Loc. V. sect. III. §. 4. seqq. Conferatur hic *B. Joh. Musæus* in Colleg. Anti-Becan. Disp. X. Qu. II.

Th. LIII.

Quod si igitur genuina ac sufficientes veræ ecclesiæ notæ sunt pura Verbi divini prædicatio & legitima Sacramentorum administratio, liquet porro, Lutheranam ecclesiam esse veram. Romanam vero hodiernam falsam ecclesiam. Namque in Lutherana ecclesia pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio deprehenditur, in Romana vero ecclesia multi noxii, ipsamque fidem aut fundamentum fidei destruentes errores prædi-

prædicantur, & ipsa Sacramenti Coenæ substantia evertitur.

§. 1. In ea ecclesia ipsam Sacramenti Coenæ substantiam subverti, ex Loco Theologico de *S. Coena* superius tradito liquidissime constat. Ibi quippe evictum est, aliquam Sacramenti illius partem substantialem esse vini benedicti distributionem & bibitionem: Ast ipsum *Tridentinum concilium* Sess. XXI. can. 11. eum anathema esse jubet, quis dicit, *Ecclesiam Romano-Catholicam non justis causis & rationibus adductam fuisse, ut laicos atque etiam Clericos non-conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse.*

§. 2. Ut copiosius pleniusque nunc exponamus, quos noxios ipsamque fidem aut fundamentum fidei evertentes errores illa ipsa ecclesia profiteatur, instituti præsentis ratio non patitur. Id quippe in nostro, quem molimur, tractatu de *Concordia Ecclesiastica* ex instituto, adjuvante DEO, ostendemus. Nunc vero allegasse sufficiat, *quod Augustana Confessionis Apologeta* pag. 148 hunc in modum contra Pontificios scribit: *Pleraque istorum, qua adversarii nostri defendunt, fidem evertunt, ut quod damnant articulum de remissione peccatorum, in quo dicimus, fide accipi remissionem peccatorum. Manifestus item & perniciosus error est, quod docent adversarii, mereri homines remissionem peccatorum dilectione erga DEUM ante gratiam. Nam hoc quoque est tollere fundamentum, hoc est Christum. Item quid opus erit si-*

de, si sacramenta ex opere operato sine bono motu utentis justificant.

§. 4. E contrario in Lutherana Ecclesia puram Verbi divini prædicationem, & legitimam Sacramentorum administrationem vigere, (h. e. nullam doctrinæ corruptelam, quæ fidem ipsam, aut fidei fundamentum evertit, corruptelam nullam, quæ ipsam Sacramenti alicujus substantiam destruit, inveniri) *inductione* probari potest. Si quis enim omnes doctrinæ *Lutheranæ* articulos ad Scripturam Sacram, tanquam ad infallibilem credendorum regulam examinet, deprehendet oppido, omnia *Lutheranorum* dogmata vel totidem verbis in ea reperiri, vel per immotam & liquidam consequentiam ex ipsa deduci. Et si quis Sacramentorum administrationem, quæ in Ecclesia Lutherana peragitur, penitius expendat, intelliget oppido, eam institutioni Christi per omnia esse conformam.

§. 3. Cæterum Sophisticum plane, & quod ex supra dictis negotio facili dilui potest, argumentum est, quod Jesuita *Forerus* in *Umbella* pag. 33. ad comprobandam ecclesiæ Pontificiæ puritatem hunc fere in modum contexit: *Si ecclesia Pontificia ante Lutherum per mille annos fuit vera ecclesia, sequitur, quod illa puram Verbi prædicationem & legitimam Sacramentorum administrationem habuerit, adeoque errores contra fundamentales articulos fidei non docuerit.* Cujus argumenti antecedens inde probat *Forerus*, quod alias nulla fuisset vera Christi Ecclesia in mundo per mille

annos

annos; Consequentiam vero ex eo confirmare annititur, quod omnium Ltuheranorum consensu notæ genuinæ ac sufficientes veræ ecclesiæ sint pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio. Nimirum probati jam argumenti antecedens negamus, *si ecclesia vera* idem est, quod ecclesia pura. Neque vero antecedens illud eo sensu acceptum exinde probare poterunt *Pontificii*, quod dicunt forsitan, neminem ante Lutherum per mille annos salvatum esse, si ecclesia Pontificia ante Lutherum non fuisset pura ecclesia. Nam in illa quoque ecclesia, quæ corrupta est, nasci possunt & nascuntur vere fideles. Quod si autem *Ecclesia vera* in præsenti argumento contradictorie opponatur ecclesiæ falsæ, dicaturque ea, quæ non est nulla ecclesia, concedimus quidem antecedens, sed consequentiam negamus. Nec enim pura Verbi prædicatio & legitima *Sacramentorum* administratio ecclesiæ veræ eo sensu acceptæ sufficientes ac genuinæ notæ sunt, cum non in omni cœtu, qui non est nulla ecclesia, pura Verbi prædicatio & legitima Sacramentorum administratio locum habeant. Vid. B. noster *Graverus* in Tom. I. Disp. Anti-Jesuit. Disp. III. Th. 28.

§. 6. *Becanus* insuper, ut Ecclesiam Romanam puræ seu veræ ecclesiæ rationem habere probet, *Lib. I. Manual.* cap. III. non urget tantum, *Romanam ecclesiam a tempore Apostolorum usque ad nos mansisse sine interruptione & sine errore, sed & ecclesiam visibilem Christi non posse deficere aut*

errare in fide contendit. Aſt vero quod ad prius attinet aſſertum, *Jeſuita* manifeſto petit id, quod eſt in principio: Id enim, quod negamus, & de quo inter nos & Pontificios diſputatur, loco probationis adfert. Sic & alterum ejus aſſertum falſiſſimum eſſe regerimus.

§. 7. Uti vero *Pontificii* eccleſiæ ſuæ puritatem nulla ratione idonea evincere valent; ita Lutheranam eccleſiam corruptam eſſe, vaniſſimis argumentis comprobatum eunt. Nulla ſane conſequentia argumentationi ſubeſt, cum *Bellarminus* Lib. IV. de Eccleſ. c. VII. ſic fere concludit; *Eccleſia Lutheranorum non eſt diſperſa per totum terrarum orbem. Ergo non eſt vera Eccleſia* Quando enim eccleſiam Lutheranam veram eſſe docemus, per eccleſiam veram intelligimus eccleſiam particularem puram; Sed vero ad talem eccleſiam, ut per totum terrarum orbem diſperſa ſit, minime requiri in aprico eſt. Sic & nulla adparet conſequentia, quando *Forerus* in Bello Ubiquitiſtico, *Adam Contzenius* im neuen Evangeliſchen Jubel-Jahr / *Chriſtianus Conſcientioſus*, (ſub quo nomine aliquandiu latuit, poſtea autem ſe prodidit *Johannes Schefflerus* Apoſtata) ita argumentantur: *In eccleſia Lutheranorum varia ſunt Diſſenſiones: Ergo eccleſia illa non eſt eccleſia vera, ſed falſa, qua tota fugienda aut deſerenda.* Quamvis enim diſſenſiones inter Theologos, Auguſtanæ Confeſſioni addictos, ſubortæ ſint, propter eas tamen ipſius Lutheranæ eccleſiæ veritas non eſt ſublata, ut con-

consortium cum ipsa fugiendum aut deserendum sit. Nam etiam in primitiva ecclesia Pseudo-Apostoli, Nicolaitæ, & alii ab orthodoxis dissentientes consurgebant, quin imo ipse Petrus dissentiebat a Paulo, nec tamen durante illa dissensione primitivæ ecclesiæ veritas sublata erat. Vid. hic omnino ex nostratibus *Theologi Elect. Saxon.* in der Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels cap. XLIV. pag. 624. seq. cap. XLVI. pag. 641. cap. LXII. pag. 790. seb. *B. Andreas Keslerus* in Responsione, *Bello* Ubiquitistico Foreri opposita, & *B. Valentinus Alberti* in peculiari scripto contra Christianum conscientiosum edito, §. 82. seqq.

§. 8. *Pontificii porro* ad impugnandam Lutheranæ ecclesiæ veritatem prætendunt (a) *ecclesiam Lutheranam ortam demum esse tempore Lutheri*, (b) *existere sine episcopis*, (c) *amplecti antiquas hæreses*, (ut Simonis Magi, Florini, Peputianorum, Procli, Donatistarum, Nestorianorum &c.) (d) *in ipsa miracula non patrari*. Sed omnes hasce objectiones in Theologia Polemica Part. III. Loc. V. controv. V. sect. III. solidissime examinavit B. *Bechmannus*, qui omnino videatur.

§. 9. Quamvis igitur Lutherana ecclesia sit vera & pura ecclesia, non tamen eam venditamus pro ecclesia Christi universa, sed fatemur, eam esse ecclesiam particularem, extra quam aliæ dentur ecclesiæ, in quibus aliqui vere credentes & sancti, ad ecclesiam Christi universam con-

constituendam pertinentes, continentur, utut prædicatio Verbi divini, & Sacramentorum administratio in illis non sit per omnia pura & incorrupta.

Thes. LIV.

Atque ex eo, quod in Romana ecclesia hodierna errores noxii, ipsamque fidem aut fundamentum fidei evertentes prædicantur, & ipsa Sacramenti Cœnæ substantia destruitur, manifestum prorsus evadit, *ecclesiam illam ab antiqua Apostolica vereque Christiana puritate salutaris doctrinæ fidei, cultus & Religionis defeciſſe.*

§. 1. Antiqua enim Apostolica vereque Christiana salutaris doctrinæ fidei, cultus & Religionis puritas omnes errores noxios, omnes corruptelas ipsam Sacramenti alicujus substantiam evertentes excludit.

§. 2. Ex ipsis scriptoribus pontificiis consurrexere nonnulli, qui Romanæ ecclesiæ hodiernæ apostasiam professi sunt. Quippe *Petrus Aliacensis* in Constantiensi concilio palam asseruit, *Romanam ecclesiam a multis annis corruptam, in fide & moribus opus habuisse reformatione.* Extat quoque peculiaris liber *Nicolai de Clemangis*, qui *de corrupto Romanæ ecclesiæ statu* ex instituto agit. *Sic & Cassander in Consultat.* art. VII. disserte scribit: *Præsens hæc Ecclesia non parum in morum & disciplinæ integritate, adde etiam in doctrinæ sinceritate,*

te, ab antiqua illa, unde orta & derivata est, dissidet.

§. 3. Quando vero Jesuitæ ad asserendam omnimodam hodiernæ ecclesiæ Romanæ puritatem, eamque ab omni defectione vindicandam rationes varias conquisivere, apud nos adversus ista molimina in publicum prodierunt plura solidissima, & lectione diligenti dignissima scripta, inter qua mirifice excellunt B. *Nicolai Hunnii* Pellis Ovina Romanæ ecclesiæ detracta, itemque ejusdem Apostasia Romanæ Ecclesiæ, ut &, Ecclesia Romana non Christiana, B. *Höpffneri* Disp. duæ de Apostasia Romanæ Eccles. in Fascic. Disp. pag. 63. & 105.

Th. LV.

Ex eo porro, quod extra Ecclesiam Romanam in Lutherana Ecclesia Verbum Dei pure prædicatur, & Sacramenta legitime administrantur, clarissime liquet, extra Romanam ecclesiam dari salutem.

Si enim extra ecclesiam veram etiam in ecclesia corrupta ob Verbi & Baptismi efficaciam aliqui possunt salvari, & salvati sunt, multo magis extra ecclesiam corruptam, qualis est Pontificia, in ecclesia vera, seu in ecclesia puram Verbi prædicationem & legîtimam Sacramentorum administrationem habente, cujusmodi est Lutherana, salus dabitur.

Thes.

Th. LVI.

Quamvis vero adhuc hodie per Dei gratiam detur ecclesia pura, (h. e. aliqua hominum congregatio, in qua per incorruptum ministerium pure docetur Verbum, & Sacramenta legitime administrantur,) fieri tamen potest, ut illa prorsus deficiat.

§. 1. Fieri enim potest, ut doctrina publica invalescentibus hæresibus aut persecutionibus nusquam pura sonet, atque hac ratione ecclesia pura tota deficiat. Fieri autem posse, ut hæretici ac veræ ecclesiæ persecutores ubique locorum dominentur, atque adeo prædicatio Verbi pura prorsus deficiat, vel inde constat, quod Christus nusquam promiserit, semper futurum esse aliquem cœtum, in quo per Ministerium incorruptum pure Verbum prædicetur, & Sacramenta recte administrentur, nusquam ecclesiæ proprie dictæ immunitatem perpetuam a dominio malorum hominum publicas doctrinæ corruptelas invehentium promiserit, quin potius in scripturis *Apoc.* XII. 14. seq. cap. XIII, 12. seq. cap. XVII, 2. seqq. cap. XVIII, 3. *Luc.* XVIII, 8. 2. *Thess.* II. 11. prædictum sit, tempore *Antichristi* ubique improbos, & mendacibus ejus doctrinis addictos, dominaturos, & ecclesiam Christi sub Antichristi satellitum ingenti caterva latituram esse.

§. 2. Cadit igitur ea *Pontificiorum* sententia, quæ ecclesiam illam, quæ sit cœtus visibilis, in quo sint Prælati & subditi, statuit nunquam deficere aut

aut errare, ac *ne posse* quidem *deficere* aut *errare in fidei ac morum disciplina tradenda, cum a Spiritu Sancto gubernetur.* Vid. Catech. Trident. edit. Colon. A. 1572. pag. 89. *Bellarminus* L. III. de Eccles. cap. XIII. *Stapletonus* Princip. Fid. Doctr. Demonstr. controv. I. Libr. II. cap. VI. seqq. pag. 45. seqq. *Becanus*, Man. Lib. II. cap. III. Conel. p. 62.

Th. LVII.

Licet autem ecclesia pura, utpote particularis ecclesia, perire possit, fieri tamen nequit, ut tota Christianorum multitudo in creditu necessariis erret, atque adeo tota Christi ecclesia a fidei doctrina vera deficiat.

Universalis enim ecclesia non solum *Matth.* XVI, 18. promissionem habet, quod portæ inferorum ipsi non sint prævalituræ, sed & 1. *Tim.* III, 15. eo ornatur encomio, quod sit columna & stabilimentum veritatis.

Th. LXIII.

Quando porro inter ecclesiam *visibilem* & *invisibilem* distinguitur, tunc ecclesia visibilis sumitur, pro ea ecclesia, quæ certo & infallibili intellectus judicio distincte cognosci potest, contra vero ecclesia invisibilis accipitur pro ecclesia, quæ certo & infallibili

libili intellectus judicio distincte cognosci nequit.

§. 1. Tò visibile h. l. non est idem, ac id, quod sub sensum visus cadit, sed accipitur pro eo, quod certo & infallibili intellectus judicio cognosci potest, sive alias per se sub sensum cadat, sive non: Cujusmodi visibile est e. g. hominis rationalitas, quippe quæ a posteriori & ex certis indiciis infallibiliter cognosci potest, licet per se sub sensum non cadat.

§. 2. Visibile autem, uti h. l. sumitur, vel in ordine ad *confusam*, vel in ordine ad *distinctam* nostram notitiam denominatur, ut visibile vel idem sit ac id, quod certo & infallibili intellectus judicio confuse cognosci potest, vel idem denotet ac quod certo & infallibili intellectus judicio distincte potest cognosci. Quanquam illud, quod in ordine ad distinctam nostram notitiam visibile est, absolute & simpliciter visibile dicatur.

§. 3. Hoc loco igitur, ubi inter ecclesiam visibilem & invisibilem distinguimus, *το simpliciter visibile* intelligitur.

§. 4. Non placet nobis doctrina eorum Theologorum, qui docent, quod, quando inter ecclesiam visibilem & invisibilem distinguitur, per *τὸ* visibile intelligatur *τὸ* confuse visibile, & invisibile sumatur pro eo, quod non est distincte visibile. Membra enim distinctionis debent esse oppositæ: at nulla inter visibile & invisibile oppositio intercedit, si in distinctione per *τὸ* visibile intelli-

telliegatur confuse visibile, & τὸ invisibile sumatur pro eo, quod non est distincte visibile.

Thes. LIX.

Atque eo sensu, qui in thesi proxime præcedente indicatur, ecclesia pura, si consideretur, ut est ecclesia *pura*, est visibilis, si autem spectetur, ut est præcise ecclesia proprie dicta, seu prout nihil dicit nisi coetum vere credentium in terris, est invisibilis. Sic & ecclesia, si sumatur in genere pro hominum christianorum congregatione, in qua per ministerium publicum Verbum DEI docetur, & Sacramenta administrantur, est visibilis: Contra vero ecclesia proprie & præcise sumta, quæ nihil aliud est, quam vere credentium & sanctorum coetus, (& quidem vel universus, vel partialis,] est invisibilis.

§. 1. Ecclesiam puram, si spectetur ut est ecclesia pura, visibilem esse, luculente patet. Ea enim ecclesia est visibilis, (seu certo & infallibili intellectus judicio distincte cognoscibilis,) de qua certo & infallibiliter constat, quinam in individuo sint illi homines, ex quibus ipsa tanquam ex suis membris constituitur. Jam vero de ecclesia pura, ut est ecclesia pura, illud certo & infallibiliter constat. Membra enim, ex quibus ecclesia pura, quatenus est ecclesia pura, constituitur,

sunt illi homines, qui doctrinam incorruptam, quæ in ecclesia pura sonat, exterius profitentur, & Sacramentis Christi recte utuntur: Tales autem homines certo & in individuo cognosci possunt.

§. 2. Ecclesia autem pura, si consideretur ut est præcise ecclesia proprie dicta, non est visibilis. Nec enim de ecclesia pura eo modo spectata certo & infallibiliter constat, quinam in individuo sint homines illi, ex quibus ipsa tanquam ex suis membris constituitur. Ejus namque membra sunt homines vere credentes & sancti, non autem alii: Tales vero homines certo & in individuo cognosci nequeunt, cum exterius hypocritæ eodem modo se gerant, quo vere credentes se gerunt, ut non raro in iis major sanctitatis species, quam in vere credentibus & sanctis, appareat.

§. 3. Etsi vero ecclesia pura, si consideretur ut est præcise ecclesia proprie dicta, absolute & simpliciter visibilis non sit, visibilis tamen est, si hæc vox cum aliquo additamento sumatur, seu *confuse* visibilis est (h. e. de ea certo & infallibiliter nobis constat, in ipsa aliquam vere credentium & sanctorum congregationem revera contineri.) Ubicunque enim dantur congregationes, præsertim ampliores, in quibus Verbum DEI pure docetur, & Sacramenta rite administrantur, ibi aliquos vere credentes & sanctos dari, ex promissione divina, quæ *Es. LV, 10.* commemoratur, certo cognoscimus.

§. 4. Ex jam dictis manifesto quoque adparet,

paret, ecclesiam, proprie ac præcise sumtam, absolute & simpliciter loquendo non esse visibilem. Nec enim certo & infallibiliter nobis constat, quinam in individuo sint illi homines, ex quibus ipsa tanquam ex suis membris constituitur. Ejus enim membra sunt vere credentes & sancti, non vero alii, illi autem certo & in individuo cognosci nequeunt. Si & ex dictis liquet, ecclesiam, proprie & præcise sumtam, confuse visibilem esse, (h. e. certo & infallibili intellectus judicio cognosci posse, quod non tantum in orbe revera detur multitudo vere credentium & sanctorum per fidem Christo capiti conjunctorum, unumque mysticum, spirituale, & vivum corpus cum ipso constituentium, sed etiam hic vel illic aliqua vere credentium & sanctorum aggregatio reperiatur. Namque non solum Christus ecclesiæ suæ immunitatem ab omni totalis interitus periculo *Matth. XVI*, promisit, verum etiam ex promissione divina, quæ *Es. LV. 10*, consignatur, certo & infallibiliter intelligimus, in eo coetu, in quo doctrina Verbi sincere traditur, & Sacramenta juxta institutionem Christi porriguntur & accipiuntur, quosdam renasci, & in fide vera conservari, quamvis, quinam in individuo sint illi vere credentes & sancti, certo cognoscere non possimus.

§. 5. Ecclesia tandem, si sumatur in genere pro hominum Christianorum congregatione, in qua per Ministerium publicum Verbum DEI docetur, & Sacramenta administrantur, absolute & simpliciter visibilis est. Ejus enim membra

iunt homines Christiani, qui ita in uno aliquo coetu consociantur, ut in ipso vel Verbum DEI prædicent, & Sacramenta administrent, vel Verbum DEI prædicatum audiant, & Sacramentis utantur: Quinam vero in individuo sint illi Doctores & Auditores, certo & infallibiliter cognosci potest.

§. 6. De Cætero ex præcedentibus liquet, unam eandemque numero ecclesiam pro diversa consideratione simul posse esse simpliciter visibilem, & simpliciter invisibilem. Nempe ecclesia pura, si consideretur, ut est ecclesia pura, est simpliciter visibilis, si vero spectetur, ut est præcise ecclesia proprie dicta, simpliciter & absolute loquendo est invisibilis.

§. 7. Thesis nostra, huc usque declarata & comprobata, opponitur *Pontificiis*, quos inter Jesuita *Becanus* in Manual. Lib. 1. C. III. n. X. ecclesiam Christi, cujus membra interna fide & charitate uniuntur, comparat cum republica Veneta, & sicut hæc visibilis est, ita illam esse visibilem contendit. Sane hujus comparationis vanitas vel primo intuitu adparet. Hactenus enim dedimus demonstratum, ecclesiæ proprie ac præcise sumtæ membra (nimirum vere credentes & sanctos interna fide & charitate invicem unitos) certo & in individuo cognosci non posse: at vero Venetæ & cujusvis secularis reipublicæ cives tam certo in individuo cognosci possunt, ut omnes ac singuli ostendi digito queant.

Thes. LX.

Th. LX.

Referunt Theologi ad Locum de Ecclesia tractatus de *conciliis*, (quia hæc suo modo repræsentant ecclesiam, ut propterea recte vocentur ecclesia repræsentativa) de *schismate*, (quippe quod tum illi ecclesiæ unitati, quæ in eadem doctrinæ fidei professione externa fundatur, tum ei unitati, quæ actualem communicationem ecclesiasticam seu fraternam, aut domesticorum fidei importat, adversatur,) de *Syncretismo*, (quia hic veræ ac legitimæ unitati ecclesiasticæ repugnat, licet quandoque a suis defensoribus pax, aut concordia ecclesiastica vocetur,) de *Antichristo*, (quia is ecclesiæ veræ immane quantum se opponit, dum illius membra opprimit, & atrociſſime persequitur.)

§. 1. *Concilii* nomine h. l. intelligitur congregatio sacra, seu sacer cœtus hominum in dijudicandis fidei controversiis, atque in iis, quæ ad externum ecclesiæ regimen & bonum ordinem pertinent, instituendis occupatorum. Qui cœtus dicitur congregatio sacra, qui circa res sacras versatur, & propter finem sacrum, nempe propter ecclesiæ ædificationem, Deique gloriam convocatus est.

§. 2. Concilia per hoc repræsentant ecclesi-

am (particularem) quod in iis episcopi, vel Pastores Doctoresque, fidei doctrinam in conventibus publicis profitentes, aut Viri docti, ea, quæ ad εὐταξίαν Ecclesiæ, cum suffragio expresso, vel tacito ecclesiæ seu communitatis, a qua ablegati sunt, statuentes adsunt. Ecclesiæ enim particularis totius & membrorum singulorum communis confessio esse censetur, quæ voce Pastoris editur, cum is doctrinam Christi in conventibus publicis inculcet, atque ad auditorum captum declaret: Ac ea, quæ nomine publico a paucis geruntur & a cæteris rata habentur, ab omnibus geri aut gesta æstimantur.

§. 3. In thesi autem notanter dixi, concilia *suo modo* repræsentare ecclesiam. Nec enim episcopi illi, qui in conciliis congregati fuere, suas ecclesias, ex quibus convocati erant, perfecte ac sufficienter repræsentarunt. Quippe ad ecclesiam præter episcopos spectant etiam presbyteri, Diaconi, & cæterorum ordinum fideles omnes, item que omnes Laici: Sed vero affirmari nequit, quod quilibet episcopus in concilio præsens presbyterorum, diaconorum, & reliquorum cujusvis ordinis fidelium, suo episcopatui creditorum, suffragia de quæstionibus controversis sufficienter requisiverit, & collecta atque conformia, subscriptionibus, ex justa deliberatione plenaque voluntate profectis, confirmata, ac recognita, attalerit. Qua de re *B. Hülsemannus* Præl. in F.C. Art. XVI. cap. XIII. §. 1. 2, 3. p. 866 seqq. & *B. Musæus* in Tr. de Eccl. Part. II. Disp. VII.

VII. §. CXII. erudite disseruerunt. Hinc & non solum *Heilbrunnerus* ecclesiam repræsentativam (perfectam) in Doctoribus negavit, verum etiam, cum Jesuita *Kellerus* dixisset, totam Ecclesiam per Pastores & Doctores repræsentari, B. *Zeamannus* Apolog. Art. XV. c. XXII. Part. II. fol. 566. respondit. So hör ich wohl, die Leyen gehören nicht zur Kirche; Weit / weit weg mit dieser repræsentirenden Larven oder Schein-Kirchen. Nec minus certum est, sæpe in concilio abfuisse aptiores his, qui comparuerant. *Haud dubie enim inter presbyteros & cæteros ordines, quin & inter Laicos reperti fuerunt multi eruditi & in Scripturis bene versati viri, qui nonnunquam suis Episcopis ad hoc negotium aptiores erant, & proinde a concilio, si debuerit in declaranda veritate eas saltem, ex quibus collectum erat, ecclesias repræsentare, excludi nec poterant nec debebant:* Verba sunt B. *Joh. Musæi.* l. c.

§. 4. Repugnat utique (ceu in Thesi jam docuimus) *Schisma* tum illi ecclesiæ unitati, quæ in eadem doctrinæ fidei professione externa fundatur, tum ei unitati, quæ actualem communicationem ecclesiasticam seu fraternam, domesticorum fidei importat. Quæ enim ecclesiæ inter se schismate divelluntur, illæ ecclesiasticam seu fraternam, & qualis est inter domesticos fidei, communicationem omittunt: Prout olim literarum, quas encyclicas appellant, commercium inter ecclesias schismate divisas sublatum fuit.

§. 5. *Per Schisma* igitur, quod unitati eccle-

siæ opponi diximus, non intelligitur quæcunque ecclesiarum divisio seu distinctio. Dantur enim ecclesiæ, quæ divisæ seu distinctæ sunt ratione ministeriorum, & regiminis ecclesiastici aut secularis, nec tamen Schismate invicem divulsæ sunt, eum unitatem quoad actualem communicationem ecclesiasticam seu fraternam, aut domesticorum fidei inter se servent.

§. 6. Intelligitur autem per *Schisma* divisio ecclesiæ in partes, seu distractio ecclesiæ violenta, vi cujus actualis communicatio ecclesiastica seu Fraterna, & qualis est inter domesticos fidei, tollitur.

§. 7. Et quando in thesi nostra de *Antichristo* asserimus, eum ecclesiæ veræ immane quantum per hoc se opponere, quod illius membra opprimat, & atrocissime persequatur, non loquimur de Antichristo generaliter accepto, seu de quocunque Christi adversario, omnique eo, qui doctrinæ Christi adversatur. (Quo sensu etiam quicunque hæreticus est quidam Antichristus, cum dogmata falsa & cum doctrina Christi pugnantia spargat & propugnet; sed de Antichristo *specialiter* sic dicto, h. e. de insigni quodam, & inter omnes Antichristos insigniter notabili Christi adversario, quem Paulus 2. *Thess.* II. 3. seqq. & *Joannes Apocalypsi* describunt.

Th. LXI.

Conciliorum *causa efficiens* (h. e. illi, qui concilia legitime convocant) sunt homines

mines convocantes, ad quos pertinet jurisdictio ecclesiastica externa, ubi Magistratus Christianus est, eidem quoque competit.

§. I. Hinc causa efficiens *Concilii Nicæni* I. (quod & œcumenicum primum erat) fuit Constantinus M. Imperator, qui, majoribus auspiciis opus esse ratus, illud celebrari jussit, postquam controversiæ ac discordiæ inter *A*lexandrum Alexandriæ episcopum, & inter *A*rium, Alexandrinum presbyterum, hujusque fautores exortæ compositionem, Hosio Cordubensi cum literis irenicis (quas integras apud *Eusebium* Libr. II. de vit. Constantin. c. XIV. seqq. vide) Alexandriam misso, frustra tentaverat. Laudatum illud concilium convocasse Glorioſisſimum hunc Imperatorem, non tantum ipsi tunc congregati episcopi in sua Synodica epistola (quæ apud *Socratem* Lib. I. Hist. Eccl. c. IX. & apud *Theodoretum* Hist. Eccl. Lib. I. c. IX. extat) disserte testantur, quando *Deo optimo Maximo, ac pientissimo Principe Constantino ipsos ex diversis civitatibus ac provinciis congregante, Sacram & magnam Synodum Nicæa celebratam esse* affirmant; Sed & exinde manifestum evadit, quod *Eusebius* Lib. III. de Vit. Constan. c. VI. præclare narret, *Imperatorem Constantinum divina velut phalange adversus invisibilem hostem, Ecclesia statum perturbantem, instructa Synodum œcumenicam coepisse, ac Imperatoris præcepto in omnes provincias perlato*

statim cunctos, velut ex transenna emissos, summa cum alacritate advolasse.

§. 2. Sic & concilium Constantinopolitanum I. (quod est œcumenicum secundum) Imperator *Theodosius* Primus sive Senior convocavit: Id quod ex actis ejusdem concilii, ac priscis scriptoribus in nostra de *Legibus ecclesiæ universæ* dissertatione, jenæ ann. 1699. edita, pag. 42, demonstravimus. Hic igitur obstupescimus statim ad impudentiam *Bellarmini*, qui Lib. I. *de Concil. & Eccl.* asserere non erubuit, *Damasum* Romanorum Pontificem, *convocasse quidem episcopos Orientes Constantinopolin, sed ex eo loco postea voluisse eos Romam venire, ubi ipse coegerit Synodum episcoporum occidentalium, ut ibi fieret plenissimum concilium.* Acta enim concilii, & scriptores priſci Imperatorem Theodosium, tanquam convocantem Constantinopolin episcopos, unanimi consensu nominant, Damasi vero, velut eo convocantis, nullam prorsus mentionem faciunt. Nec vero *Bellarmini* assertio exinde comprobatur, quod apud *Theodoretum* Histor. Eccl. Lib. V. c. IX. in epistola ad Damasum aliosque occidentales episcopos Romæ collectos exarata episcopi orientales, subsequente anno Constantinopolin vicissim convenientes, ajunt, *se juxta literas Damasi & aliorum episcoporum occidentalium ad Imperatorem missas in urbe Constantinopoli coivisse.* Isthoc enim dictum nil aliud significat, quam quod Imperator Theodosius post habitam superiore anno Synodum œcumenicam Constantinopo-

nopolitanam (de cujus tamen convocatione hic unice quæstio est) episcopos orientales ex rogatu Damasi aliorumque occidentalium episcoporum denuo Constantinopolin convocaverint: Id quod ipse Jesuita *Heinricus Vaselius* in annot. ad Theodor. Hist. Eccl. Lib. V. c. VIII. differte fatetur. Et sane si ex illo dicto evinci posset, Damasum orientales episcopos evocasse Constantinopolin, eadem consequentiæ vi inferre liceret, a reliquis quoque occidentalibus episcopis orientales Constantinopolin ire jussos fuisse.

§. 3. Concilium porro *Ephesinum* primum, quod est œcumenicum tertium, Imperator *Theodosius* junior seu secundus suopte motu, suaque & imperatoria autoritate, neutiquam vero Romani Pontificis nutu subnixus, imo ne quidem ad ejus petitum, Imperialibus literis gravissimis tum ad Cyrillum, tum ad omnes ubique episcopos, ipsum quoque Augustinum missis, cum ecclesiæ plausu & approbatione congregavit. Quæ asserta omnia in nostra *de Legibus ecclesiæ universæ* dissertatione pag. 74. seqq, ex liquidissimis monumentis comprabata dedimus.

§. 4. Concilium tandem *Chalchedonense*, quod est œcumenicum quartum, Imperator Martianus sua & imperatoria, neutiquam vero Romani Pontificis auctoritate fretus, indixit. Convocaverat equidem Imperator synodum illam generalem primum Nicæam, sed, cum Leonis Romani præsulis legati ipsum, ut concilio præ-

præsens inter esset, enixe rogassent, negarentque, se aliter eo accessuros, episcopos maximam partem jam Nicææ congregatos Chalchedonem transtulit, quo propter loci propinquitatem commodius ad eos excurrere ab urbe regia posset, Confer nostra de *Legibus ecclesiæ universæ* dissertatio pag. 112. seq.

§. 5. Ex eo autem quod concilia quatuor oecumenica non a Romano Pontifice, sed ab Imperatoribus Romanis convocata sunt, luculente patet, jus convocandi concilia non competere soli Pontifici Romano. Alias enim quatuor illa concilia non fuissent legitima, quia concilium ab eo, qui non pollet jure convocandi, convocatum illegitimum est. Vid. Stattl. Ausführung der Ursach, worum Chur-Fürsten und Stände der Augspurgischen Confes. das Concilium zu Trient nicht besuchen können. p. 10. seqq.

Confer. B. *Höpffner* Disputat. VIII. quæ est de Concil. contra *B*ellarm. Cap. II. p. 219. seqq. Fallunt igitur, & Falluntur *P*ontificum Romanorum assecl æ (ut *Cardillus Villalpandeus* in Lib. de Conciliis & Defens. Concil. Trid. Disp. I. & *Scipio Henrici* in Censura Histor. P. Suavis de Concil. Trid. Sect. III. art. p. 149 seqq.) quando facultatem convocandi concilia Magistratui seculari, ipsis etiam Regibus & Imperatoribus denegant, & contra primario *P*ontifici *R*omano, dependenter autem ab eo, & quoad concilia provincialia

cialia ac diœcesaria, Archii-episcopis & Episcopis competere statuunt.

Th. LXII.

Materia ex qua concilii (h. e. Viri, ex quibus tanquam assessoribus concilium legitimum constat aut constare potest) sunt homines rerum sacrarum, de quibus agendum est, periti, pii ac pacis amantes, & potestate eorum, a quibus mittuntur, instructi aut libere electi, sive sint Episcopi sive Presbyteri, sive sint Clerici sive Laici. Quamquam Clerici, si habiles sint, inprimis admitti debeant, quia rerum Sacrarum, quæ in conciliis tractantur, de lege communi quam maxime gnari censentur.

§. I. Thesis hæc opposita est *Pontificiis*, qui *Laicos homines, sacrarum literarum peritos, in concilio universali adhibendos esse* prorsus negant, contendunt autem, potestatem suffragandi in concilio generali ordinarie esse penes *solos Prælatos* h. e. Episcopos & iis superiores Antistites, extraordinarie vero posse & solere Pontificem alias graves personas Ecclesiasticas (cujusmodi sunt Generales religionum seu ordinum religiosorum) ut in concilio sententiam dicant, accersere, tametsi Episcopi non sint. Vid. *Gregorius* de *Valentia P.* VIII. de Anal. Fid. p. 399. & *Scipio Henrici* in Censura Hist. P. Suavis de concil Trid. Sect. III. Art. II. p. 152.

§. 2. The-

§. 2. Theseos nostræ veritas ex eo liquet, quod in concilio Nicæno I. episcopi, sacerdotes & laici, nec non in Synodo Calchedonensi episcopi & laici, tanquam assessores adfuerint. Hinc quippe ita argumentamur: *Si concilium Nicænum I. ex episcopis, presbyteris & laicis, itemque synodus Calchedonensis ex episcopis & laicis tanquam assessoribus constitit, sequitur, quod in quovis concilio legitimo* (generali) *non solum episcopi, sed & presbyteri, imo laici tanquam assessores admitti possint.* Cujus argumenti consequentia ex eo patet, quod duo illa concilia oecumenica haud dubie fuerint legitima. Vt autem argumenti nostri antecedens ea, qua par est, ratione comprobetur, de synodi cum Nicænæ tum Calchedonensis materia EX QVA uberius nunc disserendum.

§. 3. Quod ad Nicæni concilii materiam EX QVA attinet, non tantum *Eusebius* Lib. III. de vita Constantini, cap. VI. memorat, effulsisse ibi *maximam quandam SACERDOTUM coronam ex pulcherrimis floribus contextam*, sed & *Socrates* Hist. Eccl. Lib. 1. c. VIII. refert, episcopos ducentos & amplius adfuisse, presbyterorum vero, Diaconorum, acoluthorum, aliorumque complurium numerum iniri vix potuisse. Nec vero ab ea Synodo plane arcebantur solertes Laici. Namque Imperator ipse domum illam, in qua Synodus habita fuit, cum paucis comitibus ingressus, cum episcopis resedit, Evangelicos & Apostolicos Libros veterumque Prophetarum Oracula, quid sentiendum sit de Deo, a-

aperte

perte nos edocere monuit, cum episcopis veritatis examen suscepit, multas propositas quæstiones patientissime auscultavit, quæ ab utraque parte dicebantur, vicissim adstruxit & adjuvit, alios virationum adductos in suam sententiam traxit, alios oravit & flexit, eosque, qui recte dixissent, laudibus affecit, & universos ad concordiam incitavit, donec tandem eos concordes in omnibus, de quibus antea certabatur, & consentientes efficeret. Vid. *Eusebius* Lib. III. de vita Constantini cap. X. *Socrates* Hist. Eccl. Lib. I. c. IX. *Theodoretus* Lib. I. Hist. Eccl. Lib. I. c. IX. Testatur in super *Socrates*, l. c. C. VIII. complures Laicos, dialecticæ artis peritos, suæque partis patrocinium suscipere paratos tunc adfuisse, cumque Dialectici tunc quibusdam sermonum prolusionibus contra nonnullos velitantes sese exercuissent, ac multi verborum lenociniis fuissent allecti, Laicum quendam ex confessorum tunc præsentium numero, recto ac simplici præditum sensu, cum Dialecticis congressum esse, hisque illos verbis compellasse: *Christus & Apostoli non artem nobis Dialecticam, nec inanem versutiam tradiderunt, sed apertam ac simplicem sententiam, quæ fide bonisque actionibus custoditur*; eiqua talia professo omnes, qui aderant, admiratione perculsos assensisse, Dialecticos vero, simplici sermone veritatis audito, posthac æquiore animo conquievisse, tumultu illo, quem Dialectica concitaverat, penitus compresso.

§. 4. Quod autem ad concilii Calchedonensis

nensis *materiam* EX QVA attinet, *Liberatus* in Breviario causæ Nestorianorum & Eutychianorum cap. XIII. & *Photius* in libello de Synodis, synod. IV. referunt, episcopos sexcentos tringinta in eo convenisse. His vero (ut *Evagrius* Hist. Eccl. Lib. II. c. XVIII & Evagrium exscribens *Nicephorus* Hist. Eccl. Lib. XV. c. XXX. perhibent) accessere magistratus, & ex Senatoribus urbis Regiæ nobilissimi quique, ut magister militum, sacrorum prætoriorum præfectus, Constantinopolitanæ urbis præfectus, sacrorum officiorum magister, & magistri, domesticorum comites, tribunorum & notariorum primicerius, ex senatu vero consules, & præfecti, aliique patricii, quorum nomina in Actis *concilii Calchedonensis* Action. I. IV. & VI. enunciantur. Atque hos Laicos non tantum in causis personalibus judicasse, Acta ubique docent, sed & in ipsa causa dogmatica sententiam dixisse, *Evagrius* & *Nicephorus* ll. cit. narrant. Nec vero huic asserto obstat, quod (ut *Bellarminus* Lib. 1. de Concil. c. XV. objicit) concilii Calchedonensis Patres dixerunt: *Mitte foras superfluos; Concilium episcoporum est.* Illi enim non omnes promiscue excludunt Laicos, sed eos duntaxat, qui superflui erant: Nulla autem collectioni sequela subest, si ita inferas: Laici superflui a concilio sunt arcendi, Ergo Laici plane non sunt admittendi. Ac, quando *concilium episcoporum* esse ajunt laudati Patres, nil aliud significant, quam personas ecclesiastica dignitate ac titulo splendidiore pollentes inprimis admitti debere. Nec

obstat

obstat nobis, quod soli episcopi in isthoc concilio subscripserint. Namque (ut B. *Scherzerus* in Anti-Bellarm. Disp. V. p. m. 318. præclare monet) a negatione subscriptionis ad negationem præsentiæ & voti nulla est consequentia.

Th. LXIII.

Forma concilii (legitimi) est certus aliquis ordo, in eo consistens, quod sub præsidis alicujus auspiciis aut directione a viris authoritate publica convocatis causæ ecclesiasticæ secure, ac libere citra respectum ad autoritatem & commoda humana tractantur, & controversiæ ita ad normam Verbi divini revocantur, ut non nuda tantum decreta, tanquam dictatoria & ἀνυπεύθυνα, obtrudantur ecclesiis, verum, editis integris actionibus & justis disputationibus, simul ostendatur, ex quibus fontibus & fundamentis falsa damnentur, & vera confirmentur, quo judicatio ecclesiæ sit facilior & manifestior.

§. 1. Legitimi concilii formam sitam esse in certo aliquo ordine, ex eo adparet, quod concilium sit ens seu unum quid per aggregationem cum ordine, forma vero entis illius sit ordo, quem ens involvit.

§. 2. Ad concilium legitimum, si quidem in eo conveniens ordo esse debeat, præsidem aliquem

quem seu moderatorem, requiri, vel inde liquet, quod ordo non detur, nisi cum relatione ad primum, primus autem supremusque in concilio vocetur concilii *præses*.

§. 3. Atque eum, quem thesis nostra exponit, ordinem in quovis concilio legitimo servandum esse, *Protestantes* varia editis sctiptis solide docuerunt. Vid. inter alia die stattliche Ausführung pag. 251. seqq. cum Vindiciis in der Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels c. 19. p. 287. seqq. *Chemnitii* Examen concil. Trid. pag. 5. seqq. *Gerh.* Loc. de magistr. §. 204. seqq. Cæterum in Papatu, vel a Pontificiis expectandum nunquam est legitimum aliquod concilium, cum ille procedendi modus, quem regnum Pontificium observat, *formam* totumque ordinem concili legitimi evertat. *Bellarminus* quippe Lib. I. de Concil. Cap. XI. ita scribit: *Sciendum est, Pontificem solere mittere legatos, instructos de sententia apostolicæ sedis, cum ea conditione, ut si concilium consentiet judicio apostolicæ sedis formetur decretum; sin minus differatur decreti formatio, donec Romanus Pontifex consultus respondeat.* Quid? quod episcopi, futuri assessores, juramento adstringendi sint, quo promittant, se ad defendendum Papam contra omnes homines fore adjutores. Cujus juris juvandi antiquior formula in Decr. Greg. tit. de Jure jur. Cap. IV. deprehenditur, recentior autem in Pontificali Romano ita habet: *Nec ero in consilio, in facto, seu in tractatu, in quibus contra ipsum Dominum nostrum, vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua fini-*

siniſtra, vel præjudicialia perſonarum, juris, honoris, ſtatus & poteſtatis eorum machinentur, & ſi talia a quibusdam tractari novero, vel procurari impediam hoc pro poſſe, & quanto citius potero, commode ſignificabo eidem Domino noſtro, vel alteri, per quem ad ipſius notitiam poſſit pervenire.---Hæreticos, ſchiſmaticos & rebelles domino noſtro, vel ſucceſſoribus prædictis, pro poſſe perſequar & impugnabo.

§. 4. Hinc & forma concilii legitimi recte expenſa manifeſtum ſtatim eſt, concilium *Tridentinum* neutiquam habendum pro legitimo concilio. Sublata enim forma res ipſa tollitur: Forma autem legitimi concilii carere Tridentinum concilium, exinde ſtatim adparet, quod in eo cauſæ eccleſiaſticæ non ſint libere citra reſpectum ad authoritatem & commoda humana tractatæ, nec controverſiæ fidei eo, quo par erat, modo ad Verbi divini normam revocatæ fuerint. Vid. præter ſcripta Proteſtantium, in præcedente §. allegata, etiam *Dannhaueri* σύγκρισις Concilii Nicæni & Tridentini, & *Hülſemanni* Manuale Auguſt. Confeſſ. Diſp. XIX. Add. *Petri Suavis* Poloni Hiſtoria, *Joachimi Urſini* & *Innocentii Gentiletti* Examen, & *Joh. Henr. Heideggeri* Anatome concilii Tridentini.

Th. LXIV.

Præſes autem concilii eſt vel *Politicus* (cujus præcipua munia ſunt præſtare colloquentibus ſecuritatem a vi externa, impedire tumultus internos & contentiones, con-

firmare & promulgare decreta, eademque exequi,) vel *Ecclesiasticus* (cui competit munus recte proponendi quæstiones, de quibus deliberetur, postulandi & colligendi vota consignandi decreta.)

§. I. In Concilio œcumenico I. seu Niceno I. præsidem Politicum fuisse Imperatorem *Constantinum Magnum* præter ipsa concilii Acta antiquiores Historici magno consensu tradunt. Quippe *Eusebius* Lib. III. de vit. Constant. c. XII. & XIII. *Theodoretus* H. E. Lib. I. c. VII. *Socrates* H. E. Lib. I. cap. VIII. *Sozomenus* H. E. Lib. I. c. XIX. & XX. narrant, Imperatorem Constantinum palatium illud, in quo episcopi convenerant, ingressum, gravi eos sermone ad pacem atque concordiam fuisse exhortatum, cumque magna controversia in ipso statim principio excitata esset pertinacius certantes paulatim conciliasse, & a contentione revocasse. Speciatim *Theodoretus* l. c. cap. XI. & *Georgius Cedrenus* in Synopsi Histor. Tom. I. fol. 28. perhibent, quod, cum episcoporum quidam insimulassent alios, & accusationum libellos Imperatori obtulissent, ipse libellos hosce in unum fasciculum colligatos & annulo suo obsignatos servari præceperit, postea vero, pace inter ipsos facta, in medium prolatos coram ipsis exusserit, jure jurando affirmans, nihil eorum, quæ scripta essent, a se lectum fuisse, porroque subjiciens, nefas esse, ut sacerdotum delicta ad vulgi notitiam perveniant, atque hinc se,

si

si Episcopum adulterium perpetrantem oculis suis videret, impium facinus paludamento suo obtecturum, ne ejus spectaculum ipsis spectatoribus noxium esset. Ac quod reliqua Præsidis Politici munia, *decretorum* scilicet *synodalium confirmationem*, *promulgationem* & *executionem* attinet, sane ut Nicæna Synodus dogma Arii damnavit, eumque & omnes, qui cum ipso sentiebant, anathemate percussit, & ne Alexandriam ei ingredi liceret, statuit, ita Imperator decreta ista non confirmavit tantum, verum etiam promulgavit atque executioni dedit. Namque in comparabilis ille Princeps in epistola ad Alexandrinam ecclesiam exarata (quæ apud *Socratem* H.E. L. I. c IX. comparet,) profitetur, in Synodo repertum fuisse Arium, quod diabolica fraude ac machinatione insperatus detestandos errores primum in Ecclesia Alexandrina, postea vero apud alios quoque impia mente disseminaverit, illud autem dogma, quod trecentis placuisset episcopis, nihil aliud existimandum esse, quam Dei sententiam, cum in tantorum virorum mentibus insidens Spiritus Sanctus divinam voluntatem aperuerit. Sic & in alia quadam epistola ad omnes ubique episcopos populosque missa (quæ ibidem apud *Socratem* l. c. cap. IX. extat) *placuisse*, ait, *Arium ejusque sectatores Porphyrianos vocari, ut, cujus imitati sunt mores, ejus etiam nomine apellentur, præcipitque, ut, siquis forte liber ab Ario conscriptus reperiatur, flammis ille absumatur, ac illud etiam denuntiat, quod, si quis librum ab Ario composi-*

tum occultasse, nec eum statim oblatum igne combussisse fuerit deprehensus, mortis pœnam subiturus sit. Sic & in epistola ad omnium civitatum Ecclesias perscripta (quam *Socrates* l. c. c. IX. enarrat) disserte exponit, communi omnium sententia decretum esse, Paschatis festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere, atque ut hoc decretum omnes post hac ecclesiæ sancte observent, serio injungit. Ut tandem omnia synodi decreta exequeretur Imperator, tum Arium ipsum, tum sectatores ejus, *Eusebium* atque *Theognin* mulctavit exilio. Vid. *Socrates* l. c. cap. VIII. *Sozomenus* l. c. cap. 22.

§. 2. In eodem illo concilio oecumenico præsidium *ecclesiasticum* plures pariter administrarunt, cum *Eusebius* Lib. III. de Vit. Const. c. XIII. asserat, Constantinum oratione illa, quam ad synodum habueret, finita, τοῖς τῆς συνόδου προέδροις h. e. *concilii præsidibus* sermonem concessisse. Atque Theologi illi, qui præsidebant synodo, erant *Macarius* Hierosolymorum, & *Eustathius* Antiochenorum episcopi, quippe quos *iis, qui ad concilium venerant*, PRÆFUISSE, *Nicetas* in thesauro orthodoxæ fidei Lib. V. c. XVI. exserte scribit; nec non (quos *Cedrenus* l. c. fol. 285. nominat) *Metrophanes Bizantii*, *Alexander* Alexandriæ episcopi, ac *Viton* & *Vicentius* Presbyteri Romani Pontificis legati. Attamen inter præsides illos Theologicos primas partes in sedendo ac proponendo neutiquam ipsemet urbis Romæ episcopus, neque ejus, (ut *Cedreno* l. c. p. 285 di-

cun-

cuntur) τοποτηρηταὶ h. e. *locum tenentes*, *Viton* & *Vincentius*, sed laudatus jam *Eustathius* obtinebat, cum *Eusebius* l. e. cap. XI. aperte dicat, ex episcopis eum, qui in dextra parte primum locum obtinebat, consurrexisse, brevique sermone allocutum esse Imperatorem, atque Theodoretus (cujus sententiam ipse *Baronius* in annal. eccles. ad ann. 325. n. LIV. sequitur) H. E. Lib. I. c. VII. narret, quod πρῶτος ὁμέγας εὐσάθιος (h. e. *magnus Eustathius*, *tanquam primus* oratiuncula illa fuerit defunctus. Quanquam eum, qui in dextra parte primum locum obtinebat, & totius concilii nomine ad Imperatorem verba fecit, *Sozomenus* l. c. cap. XIX. Eusebium Pamphilum, alii (ut *Nicetas* l. c. cap. VII. testatur) Alexandrum, Alexandrinum Episcopum, fuisse existiment. Quicquid sit de illo, qui fuit simpliciter concilii illius præses, seu qui sedendi & proponendi primas partes in synodo illa tenuit, certe is neque Romanus Pontifex, neque quisquam ex ipsius legatis erat. Ipse enim Pontifex (ut *Sozomenus* l. c. cap. XVII. & *Theodoretus* l. c. cap. VII. referunt) ob senectutem abfuit, nec ullus antiquiorum scriptorum partes illas eis legatis assignat, verum omnes illi scriptores potius alii cuidam episcopo tribuunt.

§. 3. In synodo oecumenica II. seu Constantinopolitana I. Præsidem Politicum egit ipse, qui synodum convocaverat, Imperator *Theodosius* Primus, quippe qui non tantum synodo coram interfuit, sed etiam omnia Præsidis Politici munia tunc obiit: Id quod in no tra de *legibus eccles.*

universæ dissertatione ex invictis documentis commonstravimus. Hinc mirari satis non possumus, *Bellarminum* Lib. I. de concil. & Eccl. c. XIX §. *secundum* adeo contra omnem veritatem scribere potuisse, quod Imperator in concilio Constantinopolitano I. *non præsederit, sed tantum miserit ad episcopos literas Romani Pontificis quibus ad concilium vocabantur.* Atque hoc Bellarmini assertum, ex ea quoque ratione pudendum ac tanto viri indignum prorsus est, quod manifeste ac turpiter contradicat alii in eodem capite contentæ assertioni, quæ ait, *in conciliis orientalibus SEMPER interfuisse Imperatorem, aut aliquem ejus Legatum, & quamvis nec Imperator, nec Legatus ejus præsideret concilio proprie ut judex, tamen præsedisse saltem quoad locum materialem, & etiamsi summus Pontifex ibi fuisset, adhuc voluisse illos eo modo PRÆSIDERE, atque hinc, ne Principes seculares in concilio sederent ante ipsum summum Pontificem, non iviisse Papam ad ea concilia, sed legatos tantum misisse.* Quanquam & altera hæc assertio falsissimam aliquam causam, ob quam Papa ad concilia oecumenica non iverit, adferat. Nec enim episcopus Romanus *Sylvester* quando in Nicæno concilio ipse non comparebat, sed eo suos amandabat legatos, ad eam causam respexit, cum *Sozomenus* l. c. cap. XVII. diserte referat, urbis Romæ episcopum διὰ γῆρας h. e. *propter senectutem*) tunc abfuisse. Nec vero ob eam quam *Bellarminus* prætendit, rationem Romanus Antistes, Damasus, a synodo constantinopolitana

na

na I. abfuit; sed ex ea vera causa nec per se, nec per legatos synodo isti interfuit, quod ab Imperatore Theodosio, *orientalis* saltem *ditionis* episcopos convocante, haud esset evocatus. Confer. cit. nostra *dissert.* p. 44.

§. 4. In eadem illa Synodo ecclesiastici praesides fuere *Meletius*, Antiochenus episcopus, *Timotheus* Alexandrinae ecclesiae praesul, *Cyrillus* antistes Hierosolymitanus, atque *Nestorius* episcopus Constantinopolitanus. Vid. diss. nostra cit. p. 48. seqq. Minime vero *Damasus*, Romani episcopi dignitate tum temporis praefulgens, sive per se, sive per legatos in consilio isthoc juxta praesedit, id quod tamen putat *conciliorum oecumenicorum Synopsis* in certo auctore Graece conscripta, quam latine a se redditam *Rittershusius* Sacrar. Lect. Lib. II. cap. XI. pap. 20. seq. exhibet. Praeterquam enim, quod nec in actis conciliorum, nec quod antiquiores scriptores Pontificis Romani sive ut per se aut per legatos in concilio isthoc praesentis, sive ut praesidentis ulla fia mentio, sine Synodum illam ex solis orientalibus episcopis, ad quos Romanus nullo modo referri solet, conflata fuit. Unde & ipse *Bellarminus* l. c. contendit, *in concilio illo Romanum Pontificem ex ea causa non praesedisse, quod non interfuerit nec per se, nec per legatos, si autem adfuisset, praefuturum fuisse.* Quae *Bellarmini* confessio ad id nobis prodest, ut evincamus, oecumenicam, eamque legitimam fuisse Synodum, cui nec per se, nec per alios Romanus Pontifex, sed alii praesules praefuere, atque a-

deo consilium legitimum & oecumenicum sine Romani Pontificis præsentia & præsidentia posse celebrari.

§. 5. In concilio oecumenico III, seu Ephesino I. Imperator *Theodosius* Junior præsidis politici munia obiit partim *per se*, partim per *alium*. *Per se* quidem, quatenus non tantum certam tractationis rationem, diplomate imperiali transmisso, synodo præscripsit, verum etiam gravissima dissidia, inter Cyrillum & Johannem Antiochium episcopum in concilio exorta, propria & sua tanquam judicis, ad quem utraque pars causam detulerat, auctoritate, literisque admodum piis ad utrumque scriptis, consopivit, synodi decreta adversus Nestorium ejusque doctrinam & sectatores facta, ipsa Synodo oecumenica id efflagitante, confirmavit, eademque tanto executus est zelo, ut Nestorium tanquam *fidei proditorem* in exilium pelleret, ejusdemque bona Constantinopolitanæ ecclesiæ fisco addiceret, Nestorianos omnes probroso Simonianorum nomine perpetuo censendos decerneret, omnes Nestorii tractatus & libros, undecunque conquisitos, incendio absumi juberet, nullum templum, nullum locum conventus causa illis concederet, & concedentibus bonorum omnium confiscationem mulctæ loco definiret: *Per alium* autem præsidis politici administravit provinciam, quatenus comitem *Candidianum* mittebat, ut peripsum monachos ac seculares, quorum opera ibi necessaria non foret, ab urbe Epheso submoveret, & sic colloquentibus

bus a tumultu externo securitatem præstaret, ac porro tumultus internos & contentiones impediret, atque in ipsis colloquiis & sessionibus εὐταξίαν & certam tractandi ac procedendi regulam conservaret. Quæ sane omnia ex concilii Ephesini, de cujus præside hic agitur, Actis in dissertatione nostra sæpius citata pag. 81. seqq. probata dedimus.

§. 6. In hoc ipso Ephesino concilio præsides ecclesiastici fuere *Cyrillus* Alexandriæ, *Juvenalis* Hierosolymorum, *Memnon* Ephesi & *Cœlestinus* Romæ episcopi. Et quidem *Cyrillus*, antequam Romani Pontificis legati, *Arcadius* & *Projectus* episcopi atque *Philippus* presbyter ad Synodum pervenirent, non tantum ut Romani episcopi Vicarius, sed suo quoque nomine, & tanquam episcopus Alexandrinus, præsidis officium sustinuit, atque adeo post horum legatorum adventum adhuc ad præsides ecclesiasticos pertinuit; quin imo præsul ille primas præsidis ecclesiastici partes, non præcise qua Romani Pontificis vicarius, sed aliam ob rationem obtinuit. Quæ omnia itidem in dissertatione nostra sæpius allegata pag. 85. 86. seqq. ex testimoniis & argumentis liquidissimis docuimus.

§. 7. Tandem in Synodo oecumenica IV. seu Chalchedonensi Imperator *Martianus* partim per se, partim per alios præsedit. Nimirum per se præfuit concilio, quatenus non tantum coram adfuit, unamque vel alteram ad Synodum orationem habuit, verum etiam ab initio statim concilii, ne

nequis de Christo contra formulam Nicænam disputare auderet, legem posuit, ac in progressu Synodi certos quosdam delectos episcopos fidei catholicæ professionem concionare, omnes vero certos quosdam canones condere, inque consessu sexto episcopos tres aut quatuor dies expectare, & quemlibet eorum, quod vellet, proferre, ut in præsentia judicum Laicorum, quod æqvum esset, decernetur, ipse jussit, tandemque Synodi decreta confirmavit & executus est. *Per alios* vero *Laicos* præfuit Imperator, quatenus complures ex magistratibus & urbis regiæ senatu locum judicii, medium nempe an cancellos altaris, obtinentes, ordinem vi potestatis sibi ab Imperatore delegata adeo servabant, ut *Dioscorum* Alexandrinum episcopum ex assessorum subselliis discedere juberent, & sententias ferri, harumque vel illarum rerum lectionem fieri in ipsis Synodalibus consessibus mandarent; & quatenus sententiis episcoporum collectis non tantum in personali, sed etiam in dogmatica & ecclesiastica causa, velut præsides, synodi decreta ita consignabant, ut duas in Christo naturas ἡνωμένας, ἀτρέπτως, ἀμερίστως, καὶ ἀσυγχύτως (h.e. *unitas mutatas non divisas non confusas*) decreto Synodali addi, eique sententiam epistolæ Leonis inseri juberent, & contradicente etiam Lucentio, sedis Romanæ Vicario, de archiepiscopi Constantinopolitani privilegiis & eminentia decretum Synodi conficerent. Viri illi illustres passim in Actis *Magnificentissimi* & *Gloriosissimi* (in Synodo) *judices*, atque apud *Evagri-*

agrium H. E. Lib. II. c. XVIII. & *Nicephorum* H. E. Lib. XV. c. XXX. ὁ ἄρχοντες synodi adpellantur. Ex quibus & liquido adparet, præsidis ecclesiastici partes (ut munia quæstiones, de quibus deliberetur, proponendi, sententias colligendi, decreta consignandi) viros etiam laicos & politicos in oecumenica ista & legitima synodo simul obiisse, atque adeo ecclesiastici præsidis munus viris quoque politicis satis eruditis committi posse. Cæterum ad Synodi hujus præsides (ecclesiasticos) referuntur quoque *Leo*, Pontifex Romanus, *Anatolius* Constantinopolitanus, *Maximus* Antiochenus, & *Juvenalis* Hierosolymitanus antistes. Minime vero præsidis ecclesiastici primarii dignitatem Romani Pontificis legati tum obtinebant, cum a nutu & imperio Legatorum Imperatoris adeo dependerent, ut si quid in consessibus Synodalibus proponere volebant, licentiam ab iis petere necessum haberent: prout *Paschasinus* & *Lucentius* Leonis Papæ legati, dixerunt: *Si imperat Magnificentia vestra, habemus quædam referre vobis.* Glorioſissimi vero judices responderunt. *Quod vultis edicite.* Conferatur, si placet, *dissertatio* nostra etiam atque etiam citata, quippe quæ pag. 114. seqq. ea omnia, quæ de concilii calchedonensis præside asseruimus, ex monumentis probatissimis enarrat.

Th. LXV.

Potestas autem in conciliis generalibus præsidendi minime soli Pontifici Romano competit.

Hæc

Hæc noſtra theſis vel uno illo argumento adſtruitur: *Si in conciliis oecumenicis, Niceno* 1. *Conſtantinopolitano* 1. *Epheſino* 1. & *Calchedonenſi, Pontifex Romanus vel plane non fuit præſes, vel præſes quidem fuit, ſed non ſolus, certe nunquam præcipuas præſidis alicujus partes ſuſtinuit, ſequitur, quod ſoli Pontifici Romano poteſtas in conciliis generalibus præſidendi nulla ratione conveniat.* Cujus argumenti conſequentia ex eo patet, quod concilia illa oecumenica haud dubie fuerint legitima, concilium autem, in quo is, qui non pollet facultate præſidendi, præſidet, ſit illegitimum. Antecedens vero hujus argumenti ex iis, quæ de conciliorum illorum forma diſſeruimus, abunde liquet. Sane enim in concilio Nicæno 1. præſedit quidem Romanus Pontifex Sylveſter per ſuos legatos, ſed nec ſolus præſedit, (cum præſidem politicum egerit Imperator Conſtantinus M. præſidum vero eccleſiaſticorum munia ſimul obierint epiſcopi *Euſtathius, Macarius, Metrophanes, Alexander,*) nec inter præſides primas partes obtinuit, cum hacce dignitate *Euſtathius*, vel *Alexander*, vel *Euſebius Pamphilus* emineret. In concilio autem Conſtantinopolitano I. Romanus Pontifex, Damaſus, neque per ſe, neque per legatos præſidis officio functus eſt, cum nec ipſe ad id venerit, nec ad illud miſerit legatos. Et in concilio Epheſino, ubi Imperator *Theodoſius* Junior præſidem agebat politicum, Pontifex quidem Romanus *Cœleſtinus*, præſidis eccleſiaſtici munere fungebatur partim per vicarium *Cyrillum*, partim per legatos, ſed

nec

nec solus fuit præses ecclesiasticus (cum *Cyrillus* suo quoque nomine & tanquam episcopus Alexandrinus, *Juvenalis* & *Memnon* præsidis istius provinciam administrarent,) nec præcipui præsidis honore excellebat, cum Cyrillus, non qua Pontificis Romani vicarius, sed aliam ob rationem dignitatem illam obtineret. Tandem in Calchedonensi concilio, ubi Imperator *Martianus* præsidem agebat, simul Romanus Pontifex *Leo* per legatos suos, *Anatolius*, *Maximus*, & *Juvenalis* præsidum ecclesiasticorum munus eo pacto obierunt, ut primarii præsidis ecclesiastici munia legatis Imperatoris relinquerentur.

Th. LXVI.

Cujusvis concilii oecumenici *objectum* (quod & materia circa quam concilii adpellatur) erat olim cum *personale*, tum *reale*. Objecti personalis nomine intelliguntur personæ, de quarum dictis vel factis in concilio oecumenico judicabatur: Objecti vero realis appellatione veniunt negotia graviora de fide aut moribus in concilio oecumenico tractata. Vid. B. *Scherzerus* in Breviar. Hulsem. enucl. cap. XVIII. p. m. 143. seq.

§. 1. Concilii oecumenici primi, seu Nicæni primi objectum personale erant in primis Arius, ejusque sectatores, cum in synodo illa (ut *Patres Nicæni* in epistola quadam synodica apud *Socratem* H. E. Libr. I. c. IX. & apud *Theodoretum* H. E.

H. E. Lib. I. c. VI. referunt) *primum habita fuerit quæstio κατὰ τὴν ἀσέβειαν καὶ παρανομίαν Ἀρείου* (h. e. de impietate & perversitate Arii) *impia ejus opinio παμψηφεί* (h. e. suffragantibus cunctis) *damnata*, eademque, quæ in illum, etiam in Theonam *Marmaricæ*, & secundum *Ptolemaidis episcopos, quos secum ille in exitium pertraxerat, sententia lata.* Erat quoque Synodi illius objectum aliquod personale *Acesius*, Novatianorum episcopus, qui mortalibus post baptismum in grave adeo peccatum prolapsis, ut christianam religionem abnegarent, per Ministrum Ecclesiæ peccatum illud remitti posse inficiabatur. Testantur quippe *Socrates* l. c. cap. X. & *Sozomenus* H. E. Lib. I. c. XXII. Acesium illum ab Imperatore Constantino ad Synodum Nicænam evocatum fuisse, ut dissensionis suæ redderet rationem. Erat insuper aliquod ejusdem Synodi objectum personale *Melesius*, qui, cum Petrus, episcopus Alexandrinus, ob sævientem persecutionem fugisset, ordinationes ad illum pertinentes per Ægyptum sibi præcipiti temeritate vendicaverat, & quidem octo & viginti episcopos, presbyteros vero quinque, & tres diaconos ordinaverat. *Socrates* namque l. c. cap. IX. *Sozomenus* l. e. c. XXIV. *Theodoretus* H. E. Lib. I. c. IX. referunt, de isto Meletii facto judicatum, ac decretum tum fuisse, ut in urbe Lyco ipse degeret solo episcopi nomine contentus, nec deinceps sive in urbe sive in vico ordinationem ullam susciperet, & ut illi, qui ab ipso ordinati fuissent, manus impositionem ab Alexandrino præsule,

sule, totius velut Ægypti episcopo, accipientes, sanctiori consecratione firmarentur, atque adeo ministerium suum retinerent quidem, sed tamen reliquis ab Alexandrino episcopo prius ordinatis honore inferiores essent, nec in locum morientium per ordinem succederent, nisi a populo fuissent electi, & ab Alexandrino episcopo prius confirmati.

§. 2. *Reale* objectum concilii oecumenici Nicæni inprimis fuit causa dogmatica de summa & æterna Filii DEI Deitate, seu de Filio DEI, qui DEO Patri ὁμοούσιος sit. Pertinebat quoque ad concilii illius *reale objectum* causa ecclesiastica tum de *Paschatis celebratione*, tum de *canonum quorundam* ad disciplinam ecclesiasticam spectantium *sanctione*. Cum enim antea ecclesiæ Asiæ minoris & Syriæ Pascha cum Judæis XIV. luna post æquinoctium vernum agitarent, convenit in synodo, ut deinceps omnes die dominico eam proxime sequente id celebrarent. Vid *Theodoretus* H. E. Lib. I. c. IX. & X. Ac quod canonum quorundam attinet sanctionem, *Sozomenus* l. c. cap. XXIII. memorat, quod *Synodus* (Nicæna) *eorum, qui in ecclesiis versantur, mores corrigere studens, leges quasdam constituerit, quæ vulgo canones appellantur.*

§. 4. Ad concilii oecumenici secundi, seu Constantinopolitani primi, objectum personale referimus, *quicquid Zizaniorum* (ut *Photius* epist. 1. loquitur) *de semine Arii adhuc suppullulaverat*, & post Nicænam Synodum supererat, spe-

ciatim *Macedonium*, ejusque asseclas, qui Arianæ blasphemiæ, quam profitebantur, eum insuper errorem addebant, ut Spiritum Sanctum non verum DEUM, sed creaturam dicerent. Cum enim *Macedonius*, ejusque sectatores tam Imperatoris Theodosii & orthodoxorum episcoporum exhortationes, quam argumenta, quibus convincebantur, parvi pendentes, Arianum dogma coram synodo Constantinopolitana I. manifeste assererent & Constantinopoli digressi, se nunquam (ut *Socrates* H. E. Lib. V. c. VIII. narrat) doctrinæ in Nicæno concilio traditæ consensum accommodaturos jactitarent, Constantinopolitana synodus non tantum (ut *Photius* l. c. testatur) *Macedonium, tanquam alterum Arium*, a sacerdotio & fidelium sodalitio ac portione declaravit alienum, verum etiam ipsius sententiam (ut *Sozomenus* H. E. Lib. VI. c. IX. perhibet) anathemate damnavit, ejusque sectatores (*Photio* teste) sacerdotio privatos multavit, quemadmodum omnes reliquos Arianos (ut *Cedrenus* in Synopsi Hist. Tom. I. fol. 316. monet) anathemate percussit. Spectabat quoque ad personale ejusdem concilii objectum *Apollinaris* & *Apollinaristæ* qui contendebant tandem, Filium DEI assumpsisse quidem animam, sed mente destitutam. Quippe & Apollinarem (uti *Cedrenus* l. c. observat) omnesque idem cum ipso sentientes (ceu synopsis conciliorum apud *Rittershusium* in Lect. Sacr. L. II. c. XI. p. m. 123. notat) synodus hæc anathemate defixit, hincque etiam (ut *Theodoretus* H. E. Lib. V. c. VIII. refert,)

Maxi-

Maximum Cynicum ab episcopis Ægyptiis ad dignitatem præsulatus Constantinopolitani ordinatum, cum Apollinaris hæresin amplexus esset, de culmine episcopali dejecit pariter ac damnavit. Sic & *Sabellius* Afer, unicam Deitatis personam statuens, ad ejusdem concilii objectum personale pertinuit, cum in Synodo illa (ut *Cedrenus* ibidem scribit) fuerit damnatus. Cæterum ad *objectum* hujus concilii *reale* spectabat I. *fidei Nicanæ confirmatio*, II. *causa dogmatica de æterna Spiritus Sancti Deitate*. III. alia *causa dogmatica de carne Christi per animam rationalem vivente*, nec non IV. causa dogmatica *de tribus in DEO personis revera distinctis*, V. *tres causæ ecclesiasticæ*, quarum una Constantinopolitani, altera Antiocheni episcopi ordinationem vel confirmationem, tertia canonum quorundam ad disciplinam ecclesiasticam pertinentium, sanctionem attinebat. Confer. nostra de *Leg. eccl. univ.* dissertatio pag. 69. seqq.

§. 4. Concilii *oecumenici tertii* seu *Ephesini* I. *objectum personale* inprimis erat *Nestorius*, qui palam & expressis verbis illam antiquis etiam Doctoribus receptam phrasin, *Mariam esse* Θεοτόκον (h. e. Deiparam) reiiciebat, ac alteram illam, *Mariam esse* χριστοτόκον (i. e. Christiparam,) substituebat, imo *eum, qui ex Maria genitus est, Deum esse* plane negabat, ecclesiæ catholicæ sententiam & phrasin, quasi hæc naturas confunderet, & Apollinarismum jam damnatum aliasque hæreses induceret, torquebat ac divexabat, modumque hypostaticæ unionis perperam explica-

bat, atque hinc re ipsa & per necessariam consequentiam duas in Christo personas & hypostases asserebat, & Christum DEUM verum esse prorsus inficiabatur. Cum enim ille hæreticus, utut mature Ephesum delatus, post trinam citationem comparere, causamque dicere detrectasset, Ephesini Patres, lectis literis Cyrilli ad Nestorium, & Nestorii ad Cyrillum, & episcoporum sententiis de utriusque literis, utrum orthodoxæ sint fideique Nicænæ congruant, viritim prolatis, prælecta etiam Coelestini, Romani episcopi & Alexandrinæ synodi ad Nestorium admonitoria, quatuor insuper episcoporum, qui Ephesi quoque privatis in colloquiis perversa dogmata ex ejus ore audiverant, testimonio solenniter requisito & dato & post aliquot pericopas, quæ ex ipsius exegesibus & commentariis desumptæ erant, in medium prolatas, ad hanc tristem sententiam lachrymis suffusi & pene inviti tandem processerunt: *Igitur Dominus noster Jesus Christus, quem Nestorius impetivit blasphemiis, per præsentem sanctam synodum decrevit, eundem Nestorium ab episcopali dignitate, & ab omni sacerdotali conventu extraneum esse.* Vid. *Actor. Concil. Ephes.* Tomus secundus, qui in conciliorum omnium Volumine I. Venetiis ann. 1587. edito habetur, cap. II. III. IV. V. VI. VIII. X. Conf. *Evagrius* H.E. Lib. I. c. IV. Quamvis igitur potissimum propter turbas a Nestorio excitatas Ephesina Synodus coacta sit, isque *præcipuum* istius concilii objectum personale fuerit, simul tamen eadem illa synodus *Coelestinum* Pelagianum, hu-

hujusque sectatores (ut *Prosper Aquitanicus* in Chronico ad ann. 434 refert, & vel ex ipsius concilii canone *primo* & *quarto* abunde liquet) nec non (ut ipsa Acta Tom. II. cap. XXXII. docent) *Messalianitas*, qui & *Euchetæ* ac *Enthusiastæ* adpellabantur, in Pamphilia tunc grassantes, unanimi gravique lata sententia condemnavit.

§. 5. Potissimum igitur concilii oecumenici tertii *objectum* reale fuit causa doctrinalis de Maria vere Deipara, deque unaChristi hypostasi & persona, ac de unione duarum naturarum in Christo hypostatica. Et, uti in duobus prioribus conciliis oecumenicis certi canones conditi sunt, ita ad hujus oecumenicæ synodi *objectum reale* quorundam canonum ad disciplinam ecclesiasticam spectantium sanctio pertinebat.

§. 6. Concilii *oecumenici quarti*, seu Calchedonensis, *objectum personale* inprimis erant *Eutyches* Constantinopolitanus presbyter & abbas, ejusque (ut *Photio* Epist. I. fol. 9. dicitur) ἀλάξων προασπιστὴς (i.e. insolentissimus propugnator) *Dioscorus*, Alexandrinus Patriarcha, qui ambo (ut itidem *Photius* l. c. loquitur) τολμηρῶς καὶ ἀφρόνως (h. e. *per summam audaciam & stultitiam*) contendebant, ante unionem duas in Christo fuisse naturas, post unionem vero unam tantum factam esse, humana in divinam conversa, & per eam quasi absorpta, atque adeo Jesum Christum carnis tantum phantasma posthac gestasse, & secundum phantasiam Filium DEI hominem esse factum, suæque divinitati passiones suas tribuisse. Speci-

atim *Dioscorus* eo nomine synodi illius objectum erat, quod variorum insuper criminum & injuriarum, quibus affecerat alios, arguebatur, atque etiam Leonem, episcopum Romanum, excommunicare ausus erat. Uti igitur Synodus illa oecumenica utriusque sententiam damnabat, ita speciatim *Dioscorus* ideo, quod tertio vocatus ad dicendam causam synodo se sistere noluisset, & ob cætera flagitia, de quibus postulabatur, respondere detrectasset, omni episcopatus dignitate & sacerdotali functione exuebatur. Vid. *Acta* concilii Action. III. & V. Cæterum in causis aliis de aliis etiam personis, nimirum *Theodoreto*, Cyri episcopo, de *Iba*, Edessæ antistite, de *Bassiano*, Ephesio præsule, judicabatur. Vid. ipsa *Acta* in allegatis Actionibus.

§. 7. Concilii ejusdem objectum *reale* constituebant causa quædam dogmatica, variæ causæ personales, & causa quædam ecclesiastica. Causa dogmatica erat de integritate duarum naturarum in Christo. Præcipua vero inter causas personales erat, quæ personas a *Dioscoro* in synodo illa, ut auctori incerto de synodis synod. IV. in *Bibl. Jur. Canon.* fol. 1157. dicitur, λῃστρικῇ h. e. *latrocinali*, Ephesina secunda, injuriis affectas, inprimis *Flavianum*, Constantinopolitanum præsulem, & *Eusebium* Dorylæi episcopum spectabat, atque eo, ut synodi illius Ephesinæ acta rescinderentur, tendebat. Pertinebant quoque ad causas personales causa *Theodoreti*, qui episcopatum recepit, postquam Nestorium anathemate damnaverat

erat, Causa Ibæ, cui itidem Episcopatus abrogabatur, causa *Eunomii* Nicomediensis, & *Anastasii* Nicææ episcopi, qui de finibus provinciarum suarum administrandarum inter se contendebant, tandemque causa *Sabiniani* episcopi in concilio examinata. Causa tandem ecclesiastica erat sanctio variorum canonum de omni ecclesiæ disciplina, ac præcipue clericali, de monachis, diaconissis, virginibus, raptoribus, episcoporum translationibus &c. quorum (canonum) penultimus, Constantinopolitanum thronum Romanæ sedi ex ea ratione, quod Constantinopolis Roma nova sit, exæquans, contradicente Romani episcopi legato, Lucentio, solenniter ac totius synodi nomine in consessu synodi ultimo, nempe decimo sexto, approbatus & constabilitus fuit, postquam unà cum cæteris canonibus in consessu proxime præcedente, nimirum decimo quinto, conditus erat, quanquam ab eo negotio Legati Leonis Papæ, rogati tamen a synodo, ut interessent, ultro abfuerint. Videantur omnino concilii Calchedonensis *Acta* Action. XVI.

Th. LXVII.

Concilia *oecumenica*, de quorum objecto hucusque ex instituto disseruimus, appellationem suam habent ἀπὸ τῆς οἰκουμένης, quatenus hæc vox Imperium Romanum, seu régiones Romanæ potestati subjectas denotat. Cujus denominationis ratio est, quod ad concilium oecumenicum ab Imperatore

Romano non ex una alterave saltem provincia aut natione, sed ex omnibus ecclesiis, quæ vel absolute in omni Imperii Romani ditione, vel certe in toto Imperio Romano orientali habitabant, aliqui episcopi aut viri docti evocati fuerint.

§. 1. Græcam vocem οἰκεμένη, quæ alias *terrarum orbem* significat, aliquando etiam apud veteres designasse *Romanorum Imperium*, non tantum liquet ex eo, quod *Action.* V. concilii sub *Menna* habiti pag. 672. Justinus & Euphemia δεσπόται τῆς ὅλης οἰκεμένης h. e. *Domini universi orbis* dicuntur, verum etiam vel ex *Luc.* c. II. v. 1. manifestum est, ubi Evangelista inquit, prodiisse edictum a Cæsare Augusto, ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκεμένην, h. e. *ut describeretur universus orbis* (Romanus.) Certum quippe est, Augustum non alias describi jussisse provincias, quam quæ suo imperio parerent. Hinc *Cassiodorus* Lib. III. Var. Ep. LII. ait: *Augusti temporibus orbis Romanus agris divisus, censuque descriptus est.*

§. 2. Eam, quam thesis nostra assignat, denominationis rationem *Georgius Cedrenus* tradit in synopsi Histor. Tom. I. fol. 439. ubi monet, oecumenica concilia sic dicta esse διότι, ἐκ κελεύσεων βασιλικῶν οἱ κατὰ πᾶσαν τὴν ῥωμαίων πολιτείαν ἀρχιερεῖς μετεκλήθησαν, h. e. *quod imperiali auctoritate ac jussione omnes, qui in tota Romanorum ditione erant, summi Pontifices (ad ea) convocarentur.*

§. 3. Di-

§. 3. Dixi autem notanter in thesi, ad oecumenica concilia ex omnibus ecclesiis, quæ vel absolute in omni Imperii Romani ditione, *vel certe in toto Imperio Romano orientali* habitarunt, episcopos evocatos fuisse. Namque Imperator *Theodosius* I. (ut *Theodoretus* H. E. Lib. V. c. VII. refert) ad concilium Constantinopolitanum I. episcopos τῆς οἰκείας ἡγεμονίας, h. e. *suæ ac propriæ ditionis*, seu μόνης τῆς οἰκείας βασιλείας, i. e. *solius proprii ac sui Imperii*, nempe τῦ τμήματος ἑῴου i. e. *orientalis portionis* Constantinopolin convocasse.

§. 4. Dico itidem singulari studio, ad concilia oecumenica *evocatos* fuisse omnium ecclesiarum, quæ in toto imperio Romano habitabant, episcopos, minime vero assero, concilia illa ex omnium ecclesiarum, quæ in toto Imperio Romano erant, episcopis reapse constitisse. Licet enim e. gr. concilium Ephesinum I. indicentes Imperatores Theodosius Junior & Valentinianus *universe* (ut *in Tom. I. Actor.* cap. XXV. legere est) denunciaverint, nullam apud Deum, & apud se excusationem episcopum illum habiturum, qui non ad constitutum tempus Ephesi præsto fuerit, nullus tamen episcopus ex Africanis ecclesiis in ea synodo comparuit. Præterquam enim, quod Imperatorum literæ ad Africanos episcopos serius perlatæ sint, ipsa Africa hostilibus Barbarorum incursionibus adeo infesta erat, ut ex Africæ provinciis plane non posset cogi Synodus, in qua nonnulli episcopi Ephesum ad concilium

oecumenicum ablegandi seligerentur. Unde & factum est, ut *Capreolus*, archiepiscopus Carthaginensis, solum Vessulam, Diaconum suum, ad concilium legatum mitteret. Videantur literæ a *Capreolo* ad Synodum scriptæ, quæ *Actor.* Tom II. cap. IX. fol. 1008. habentur. Confer. *Liberatus* in *Breviar. causæ Nestorianorum & Eutychianorum.*

§. 5. Neque vero adstipulamur hic B. *Bajero*, qui Theol. posit. P. III. c. XIII. §. XXXII. docet, concilia oecumenica fuisse concilia, quæ vel *ex universis per orbem Romanum, vel pene universis ecclesiis, aliquos episcopos aut Viros Doctos continebant; Vel saltem ab ecclesiis illis universis approbata & recepta eorum decreta fuerunt.* Si enim concilia illa, quorum decreta ab universis per orbem Romanum ecclesiis approbata & recepta fuerunt, dicenda essent oecumenica, sane etiam quinque illa concilia particularia, *Ancyranum, Neocæsarienſe, Gangrenſe, Antiochenum & Laodicenum*, ad œcumenicorum conciliorum classem revocanda essent. Eorum quippe decreta ab omnibus ecclesiis Romano Imperio subjectis consensu libero recepta & approbata fuerunt: Id quod ex eo manifestum est, quod canones, quos quinque illæ particulares synodi condidere, relati sint in *codicem canonum Ecclesiæ universæ a Justiniano Imperatore confirmatum*, quem Parisiis anno 1610. cum eruditissimis notis *Christophorus Justellus* & Helmstadii anno 1663. cum Historica Relatione *Gebhardus Theodorus Meierus* edidit.

At-

Atque ad eam ab omnibus in Imperio Romano habitantibus ecclesiis factam approbationem respicit ipse Imperator *Justinianus*, quando in *Novella constitutione* CXXXI. inquit: *Sancimus, vicem legum obtinere sanctos ecclesiasticos canones, a sanctis quatuor conciliis expositos aut CONFIRMATOS.* Namque per canones illos ecclesiasticos confirmatos intelligit Imperator conciliorum quinque particularium canones, utpote in synodo oecumenica Calchedonensi adprobatos & constabilitos. Quod ipsum observat *Balsamon*, quando ad cap. 2. Tit. 1. Nomoran. Photii sic commentatur: *Nota, praesentem Novellam tanquam leges servare non tantum, qui a sanctis synodis editi sunt canones, sed eos etiam, qui ab illis CONFIRMATI sunt,* ἤγουν τὸς κανόνας τῶν τοπικῶν συνόδιων (i. e, seu canones synodorum PARTICULARIUM.)

Thes. LXVIII.

Nos tamen, quando *quatuor* tantum concilia oecumenica nominamus, concilii oecumenici voce non designamus unum quodque consilium, ad quod ex toto Imperio Romano episcopi aut viri docti evocati fuerunt, sed nomen illud sumimus in significatione strictiori, qua denotat concilium legitimum, quod non ex una alterave saltem provincia aut natione, sed ex toto Imperio Romano convocatum fuit, & cujus de fide decreta omnia, auctoritatem, quippe indubitatam haben-

bentia, ab omnibus ecclesiis orthodoxis recepta sunt & approbata.

Si enim concilium oecumenicum dixeris omne concilium, ad quod ex omnibus ecclesiis in Romano Imperio deprehensis episcopi aut Viri docti evocati sunt, plure sane quam quatuor concilia oecumenica, quorum aliqua a veritate fidei defecerunt, statuenda sunt. Sic enim Ephesinum alterum, quod tamen in declaranda fidei doctrina graviter errasse, & in doctores innocentes ac sinceros immane quantum sæviisse constat, oecumenici nomen sustinere potest, cum a *Theodosio Juniore*, bono ac pietati dedito cateroqui principe, sed propter simplicitatem aliorum insidiis opportuno, indictum, non ex unius vel alterius saltem provinciæ aut nationis ecclesiis, sed ex omnibus fere per totum Romanum Imperium diffusis ecclesiis aliquos episcopos & viros doctos, atque inter hos Pontificis Romani Leonis tres legatos in se continuerit. Vid. *Evagrius* H. E. Lib. I. c. X. & Breviarium historiæ Evtychianistarum a *Jacobo Sirmondo* editum, nec non *Leonis* epist. 12. & 13. Consimili ratione, si concilii vox in latiori significatu accipiatur, concilium *Nicænum* II. *Græci* oecumenicis annumerant, licet multos foverit errores idololatricos, & idcirco in Synodo Francofurtensi, in qua ipse Imperator Carolus M. auditor & arbiter sedit, damnatum, ac prorsus abdicatum fuerit. Vid. *Walafridus Strabo*, Abbas Augiensis in Annalibus Fuldensibus, nec non *Ado* Vien-

Viennæ ad Rhodianum in Allobrogibus episcopus, in Chronico ad ann. MDCCXCIV. Atque eodem pacto Græci duo adhuc alia, ut Constantinopolitanum I. & Constantinopolitanum III. addentes septem statuunt concilia oecumenica, quorum synopsin in certo auctore Græce conscriptam, primum autem ann. 1595. Augustæ a *Davide Hæschelio* in lucem ex bibliotheca Reipubl. Augustanæ prolatam, & a se Latine redditam *Conradus Rittershusius* Sacr. Lection. Libr. II. cap. XI. pag. 119. exhibet. Certe ab initio istius Synopseos hæcce habentur verba: *Nosse oportet unumquemque Christianum, septem esse Sancta & oecumenica concilia.* Quem imo ex nostratibus D. *Hornejus* Dispp. Theolog. Disp. II. §. 123. & D. *Caspar Sagittarius* im Send-Schreiben an P. *Marcum Schönman* pag. 435. atque ex Helvetiis *Joh. Henricus Suicerus* in Thes. Eccl. sub voce: ἔξοδος, sex oecumenica concilia esse autumant, præter quatuor illa toto orbe celeberrima concilia oecumenica, etiam Constantinopolitanum II. & Constantinopolitanum III. oecumenicorum nomine insignientes. Ast bene annotat *Zieglerus* in not. ad Lancel. Lib. I. Tit. III. p. 16. Constantinopolitanum II. & Constantinopolitanum III. non fuisse ab omnibus agnitum.

Th. LXIX.

Concilia oecumenica vocantur etiam concilia *universalia*, non quod ex universa ecclesia in his terris constituta episcopos aut

aut viros doctos continuerint, nec quod ecclesiam universalem toto orbe diffusam perfecte repræsentaverint, sed quod ad ipsa ab Imperatoribus Romanis ex universis ecclesiis in universo orbe Romano (s. orientali præcise s. orientali pariter & occidentali) deprehensis episcopi aut viri docti fuerint evocati.

§. 1. *Concilia*, inquam, *oecumenica non ex ea ratione vocantur universalia*, quod ex universa *ecclesia in his terris constituta episcopos aut viros doctos constituerint.* Nam inter omnia illa concilia, quæ haud dubie oecumenica sunt, ex universa ecclesia in his terris militante nullum fuit, in quo episcopi aut docti viri convenerint, imo ne haberi quidem potuit aut potest post Apostolorum tempora eiusmodi concilium. Etenim de concilio Constantinopolitano I. ex superius dictis abunde liquet, quod ex tota ecclesia in occidentalibus Imperii Romani provinciis habitante neminem continuerit. Sic & ex *Actis* conciliorum patet, in concilio Nicæno I. Ephesino I. & Chalchedonensi ex occidentali Imperii Romani parte nonnullos quidem, sed paucos admodum episcopos comparuisse. Cæterum ex reliquis ecclesiis extra imperium Romanum nemo legitur adfuisse, nisi quod de Nicæno concilio *Eusebius* Lib. III. de vita *Constantini* memorat, e Persia episcopum, nec non Scytham quempiam interfuisse. Atque illud nostrum assertum, quod post Apostolorum tempora ne haberi quidem

dem potuerit aut possit concilium, in quo ex universa ecclesia in his terris constituta legati conveniant, vel inter Remonstrantes *Stephanus Curcellæus* Opp. Theolog. fol. 779. seqq. scite sic ostendit: *Fieri nequit, ut unquam concilium universale ex omnibus Christiani orbis provinciis vocetur, quod nostras controversias terminet. Multa id insuperabilia viribus humanis impedimenta prohibent, distantiæ locorum, pericula maris, discrimina linguarum, inimicitiæ, diffidentia mutua principum, qui singulis regionibus præsunt. Quæ postrema ratio etiam concilii ex solo occidente, quod unum caput agnoscit, & ubi lingua latina omnibus doctis est familiaris, convocationem difficillimam hodie reddit.* Confer. ex nostratibus B. *Hülsemannus* in prælectionibus in Form. Conc. fol. 866. seqq.

§. 2. Dixi porro in thesi nostra, concilia oecumenica nec ex ea ratione appellari universalia, *quod ecclesiam universalem toto orbe diffusam perfecte repræsentaverint.* Licet enim non negemus, posse certo quodam modo repræsentari ecclesiam particularem per Pastores Doctoresque fidei doctrinam in conventibus publicis profitentes, aut quæ ad εὐταξίαν ecclesiæ pertinent, cum suffragio expresso vel tacito suæ communitatis statuentes, tamen post Apostolorum tempora nullum concilium, quod universam Christianam ecclesiam perfecte repræsentaret, fuisse asseveramus, cum post ea tempora ex universa ecclesia in his terris constituta nunquam episcopi aut alii docti viri congregati fuerint, neque, qui congre-

gregati fuere, suas ecclesias, ex quibus convocati erant, sufficienter repræsentaverint. Excipiunt hic equidem ex Pontificiis *Melchior Canus* L. L. Theol. L. V. c. II. *Joh. de Turrecremata* Lib. III. c. 16. *Gregorius de Valentia* de Anal. Fid. P. VIII. p. m. 399. ad concilium universale, quo tota ecclesia militans repræsentetur sufficere, si convocati sint omnes episcopi, aut liber accessus omnibus sit relictus, licet pauci tantum compareant; sed nullius plane momenti est ista exceptio. Ut enim ecclesia militans universa sufficienter repræsentetur, requiritur omnino, ut ex singulis ecclesiis provincialibus, oppidanis & ruestribus singulorum pagorum, Doctorum & auditorum suffragia de quæstionibus controversis collecta, & subscriptionibus ex justa deliberatione plenaque voluntate profectis confirmata, in concilio adferantur: Hoc autem fieri nequit, si convocati quidem sint omnes, aut liber accessus omnibus sit relictus, sed pauci compareant. Conferantur omnino B. *Hülsemannus* l. c. & B. *Musæus* P. II. de Eccl. Disp VII. §. 112.

§. 3. Minime vero exinde, quod *concilia* (quatuor) *oecumenica auctoritatem indubitatam habeant*, evinci potest, concilia illa universam Christi ecclesiam, veritatis quippe columnam, perfecte repræsentasse. Concilia enim, quæ auctoritate indubitata pollent, eam inde haud acceperunt, quod ecclesiam universalem, quæ veritatis columna est, perfecte repræsentarint, sed quod scripturæ ductum per omnia secuta, fidem catho-

catholicam per omnia recte & sincere declaraverint. Quanquam & conciliis istis, indubitatam auctoritatem habentibus, a posteriori, nempe ex tot ecclesiarum per orbem terrarum existentium consensu & approbatione, auctoritas quædam accreverit. Quemadmodum enim fieri potest, ut in tanta errorum varietate ac multitudine, quæ etiam in una re contingit, omnes ubique & semper in unum aliquem errorem conspirent, ita nec evenire facile potuit, ut tanto temporis spatio tot ecclesiæ, per orbem terrarum existentes, e pluribus unam aliquam Scripturæ Dogmatisque alicujus declarationem falsam reciperent. Quo spectat omnino, quod *Tertullianus* Lib. de *Præscriptionibus* scribit: *Ecquid verisimile est, ut tot ac tantæ* (Ecclesiæ) *in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus est unus exitus, variasse debuerat error doctrinæ Ecclesiarum.*

Th. LXX.

Concilia œcumenica seu universalia contradistinguuntur conciliis *particularibus* seu *localibus*, h. e. conciliis, quæ non æque, ut concilia œcumenica, ex omnibus per totum Imperium Romanum existentibus ecclesiis, sed tantum ex una alterave saltem ecclesiæ in Imperio Romano hospitantis parte, nempe ex unius alteriusve saltem Romanorum imperio subjectæ provin-

cie, aut nationis, aut dioeceseos ecclesiis convocata fuerunt.

Concilia particularia dicta olim fuisse τοπικὰ h.e. *localia*, non solum ex ea *Balsamonis* annotatione, quam in præced. Thes. §. V. adduximus, sed & inde liquet, quod *Nicephorus Chartophylax* in responsis ad Theodosium Monachum scribit 1 *Canones ecclesiasticos a divinis Patribus editos & confirmatos esse dicimus eos, quos tum ipsi sancti Apostoli, tum sancti Patres in septem magnis & œcumenicis synodis congregati ediderunt. Præterea etiam* (canones ecclesiasticos dicimus) τὰς παρὰ τῶν τοπικῶν συνόδων γεγονότας h.e. *eos, quos synodi locales* (seu particulares) *fecerunt.*

Th. LXXI.

Concilia particularia subdividuntur in *Nationalia*, *Provincialia*, & *Dioecesana* seu Episcopalia. *Nationalia* dicebantur olim, quæ ex episcopis aut viris doctis unius nationis vel regni Romano Imperio obnoxii constabant, e.gr. concilia Africana. *Provincialia* ex episcopis aut viris doctis unius provinciæ conflata erant, e. gr. Ancyranum, Neo-Cæsariense, Gangrense, Antiochenum II. &c. *Dioecesana* ex viris doctis unius dioeceseos constabant.

§. 1. *Dioeceseos* vocabulum, a quo concilia quædam denominantur dioecesana, multas obti-

obtinet significationes. Quandoque sumitur pro provincia: ut plurimum vero accipitur pro complexu multarum simul provinciarum, quæ in unum coacta per præfectos prætorio & eorum vicarios regebantur, quarumque ecclesiis simul omnibus patriarcha præerat. Vid. *Christophorus Justellus* in not. ad canon. concil. African. p. 65. 66. & ad Codic. canonum Eccl. univ. pag. 219. Videlicet complexionem plurium provinciarum sub Patriarcha denotat, quotiescunque τῇ ἐφορίᾳ (seu παροικίᾳ) & τῇ ἐπαρχίᾳ contra distinguitur. Uti enim ἐφορία seu παροικία complexum ecclesiarum uni episcopo simplici subjectarum, & ἐπαρχία provinciam, quæ sub metropolitano erat, denotat: ita διοίκησις complexionem plurium provinciarum sub Patriarcha significat. Haud raro diœcesis designat episcopatum simplicem seu territorium episcopi simplicis. Atque h. l. nomen illud postremo modo usurpatur.

§. 3. *Lancellottus* Instit. Jur. Can. Lib. I. Tit. III. §. 5. Concilia *provincialia* esse docet, quæ *propter ecclesiasticas causas & altercationum sedationes, convocante Metropolitano Episcopo omnes provinciales Episcopos, & cathedralium Ecclesiarum capitula, celebrari placuit.* Quæ definitio etiam in *Protestantium* ecclesiis scholisque usurpari potest, si Principi Christianæ religioni addicto jus indicendi concilium non adimatur, sed metropolitanus dependenter a Principis authoritate concilium convocare dicatur.

§. 4. *Episcopalia* concilia l. c. §. 6. *Lan-*

cellottus definit, quod sint *concilia, quæ Episcopus in sua dioecesi singulis annis convocat.* Atque hæc etiam definitio in *Protestantium* scholis & ecclesiis ferri potest, si (1.) non simplex, quam *Bellarminus* Lib. I. de concil. c. I. falso asserit, sed expedientiæ necessitas subinnuatur, (2.) Principi potestas indicendi concilia non derogetur, sed episcopus dependenter a Principis authoritate concilium convocare statuatur.

Th. LXXII.

Cum *schisma*, in Ecclesia Christiana exortum, non tantum perse tollat eam ecclesiæ unitatem, quæ communicationem, ecclesiasticam externam (seu communionem, qualis est inter christianos, tanquam inter fratres in Christo, fidei domesticos, & vitæ æternæ cohæredes) importat, verum etiam (ut experientia dudum docuit) non exiguam ansam ad calamitates orbis Christiani maleferiatis hominibus suppeditet, gravissimam sane rationem Deo reddituri sunt, qui pertinacia sua aut arrogantia causam schismati præbent.

§. I. Quantum ad ecclesiam malum ac dedecus sublata ejus unitate redundet, vel hinc perspicitur, quod singula ecclesiæ membra ad tuendam in pacis vinculo ejus unitatem omni mentis nervorumque contentione niti, &, ne Christi corpus dissensionibus scindatur, istudque totum, cujus salus in unitate consistit, violetur, omnem mo-

movere lapidem ex ipsa Christi & Apostolorum disciplina deceat.

§. 2. Schisma autem, in Christiana ecclesia obortum, illam ecclesiæ unitatem, quæ in communicatione ecclesiastica externa sita est, per se & formaliter tollere, ex ipsa schismatis natura & ratione formali liquet. Illud enim suapte natura & formaliter nil aliud est, quam ecclesiæ in partes divisio, quæ negationem unitatis quoad communicationem externam ecclesiasticam importat.

§. 3. Communicatio ecclesiastica externa, quam schisma per se evertit, in eo posita est, quod hic vel ille Christianorum cœtus cum aliis cœtibus utitur iisdem sacris, officia ad propagandam religionem cœtibus illis præstat, ab iis aut eorum doctoribus in rebus sacris consilia petit, ab ipsis, aut ipsorum doctoribus in rebus sacris consultus respondet, eosdemque de suis decretis ac constitutionibus ecclesiasticis, si necessitas aut utilitas ecclesiæ exigat, certiores reddit.

§. 4. Fiebat igitur jam olim communicatio ecclesiastica externa inter tot alios modos etiam per literas cum *encyclicas*, tum *decretales*.

§. 5. Literæ *encyclicæ* erant epistolæ, non uni privatim dicatæ, sed passim pervulgatæ, & hinc inde ad Dei ecclesias missæ, per quas primitivæ ecclesiæ patres acta & decreta conciliorum aliis communicabant. Cujusmodi epistolæ dicebantur γράμματα ἐγκύκλια h. e. *literæ circulares*, quia quasi in orbem, seu circumcina & in omnem ecclesiæ

partem mittebantur. Easdem epistolas Græci vocabant quoque ἐπιστολὰς καθολικὰς h. e. *epistolas universales*, Latini vero *literas publicas*.

§. 6. Literæ *decretales* erant epistolæ, quas veteres episcopi, cum in spiritualibus & sacris rebus ab aliis consulerentur, velut responsa concinnarunt. Licet vero aliorum quoque in oriente & occidente clarorum Episcoporum consilia sacris de rebus deposcerentur, ac præsules illi petentibus rescriberent, Romani tamen antistitis consilia præ aliis expetebantur frequentius, ejusque responsa majorem præ cæteris auctoritatem acquisivere, ac diligentius etiam fuerunt asservata, cum reliquorum episcoporum epistolæ non tanti æstimatæ, adeoque nec tam accurate custoditæ, perierint pleræque. Romana quippe synodus anno 494. præside Gelasio habita (ut apud *Gratianum* 15. Distinct. C. *Sancta Romana* legere est) sanciebat, ut *Decretales Epistolæ, quas beatissimi Papæ diversis temporibus ab urbe Romana pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter susciperentur*. Sic & *Crescon ius*, Africanus Episcopus, (qui tamen *Gerhardo* von Maestricht in hist. Juris eccl. pag. 196. observante, primus id ausus est) sub septimi seculi finem tanto in pretio epistololas istiusmodi habuit, ut in sua *canonum collectione* (quam veteris Juris canonici Bibliotheca, *Guilielmi Voelli*, Theologi ac Socii Sorbonici, & *Henrici Justelli* studio ann. 1661. Lutetiæ edita, fol. 456. seqq. nec non in appendice Tomi I. exhibet) inter canones conciliorum locaret, iisque

que autoritatem canonum deferret. Tantam vero authoritatem ut Romanis Episcopis, ita ipsorum responsis conciliabat olim, urbis, in qua episcopatus administrabatur, splendor & dominium. Constat enim ex superius dictis, eum in primitiva ecclesia morem viguisse, ut urbium illarum, quæ amplitudine, potentia, ac splendore cæteras omnes antecellebant, episcopi autoritate & honore cæteris plurimum præstarent. Cæterum inter eos, qui in decretalibus episcoporum Romanorum epistolis colligendis ac digerendis operam suam posuerunt, primum obtinet locum *Dionysius Exiguus*, Abbas Romanus, quippe qui seculo VI. præter canones ecclesiasticos etiam quorundam Pontificum, qui ab anno 385. ad annum 498. Romæ gesserunt præsulatum, *Syricii* nimirum, *Innocentii*, *Zosimi*, *Bonifacii*, *Cœlestini*, *Leonis I*, *Gelasii*, *Anastasii* decretales epistolas in unum (quod in jam citat a *Bibliotheca Jur. Can. Vet.* fol. 181. seq. extat) volumen congessit, atque adeo (uti *Zieglerus* in dissertatione de *Jur. Canon. Orig. & increm.* Juri Canonico præmissa pag. 12. observat) duas juris ecclesiastici partes constituit, unam *Codicis Canonum ecclesiasticorum* adpellatione indigitatam, qua decreta conciliorum continentur, alteram, *collectionis decretorum Pontificum Romanorum* nomine insignitam, quæ decretales epistolas Romanorum antistitum complectitur. Ex quo simul intelligitur haud obscure, *Dionysium* nullam Pontificum decretalem epistolam habuisse pro canone ecclesiastico,

nec ætate ejus ullum Romani præsulis decretum canonis adpellatione fuisse cohonestatum.

§. 7. Vti autem ad communicationem ecclesiasticam exrernam, quam externa ecclesia unitas importabat, literæ cum encyclicæ tum decretales pertinebant: Ita, simul atque aliqua ecclesiæ pars a reliq; ecclesiæcorpore schismate avulsa erat, omne inter illam & cæteras ecclesias commercium in signum solutæ unionis abrumpebatur. Ita synodi *Sardicensis* episcopi apud *Theodoretum* Hist. Eccl. Lib. II. C. VIII. in literis ad universos episcopos missis prohibebant ecclesiis, ne a *Gregorio* Alexandriæ, *Basilio* Ancyræ, & *Quintiano* Gazæ episcopis literas acciperent, vel ad eos mitterent, quod instar luporum in alienas ecclesias irruissent. Sic & apud *Sozomenum* H. E. Lib. III. C. XI. orientales episcopi, Sardicæ congregati, ubi sua decreta adversus Athanasium confirmassent, & Julium Romanum episcopum cum Osio Cordubensi aliisque occidentalibus Episcopis deposuissent, episcopis omnibus interdixere, ne ad communionem ecclesiasticam illos admitterent, vel literas illis mitterent, aut ab ipsis missas reciperent.

Th. LXXIII.

Cumprimis vero insignis est eorum reatus, penes quos culpa residet schismatis illius deplorandi, quo Pontificii & Augustanam Confessionem amplexi Christiani invicem divelluntur. Id enim esse malum ecclesiasticum

Universitäts Bibliothek Rostock https://purl.uni-rostock.de /rosdok/ppn1817789325/phys_0638 DFG

cleſiæ pariter ac reip. miſerandum in modum exitiale, inficiabitur nemo, qui odia inter diſſentientes, atrociſſimas perſecutiones & bella, queis controverſiæ religionis cauſam, prætextum, aut fomentum dedere, penſitaverit. Confer. *Puffendorffius* in Exercit. poſthum. de *conſenſu & diſſenſu Proteſtantium* pag. 12. ſeq.

Th. LXXIV.

Hinc magni momenti diſquiſitio eſt, quæ de ſchiſmatis inter *Pontificios* & *Proteſtantes* coorti autoribus inſtituitur. Quo negotio ita nunc defungemur, ut primo omnium de iis, in quos culpa ſchismatis recidit, generatim diſſeramus, dehinc vero ſigillatim eos deſignemus, quibus unius vel alterius, ejus inprimis, quo Pontificii & Proteſtantes disjunguntur, ſchiſmatis reatus adhæreſcit.

Th. LXXV.

Nimirum (I.) penes eos, qui pertinaciter errant in fundamento fidei, ſeu qui pertinaciter propugnant errorem cum fundamento fidei pugnantem, reſidet culpa ſchiſmatis ex illa pertinacia oborti.

§. I. Nam (a) ſchiſmatis ob hæreſin fa-

cti culpa ad hæreticos redundat, ideoque illi ab orthodoxa ecclesia recte olim fuere excommunicati. Jam vero erroris cum fundamento fidei pugnantis propugnatio pertinax omnino est hæresis.

§. 2. Ad evincendam thesin nostram argumentamur (β.) hunc in modum: *Quicunque per improbum aliquod factum tollunt ecclesiasticam velut inter domesticos fidei communicationem, illi per se sunt causa schismatis. At qui omnes illi, qui errorem cum fundamento fidei pugnantem pertinaciter propugnant, per improbum aliquod factum tollunt ecclesiasticam velut inter domesticos fidei communicationem: Ergo omnes illi, qui pertinaciter errorem cum fundamento fidei pugnantem propugnant, per se sunt causa schismatis.* Major propositio exinde liquet, quod ecclesiasticæ velut inter consanguineos fidei communicationis privatio formaliter sit schisma. Minor ex eo patet, quod erroris fundamentum fidei evertentis pertinax propugnatio unionem fidei tollat, sublata autem fidei unione non possit amplius velut inter domesticos fidei communicari.

Thes. LXXVI.

Culpa schismatis (2.) penes eos est, qui *rectæ fidei sectatores, ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in se est, paratos eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnant, horrendisque modis persequuntur.*

The-

Thesin nostram hocce probamus argumento: *Quicunque per aliquod factum, quod e diametro charitati & justitiæ adversatur, eam ecclesiæ unitatem, quæ actualem communicationem ecclesiasticam importat, reapse scindunt & evertunt, illi sunt schismatis autores,* (cum scissura unitatis ecclesiæ formaliter sit schisma.) *Atqui omnes illi, qui recte fidei sectatores, ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in ipsis est, paratos eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnant horrendisque modis persequuntur, per aliquod factum, quod e diametro charitati & justitiæ adversatur eam ecclesiæ unitatem, quæ actualem communicationem ecclesiasticam importat, reapse scindunt & evertunt,* (cum non solum vel naturali ratione judice factum illud, quo quis recte fidei sectatores ad servandum pacis & unitatis vinculum, quantum in ipsis est, paratos, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos, damnat, horrendisque modis persequitur, charitati & justitiæ prorsus repugnet, sed & non appareat, quomodo quis cum eo, quem velut hæreticum damnat, & immane quantum insectatur, tanquam cum fratre in Christo, vitæ æternæ cohærede, & fidei domestico communicare possit) *Ergo omnes illi, qui recta fidei sectatores, ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in ipsis est, paratos, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnant, horrendisque modis persequuntur, sunt schismatis autores.*

Th.

Th. LXXVII.

Culpa schismatis (3) contaminantur, qui dominatum quendam ecclesiasticum nullo sibi jure competentem in alios enitentes, suæque libertatis tenaces, cæteroquin in communione ecclesiastica perseverare volentes, pertinaciter affectant.

§. 1. Quicunq; enim aliorum libertatem injuste ac pertinaciter impugnant, penes eos (ut ipsum naturale jus docet) est culpa schismatis ex ista impugnatione oborti. Quicunque vero dominatum quendam ecclesiasticum nullo sibi jure competentem in alios renitentes, suamque libertatem mascule tuentes, cæteroquin in communione ecclesiastica perseverare volentes, pertinaciter affectant, illi (ut itidem jus naturale dictitat) aliorum libertatem injuste ac pertinaciter impugnant.

§. 2. Ex thesi nostra sequitur omnino, omnes eos schismaticorum albo inscribendos, qui aliis, suæ quidem libertatis ecclesiasticæ tenacibus, alioquin in communione ecclesiastica persistere volentibus, ceremonias, in se & in ordine ad divina præcepta indifferentes, sub anathematis comminatione obtrusum eunt. Quicunq; enim hoc audent, illi dominatum ecclesiasticum nullo sibi jure convenientem in alios renitentes affectant.

Th. LXXVIII.

Multo magis culpa schismatis (4.) penes

nes eos est, qui sub aliquo divini juris prætextu vendicant sibi in alios dominatum ecclesiasticum absolute & simpliciter illimitatum, cui contradicere nemo ulla ratione, ac sese opponere debeat, & cui nulla creatura humana sine periculo amittendæ salutis se subducere possit.

Nemini enim vi juris divini dominatus ejusmodi ecclesiasticus competit, sed ex jure & præcepto divino Deo parendum est potius, quam hominibus. Sane si vel maxime ullus episcopus divino jure primatum & superioritatem ecclesiasticam in omnes reliquos episcopos & Christianos haberet, non tamen ei debetur obedientia, si impios cultus, idololatriam, & doctrinam cum Evangelio pugnantem defendat. Hinc *Protestantes* in *Artic. Smalcald.* de *Potest. Papæ* pag. 347. præclare scribunt: *Etiamsi Romanus Episcopus divino jure primatum & superioritatem haberet: tamen non debetur obedientia his Pontificibus, qui defendunt impios cultus, idololatriam, & doctrinam pugnantem cum Evangelio: Imo tales Pontifices, & tale regnum, haberi debent tanquam anathema, sicut Paulus clare docet: Si Angelus de Cœlo aliud Evangelium doceret præter id, quod vos docui, anathema sit. Et in actis: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Idem & canones clare docent, hæretico Papæ non esse obediendum: Leviticus Pontifex jure divino erat summus sacerdos: Et tamen impiis Pontificibus non erat obediendum, ut Jeremi-*

as

as & alii Prophetæ dissentiebant a Pontificibus, Apostoli dissentiebant a Caipha, nec debebant ei obedire. Consimilia his in *Aug. Confess. Apolog.* pag. 296. profitentur *Protestantes*, ubi inquiunt: *Non debent episcopi traditiones contra Evangelium condere, aut traditiones suas contra Evangelium interpretari. Idque cum faciunt, obedientia prohibetur juxta illud: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Idem respondemus ad hunc locum: Quicquid dixerint, facite, quod constet, non universaliter præcipi, ut omnia recipiamus, quia alibi jubet scriptura plus obedire Deo, quam hominibus. Quando igitur impia docent, non sunt audiendi. Hæc autem impia sunt, quod traditiones humanæ sint cultus Dei quod sint necessarii cultus, quod mereantur remissionem peccatorum & vitam æternam.*

Th. LXXIX.

Maxime schismatis causa sunt (5.) qui cæremonias in se indifferentes, sub ratione cultus DEUM placantis, aut sub retione meriti erga Deum integris christianorumcœtibus sub anathematis fulmine obtrudunt.

Qui enim id patrant facinus, illi ceremonias Evangelio & doctrinæ fidei adversantes, doctrinasq; dæmoniorum, & alium Mediatorem, alium justificatorem præter Christum integris christianorum cætibus vi quadam adhibita minisque obtrudunt. Docet quippe Evangelium, nos

fide

fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum, & reconciliari Deo. Et tunc scriptura traditiones vocat doctrinas doemoniorum, quando docetur, quod sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Ac, si Deus propitius est, & placatus propter traditiones, seu propter aliquas ab hominibus institutas ceremonias, Mediatoris & Justificatoris honor Christo adimitur, contra vero istis adscribitur traditionibus. Quo pertinet omnino, quod *Augustana Confessio* Art. XV. ait: *Admonentur etiam* (homines in Protestantium ecclesiis,) *quod traditiones humanæ institutæ ad placandum Deum, promerendam gratiam & satis faciendum pro peccatis, adversentur evangelio & doctrinæ fidei: Quare vota & traditiones de cibis & diebus &c. institutæ ad promerendam gratiam, & satisfaciendum pro peccatis, inutiles sint, & contra Evangelium.* Ast vero quicunque integris christianorum coetibus ritus Evangelio & Doctrinæ fidei adversantes, doctrinasque Dæmoniorum, & alium Mediatorem, alium justificatorem præter Christum vi quadam adhibita & comminationibus evibratis obtrudunt, illi subsecuti inde schismatis autores jure meritoque censentur.

Th. LXXX.

Manifestum quoque est, eos per se causam schismatis esse, qui (6) ex causa injusta publicos ecclesiarum aliarum Doctores vel integros Christianorum coetus (e. gr. ob

fa-

factum licitum, salutare, ac necessarium, aut eo, quod manifestam veritatem projicere, vel impiam & injustam legem defendere, & cum ipsis in innocentes sævire nolint,) vel certe ex causa insufficiente (e. g. ob errorem aliquem non fundamentalem, aut quod ceremoniam in se liberam ac indifferentem sub opinione necessitatis recipere, vel dominatui ecclesiastico, quem excommunicantes affectant, se subjicere nolint] a communione ecclesiastica abscindunt.

Qui enim ex causa injusta aut insufficiente eam ecclesiæ unitatem, quæ communionem ecclesiasticam importat, ipso actu scindunt, illi sunt schismatis causa per se: Scissura enim unitatis ecclesiæ formaliter est schisma. Ast vero eos, qui publicos aliarum ecclesiarum Doctores, vel integros Christianorum coetus ex causa injusta aut certe insufficiente a communione ecclesiastica abscindunt, illam ecclesiæ unitatem, quæ communionem ecclesiasticam importat, ipso actu scindere, ex terminis patescit.

Th. LXXXI.

Minime autem schisma iis imputandum est, qui quidem ad unitatis & pacis ecclesiasticæ vinculum, quantum in ipsis est, & veritate cœlesti salva, conscientiaque illæsa fieri potest, servandum parati sunt, sed ab aliqua

qua ecclesia injuste excommunicati discedunt, & cum ea communicare desinunt, separatosque conventus celebrant.

Illi enim injuste excommunicati patiuntur, non autem faciunt schisma, quia non tam recedunt proprie loquendo ab aliquo coetu, quam aliorum pertinacia excluduntur & expelluntur, quando in ecclesiastica communione persistere malunt.

Th. LXXXII.

Neque vero culpa excitati schismatis penes eos est, qui, postquam injuste excommunicati sunt, excommunicantes, tanquam schismatis malitiosos autores, oderunt.

Hoc enim odium schisma jam excitatum, atque in iis, qui odio habentur, culpam schismatis præsupponit.

Th. LXXXIII.

Ex nostris de schismatis autore hucusque declaratis ac confirmatis thesibus manifestum plane est, culpam antiquissimorum illorum schismatum, quæ seculo II. inter Ecclesiam Romanam & Asiticas de die celebrandi paschatis dissentientes, seculo subsequente III. inter Ecclesiam Romanam & Africanas de baptismo hæreticorum contro-

vertentes, seculo IV. inter Julium I. episcopum Romanum & Episcopos Orientales, & seculo V. inter *Acacium*, Constantinopolitanum Patriarcham, & *Simplicium*, Romanum episcopum exorta sunt, penes ipsos Romanos Pontifices resedisse.

§. 1. Seculo a Christi & Apostolorum ætate proximo Romanus episcopus, *Victor*, Ecclesiarum Asiaticarum Doctores, inprimis Polycratem, Ephesinæ urbis episcopum, id circo, quod Paschatos festum cum Judæis ante vernale æquinoctium decima quarta luna celebrarent, non tantum quartodecimanos vocabat, sed & cum totius Asiæ parœciis reapse excommunicabat, suoq; arbitrio, ut cum occidentalibus doctoribus & ecclesiis die dominica post decimam quartam Lunam Pascha agerent, compellere conabatur. Quod *Victoris* facinus *Eusebius* H. E. Libr. V. c. XXV. & *Socrates* H. E. Libr. V. C. XXII. gravissime describunt.

§. 2. Sed vero schismatis illius culpam unice penes *Victorem* Papam fuisse, nemo non ex variis rationibus intelligit. Is enim in omnes ecclesias Asiaticas, quæ, licet in ecclesiastica cum ecclesia Romana communione perseverare vellent, & non obstante ea de die Paschatos dissensione, ad servandum pacis & unitatis vinculum paratæ essent, suam tamen libertatem tuebantur, dominatum quendam ecclesiasticum pertinaciter affectabat, atque ex illa dominandi libidine istis ec-

ecclesiis libertatis ecclesiasticæ tenacibus, quæ morem a majoribus, ipsis etiam Apostolis, Philippo & Johanne, hujusq; discipulo Polycarpo acceptum, retinendum esse acriter contendebant, ceremoniam in se indifferentem sub anathematis fulmine obtrusum ibat, quin imo easdem ecclesias ex causa insufficiente, ac prorsus injusta revera a communione sejungebat. Ast vero in præcedentibus ostensum est, culpam schismatis redundare ad eos, qui dominatum quendam ecclesiasticum nullo sibi jure competentem in alios renitentes, cæteroquin in libertate ecclesiastica perseverare volentes, pertinaciter affectant, & ex dominatu isto affectato aliis libertatis suæ ecclesiasticæ tenacibus ceremonias in se & in ordine ad divina præcepta indifferentes sub anathematis comminatione obtrusum eunt, aut ex causa injusta vel certe insufficiente publicos ecclesiarum aliarum Doctores aut integros Christianorum cœtus a communione ecclesiastica abscindunt. Quocirca in Victorem non solum antiqui Historiæ Ecclesiasticæ conditores, sed & multi ecclesiarum occidentalium episcopi, etsi die dominico festum Paschatos celebrandum esse existimarent, tanquam in schismaticum, acriter invehebantur. *Socrates* sane l. c. docet, ecclesias Asiaticas nunquam ab iis ecclesiis, quæ alio die Pascha celebrabant, sese abjunxisse, Victorem vero, Romanæ urbis episcopum, ἄμετρα θερμαθέντα h. e. *immodice æstuantem*, seu (ut ipse Jesuita *Valesius* reddit) *immodico iracundiæ æstu succensum*, Quartodeci-

manis, qui in Asia erant mississe ἀκοινωνησίαν, h. e. (interprete *Valesio*) *excommunicationis libellum*. Atque inter plures occidentales episcopos, qui (ut *Eusebius* l. c. narrat) Victoris facinus aversati eum πληκτικώτερον (h. e. *vehementer percutientium modo*) adstringebant, & ut ea potius sentiret, quæ paci & unitati, charitatiq; erga proximum congruerent, ex adverso cohortabantur, eminebat *Irenæus*, Lugduni, primariæ Galliarum urbis, episcopus, qui, (uti de ipso *Eusebius* ibidem prædicat) *nomini suo vere respondens, nec solo nomine, sed etiam vitæ instituto ac proposito* εἰρηνοποιὸς h. e. *pacificus*, pro ecclesiastica pace Victorem suo & ecclesiarum Galliæ nomine, synodo quadam antehabita, literas, testante l. c. Socrate, γενναίως (i. e. *masculè*) per literas perstrinxit, ejusq; θερμότητα h. e. *æstum* (seu acriorem impetum) reprehendit. Monebat *Irenæus* inter alia, vetustiores, qui diverso inter se more festum Paschatos celebrarunt, a mutua communione nequaquam fuisse divulsos, atq; Polycarpum, Smyrnensem episcopum, cum Aniceto, episcopo Romano, communicasse, nullatenus ab eo hujus festivitatis causa dissidentem, quamvis juxta patrium Smirnensis ecclesiæ morem quarto decimo die Pascha celebrandum statueret. Quid? quod ipsos Pontificios pudeat hodie vehementiæ & iniquitatis illius, qua *Victor* ecclesias Asiaticas a communione segregavit. Itaq; Jesuita *Henricus Valesius* in annotat. in *Euseb. Hist. Eccles.* Libr. V. c. XXIV. contendit, Victorem Papam ecclesias Asiæ a communio-

nione sua revera non sejunxisse, sed id tantum conatum atq; interminatum fuisse. Quanquam *Valesius*, quando commentum suum ex ipso *Eusebio* comprobare annititur, immane quantum impingat. Namq; non tantum *Eusebius* scribit, Victorem conatum esse ecclesias Asiæ a communi unione abscindere, sed & subjungit statim, eum datis literis omnes fratres, qui in Asia erant, proscripsisse, & ἀκοινωτήτους (h. e. *ab omni communione excluſos*) pronuntiasse. Hinc *Socrates* narratione Eusebiana, quam diserte allegat, nixus perhibet, Victorem *Quarto decimanis, qui in Asia erant, libellum excommunicationis misisse.* Id quod exPontificiis Scriptoribus probe animadvertens *Petrus Halloixius*, in *Notis* ad *Sanctorum primi secundique seculi Vitas & Documenta*, & quidem ad *Vitam Irenæi* p. 668. asserit, Victorem adversus Asianos excommunicationis tulisse sententiam.

§. 3. Seculo III. *Cyprianus*, Carthaginensis Episcopus, totius Africæ Primas, & reliqui Africani antistites statuebant, eos, qui ex qualibet hæresi convertuntur, baptismo iterato recipiendos esse: Contra vero Stephanus Papa homines illos sola manuum impositione recipi oportere contendebat atq; in Cyprianum, *fortissimum* illum & *gloriosissimum martyrem*, *quem inter raros & paucos excellentissimæ gratia viros pia mater Ecclesia numeravit*, ingens illud *sanctorum omnium & episcoporum & martyrum lumen*, Doctorem tanta morum sanctitate præditum, ut Chri-

stianus factus omnem suam substantiam pauperibus erogaret (quibus elogiis ab *Augustino* in Serm. de S. Cypr. & Lib. VI. de Bapt. contra Donatistas, *Vincentio Lirinensi* in commonitor. c. IX. *Hieronymo* in catal. Script. eccles. c. LXVII. is ornatur) tanto impetu detonabat, ut a christiana & fraterna communione eos excluderet. Sed hujus quoque schismatis culpa penes solum Romanum Pontificem, *Stephanum* jam memoratum, residebat. Is quippe non solum in Africanas, &, quæ cum *Cypriano* sentiebant, orientales ecclesias, ad servandum unitatis & pacis vinculum paratissimas, dominatum ecclesiasticum nullo sibi jure competentem affectabat, verum etiam ex causa insufficiente ecclesias illas, earumq; Doctores ipso actu a communione præscindebat. Quamvis enim *Cypriani* opinio de rebaptizandis hæreticis falsa esset, & postea ab ecclesia improbata & rejecta fuerit, ille tamen ob errorem istum ab ecclesiastica communione separandus non erat. Hinc ipse *Augustinus* Libr. II. contr. Cresc. c. XXI. illum haud obscure ab hæreseos pariter ac schismatis culpa excusat, quando prædicat de eo, quod, *quamdiu de hac re aliter sapuit, quam veritas diligentius considerata patefecit, ineffabili laude charitatis unitatem pacemque catholicam cum collegis suis, a quibus aliter sapuit, non reliquerit.* Contra vero *Firmilianus*, Cappadociæ episcopus, in quadam ad *Cyprian.* epistola, quæ inter Cypriani epistolas Tom. I. Operum illius *edit. Pamel.* extat, estq; ordine Epistola LXXV. in Stephanum Papam sic invehi-

vehitur: *Eos autem, qui Roma sunt, non ea in omnibus observare, quæ sint ab origine tradita, & frustra Apostolorum auctoritatem prætendere, scire quis etiam inde potest, quod circa celebrandos dies Paschæ, & circa multa alia divinæ rei Sacramenta, videat esse apud illos aliquas diversitates, nec observari illic omnia æqualiter, quæ Hierosolymis observantur. Secundum quod in cæteris quoque plurimis provinciis multa pro locorum & nominum diversitate variantur, nec tamen propter hoc ab Ecclesiæ Catholicæ pace atque unitate aliquando discessum est. Quod nunc Stephanus ausus est facere, RUMPENS adversum vos PACEM, quam semper antecessores ejus vobiscum amore & honore mutuo custodiverunt: adhuc etiam infamans Petrum & Paulum beatos Apostolos, quasi hoc ipsi tradiderint &c.* Ac porro non procul a fine, oratione ad Stephanum conversa: *Lites & dissensiones quantas parasti per ecclesias totius mundi? Peccatum vero quam magnum tibi exaggerasti, quando te a tot gregibus SCIDISTI? Excidisti enim te ipsum: noli te fallere. Siquidem ille est vere SCHISMATICUS, qui se a communione ecclesiastica unitatis apostatam fecerit.*

§. 4. Cum seculo quarto *Athanasius*, aliique ecclesiarum orientalium episcopi, suis sedibus per Eusebianorum factionem pulsi, nec probandæ innocentiæ locum invenientes in occidentem confugerent, ut Catholicorum & Constantis Imperatoris ope communioni ecclesiasticæ, suisque sedibus redderentur, *Julius* I. Papa

Romanus haccere ad dominatum, quem concupiscebat, stabiliendum abusus, Athanasium proprio ausu ab excommunicatione absolvebat, &, missis præterea literis citatoriis in orientem, proscriptorum episcoporum accusatores, & quos hi vicissim accusabant, velut judex causarum ecclesiasticarum universalis, pro autoritate citabat, quinimo ad episcopos orientales Antiochiæ congregatos scribebat, eos contra canones agere ipsum ad Synodum non vocando, cum canon ecclesiasticus exigat, non oportere citra Romani episcopi sententiam canones ab ecclesia sanciri. Vid. *Socrates* H. E. Lib. II. c. XVII. *Sozomenus* H.E. Libr. III. c. XIII. Verum enim vero ille *Julii* ausus episcopos etiam catholicos, Athanasio alioqui faventes, tantopere offendebat, ut in concilio Antiocheno non solum Athanasii absolutionem, quod contra canones facta esset, irritam pronunciarent, *Julioque*, quod partes judicis supremi sibi sumsisset, & orientes episcopos pro autoritate citasset, exprobrarent, verum etiam canone quodam, ne causa in consilio semel discussa, alterutra parte petente, iterum alibi, nisi in concilio majori, dijudicarentur, sancirent. Atque hæc inter Julium & orientales episcopos contentio tandem (ut *Sozomenus* l. c. testatur) in schisma desinebant: cujus culpa unice redundabat ad Julium, quippe qui in alios libertatem suam animose defendentes cæteroquin ad servandam pacem & concordiam quam maxime paratos, Dominatum affectabat.

§. 5.

§. 5. Cum seculo quinto *Acacius*, quippe qui juxta concilii Constantinopolitani I. & Chalchedonensis canones locum a Romano Patriarcha proximum, & paria cum eo privilegia per omnia obtinebat, suæ sedis juribus & privilegiis pro re nata uteretur, *Simplicius* tanta vehementia obluctabatur, ut eum, & omnes, qui cum ipso communicabant, excommunicaret. Ubi sane Manifestum est, Schismatis exorti culpam soli *Simplicio* adhæsisse, cum ipse non tantum dominatum quendam ecclesiasticum nullo sibi jure competentem in alios renitentes, suæque libertatis tenaces, cæteroquin in communione ecclesiastica perseverare volentes, pertinaciter sibi arrogaret, sed & eosdem, quando libertatem suam mascule tuebantur, ex causa insufficiente atque injusta a communione ecclesiastica abscinderet.

Th. LXXXIV.

Patet etiam ex dictis, deplorandi illius, quo Romana ecclesia & Protestantes distrahuntur, Schismatis culpam penes Pontificios solos residere.

§. 1. Vtraque dissidentium pars (nimirum cum Pontificia secta, tum Protestantium ecclesia) infaustæ illius discordiæ culpam amoliri a se annititur. Protestantes enim de Pontificiis, tanquam de exitialis schismatis autoribus, graviter conqueruntur. Inquiunt quippe sub *Augustanæ Confes-*

sionis finem: Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Episcopis, sed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium pure doceri, & relaxent paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Quod si nihil remiserint, ipsi viderint, quomodo DEO rationem reddituri sint, quod pertinaciæ suæ causam schismati præbent. Et sub finem *Apologiæ* pro illa sua confessione scriptæ ajunt: *Isti rationem schismatis excitati reddent, qui manifestam veritatem initio condemnaverunt, & nunc summa crudelitate persequuntur.* Pontificii contendunt magnopere, omnem schismatis reatum ad Protestantes solos redundare. Videmus hinc Protestantes schismaticorum æque ac hæreticorum nomine in *Tridentin. Concilio* Sess. VI. cap. IX. appellitari: Deprehendimus duos missionarios fratres Belgas, *Adrianum* & *Petrum de Walenburch* in Tractatu peculiari de *unitate Eccles. & schismate Protestantium aliorumque*, nec non *Vitum Erbermannum* in *Parall. Eccles. veræ & falsæ* qv. VIII. pag. 97. seqq. & *Augustinum Gibbon. de Burgo* in Tr. de *Luthero-Calvinismo Schismatico, sed reconciliabili*, inprimis Disp. III. p. 119. assertum illud, quod Protestantes sint schismatis rei, prolixe defendentes.

§. 2. Verum enim vero non Protestantes sed Romanos Pontifices, eorumque sectatores pro schismaticis habendos esse, ex variis multisque argumentis liquet. Quippe I. schismatis culpa, ut ad Thes. præced. LXXV. demonstratum dedimus, penes eos est, qui pertinaciter propugnant errores ip-

ipsam fidem aut fundamentum fidei evertentes. Ast vero Romanam curiam complures talismodi errores fovere ac pertinacissime tueri, superius in doctrina de ecclesia vera & falsa ex *Augustanæ Confessionis Apologia* docuimus. II. Evictum est ad Thes. antecedentem LXXVI. schismatis culpam ad eos redundare qui rectæ fidei sectatores, ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in se est, paratos, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnant, horrendisque modis persequuntur. Ast quanta sævitia Lutherum & Protestantes infectata sit, & infectetur Pontificia factio, docent tot fulminantes Pontificum Romanorum bullæ, tot a Patribus Tridentinis in dissentientes jactata anathemata, totque martyria Confessorum, in quos ferro & igne, variisque tormentorum ac cruciatuum generibus ob eam, quam Protestantes professi sunt & profitentur, doctrinam immane quantum ad necem usque sævitum est. Nec vero protestantes ullius convictos esse erroris, documentum manifestissimum est vel ipsa eorum Confessio in *Augustanis* comitiis Cæsari exhibita. Ea enim nullum in se dogma continet, quod non in ipsa Scriptura Sacra vel *formaliter* (h. e. totidem claris & expressis verbis) vel *virtualiter* (i. e. per consequentiam necessariam) tradatur. Et uti alias ex jurium præscripto quilibet tamdiu præsumitur bonus, donec probetur contrarium, ita & Confessio Protestantium Augustana tamdiu ab erroribus dogmaticis immunis esse præsumitur, donec rationibus solidis contrarium evi-

evictum fuerit: at vero fieri hoc hactenus nondum potuisse, ex inductione omnium ac singulorum inibi comprehensorum articulorum manifeste adparet. Hinc *Protestantes* in ejusdem confessionis *Apologia* sub finem intrepide scribunt: *Hæc pro tempore respondimus* ad (confessionis nostræ) *confutationem* (quam Theologi quidam Pontificii ac monachi adornaverant.) *Nunc judicium permittimus omnibus piis, an adversarii recte glorientur, se confessionem nostram scripturis vere confutasse.* Sic & ex præfatione, quæ eidem Apologiæ præmissa est, liquidissime constat, Protestantes, antequam damnarentur, non fuisse satis auditos. Ibi enim illi conqueruntur, se confutationis in consessu Principum prælectæ, quam adversarii contra Augustanam confessionem composuerant, exemplum nonnisi periculosissimis conditionibus, quas recipere non poterant, impetrare potuisse, sed potius iterata vice ab ipsis postulatum esse, ut scripto non inspecto assentirentur, atque hinc in *Apologia* sua se ad confutationis capita & argumenta, quæ inter prælegendum excipi poterant, scripto respondisse, hanc autem Apologiam a Cæsare, etsi oblata ei fuerit, non esse acceptam. Quamvis vero *Protestantes* in comitiis Augustanis non fuerint satis auditi, edictum tamen publicum ibi edebatur, quod veritatem, quam confessi fuerant Protestantes, velut doctrinam hæreticam damnabat & proscribebat, corruptelas Pontificias autem, sacris literis e diametro adversas, confirmabat, adjecta in dissentientes

entes graviſſima comminatione, fore, ut, niſi eas-dem probarent & amplecterentur, vocatis in auxilium Pontifice & exteris Regibus, vi & armis compellantur. Liquet præterea ex allegatis jam Proteſtantium ſymbolicis libris, (Auguſtana videlicet Confeſſione, hujusque Apologia) eos ſtatim ſub initium reformationis omni in id ſtudio incubuiſſe, ut, quantum in ipſis eſſet, vinculum unitatis ac pacis integrum ſervaretur. Ibi enim non ſolum ſchiſma imminens & diſcordias vehementer abominantur, ſed & ad omnia, quæ illæſa conſcientia vel ſalva fide ac pietate fieri poſſint, facienda, quin imo ad agnoſcendam Pontificiorum epiſcoporum in ſuas eccleſias jurisdictionem ſeſe offerunt, id unum, ut corruptelæ ipſam fidem evertentes, & abuſus impii juxta ac ſuperſtitioſi in ſuarum ditionum eccleſiis abrogentur, magnopere petentes. *Auguſtana* ſane *Confeſſio* ſub finem ultimi articuli ait: *Facile poſſent Epiſcopi legitimam obedientiam retinere, ſi non urgerent ſervare traditiones, quæ bona conſcientia ſervari non poſſunt. Nunc imperant coelibatum, nullos recipiunt, niſi jurent, ſe puram Evangelii doctrinam nolle docere. Non petunt Eccleſiæ, ut Epiſcopi honoris ſui jactura ſarciant concordiam, quod tamen decebat bonos paſtores facere. Tantum petunt, ut injuſta opera remittant, quæ nova ſunt, & præter conſuetudinem Eccleſiæ catholicæ recepta.* Et quibusdam interjectis: *Nunc non id agitur, ut dominatio eripiatur Epiſcopis, ſed hoc unum petitur, ut patiantur Evangelium pure doceri, & relaxent pau-*

paucas quasdam observationes, quæ sine peccato servari non possunt. Eodem pertinet, quod *Protestantes* in præfatione *Apologiæ* huncce in modum scribunt: *Non delectat nos discordia, nec nihil movemur periculo, quod quantum sit in tanta acerbitate odiorum, quibus intelligimus accensos esse adversarios, facile intelligimus. Sed non possumus abjicere manifestam veritatem & Ecclesiæ necessariam, quare incommoda & pericula propter gloriam Christi, & utilitatem Ecclesiæ perferenda esse sentimus, & confidimus DEO probari hoc nostrum officium, & speramus aequiora de nobis judicia posteritatis fore.* Copiosius in illa ipsa *Apologia* p. m. 204. suum colendæ pacis ac unitatis desiderium significant *Protestantes*, ubi inquiunt: *Hac de re in hoc conventu sæpe testati sumus, nos summa voluntate cupere conservare politiam Ecclesiasticam, & gradus in Ecclesia factos etiam humana autoritate. Scimus enim, bono & utili consilio a Patribus Ecclesiasticam disciplinam hoc modo, ut veteres canones describunt, constitutam esse. Sed Episcopi sacerdotes nostros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confessi sumus, abjicere ac damnare, aut nova & inaudita crudelitate miseros & innocentes occidunt: Hæ causæ impediunt, quo minus agnoscant hos Episcopos nostri sacerdotes: Ita sævitia Episcoporum in causa est, quare alicubi dissolvitur illa canonica politia, quam nos magnopere cupiebamus conservare. Ipsi viderint, quomodo rationem Deo reddituri sint, quod dissipant Ecclesiam. Nostræ conscientiæ hac in re nihil habent periculi, quia*

cum

cum sciamus confessionem nostram veram, piam, & catholicam esse, non debemus approbare sævitiam istorum, qui hanc doctrinam persequuntur. Ac paulo post: *Porro hic iterum volumus testatum, nos libenter conservaturos esse Ecclesiasticam & canonicam politiam, si modo Episcopi desinant in nostras ecclesias sævire: Hæc nostra voluntas & coram Deo & apud omnes gentes, ad omnem posteritatem excusabit nos, ne nobis imputari possit, quod episcoporum autoritas labefactatur, ubi legerint atque audierint homines, nos injustam sævitiam Episcoporum deprecantes, nihil æqui impetrare potuisse.* Scilicet ex testimoniis hactenus allegatis patet abunde, Lutherum & Protestantes, ut servaretur pacis & concordiæ ecclesiasticæ vinculum, demisisse se usq; adeo, ut episcoporum potestatem & jurisdictionem ecclesiasticam agnoscere, iisq; in omnibus, quæ puriori doctrinæ Evangelii non obessent, neque conscientiam læderent, obedientiam præstare vellent. *Protestantes* igitur in conservandam ecclesiæ unitatem & pacem tunc adeo propensi erant, ut ejusdem obtinendæ causa adversæ parti plus justo, non absq; ecclesiarum periculo, præsertim in puncto restituendæ episcopis potestatis & jurisdictionis ecclesiasticæ, indulsisse ex multorum judicio viderentur. Hinc septennio post ipsi *Protestantes*, cum intelligerent penitius, quantis periculis & incommodis Protestantium Ecclesiæ exponerentur, si jurisdictioni episcoporum Pontificiorum subjectæ essent, in peculiari *de potestate & jurisdictione episcoporum*

rum tractatu, *Articulis Smalcaldicis* annexo, p. m. 355. omnem episcoporum illorum jurisdictionem excussere, ubi ita commentati sunt: *Cum igitur Episcopi, qui sunt addicti Papæ, defendant impiam doctrinam & impios cultus, nec ordinent pios Doctores: Imo adjuvent sævitiam Papæ: præterea jurisdictionem eripuerint, & hanc tantum tyrannice exerceant: postremo cum in causis matrimonialibus multas injustas leges observent: satis multa & necessariæ causæ sunt, quare ecclesiæ non agnoscant eos tanquam Episcopos.*

§. 3. Alia insuper suppetunt argumenta, ex quibus liquet omnino, penes Romanos Pontifices, eorumque sectatores schismatis illius, quo Romana Ecclesia & Protestantes divelluntur, culpam residere. Quippe III. in thesi antecedente LXXVIII. ostensum est, schismatis crimen eos incurrere, qui sub aliquo divini juris prætextu vendicant sibi in alios dominatum ecclesiasticum absolute & simpliciter illimitatum, cui contradicere nemo ulla ratione, ac sese opponere debeat, & cui nulla creatura humana sine periculo amittendæ salutis se subducere possit. Atqui talem dominatum isthac ratione in totum christianum orbem vendicare sibi Romanum Pontificem, *Protestantes* in tractatu de *potestate & primato Papæ*, articulis Smalcaldicis subjuncto, recte objiciunt, quando ibi conqueruntur, *Romanum Pontificem arrogare sibi, quod jure divino sit supra omnes Episcopos & Pastores*, deinde addere etiam, qvod *jure divino habeat utrumque gladium, hoc est, autoritatem*

tem etiam regna conferendi & transferendi, & tertio dicere, *quod hæc credere sit de necessitate salutis, imo velle eum, suos articulos, sua decreta, suas leges existimari pares legibus divinis, hoc est sentire ipsum, sic obligari conscientias hominum legibus Pontificiis, ut peccent mortaliter, qui eas negligunt etiam sine scandalo*; & atrocius esse, quod addat, *de necessitate salutis esse, hæc omnia credere.* Romana certe curia in Jure Canonico, & quidem Dist. XL. c. *Si Papa*, disertis verbis statuit, Papæ *culpas, etiamsi is innumerabiles populos catervatim secum in gehennam ducat, arguere mortalium nullum præsumere, quia cunctos ipse judicaturus a nemine sit judicandus.* Quid? quod ipse Pontifex *Bonifacius* VIII. Extravag. Comm. Lib. I. de Majorit. & Obed. Cap. *unam* contendat, *omni creaturæ ad salutem necessarium esse, ut subsit Romano Pontifici*; & *Gregorius* VII. in Dictatibus suis asserat, quod *solus Romanus Pontifex jure dicatur universalis*; *quod illius solius nomen in Ecclesia recitetur*, quod *unicum sit nomen in mundo, Papæ videlicet*; quod *sententia illius a nullo debeat retractari, & ipse omnium solus retractare possit*; *quod a nemine ipse judicari debeat.* Quas sententias *hactenus in Ecclesia catholica usu receptas fuisse*, in Annal. ad A. 1076. §. 30. *Baronius* docet. Atque huc spectat, quod *Catechismus Romanus* p. 293. asserit, *Catholicam Ecclesiam agnoscere in Romano Pontifice Maximo summum dignitatis gradum & jurisdictionis amplitudinem, non quidem ullis synodicis aut aliis humanis constitutionibus, sed DIVINITUS datam.*

§. 4. Cum IV. culpa schismatis juxta Thesin nostram LXXIX. penes eos sit, qui ceremonias in se indifferentes sub ratione cultus Deum placantis aut sub ratione meriti erga Deum integris Christianorum cœtibus obtrudant, manifestum sane est, schismatis, quo ecclesia Romana & Protestantes distrahuntur, culpam ad Romanam curiam redundare. Vere enim de Pontificiis *Protestantes* in Augustanæ Confessionis *Apologia* pag. 205. scribunt: *Etiamsi arbitrabamur, adversarios ex aliis causis defensuros esse traditiones humanas, tamen hoc non putavimus futurum, ut hunc Articulum damnarent, non mereri nos remissionem peccatorum, aut gratiam observatione traditionum humanarum. Postquam igitur hic Articulus damnatus est, facilem & planam causam habemus. Nunc aperte judaizant adversarii, aperte obruunt Evangelium doctrinis dæmoniorum. Tunc enim Scriptura vocat traditiones doctrinas dæmoniorum, quando docetur, quod sint cultus utiles ad promerendam remissionem peccatorum & gratiam. Tunc enim obscurant Evangelium, beneficium Christi & justitiam fidei. Evangelium docet, nos fide propter Christum gratis accipere remissionem peccatorum & reconciliari Deo.*

§. 5. Et cum juxta thesin nostram LXXX. superius demonstratam illi per se causa schismatis sint, qui publicos ecclesiarum Doctores, vel integros Christianorum cœtus ex causa injusta (e.gr. eo, quod manifestam veritatem projicere, vel impiam & injustam legem defendere, & cum ipsis

sis in innocentes sævire nolint) a communione ecclesiastica abscindunt, patet itidem liquidissime, schismatis, quo Romana Ecclesia & Protestantes invicem divelluntur, culpam non nisi penes Pontifices Romanos, eorumq; propugnatores residere. Sic quippe *Protestantes* in Aug. Confess. *Apologia* pag. 247. conqueruntur: *Scimus, aliquid offensionis esse in schismate, quod videmur divulsi ab his, qui existimantur esse ordinarii episcopi. Sed nostra conscientia tutissimæ sunt, postquam scimus, nos summo studio concordiam constituere cupientes, non posse placare adversarios, nisi manifestam veritatem projiciamus, deinde nisi cum ipsis conspiremus, quod velimus hanc injustam legem* (de perpetuo cœlibatu) *defendere, contracta matrimonia dissolvere, interficere sacerdotes, si qui non obtemperent, in exilium agere miseras mulieres atque orbos pueros. Cum autem certum sit, has conditiones Deo displicere, nihil doleamus, nos non habere συμμαχίαν tot parricidiorum cum adversariis.*

Th. LXXXV.

Nec minus ex iis, quæ de auctoribus schismatis hucusq; disseruimus, liquet quod, si contentio inter Romanam curiam, & magnam cleri Gallicani partem eo adhuc anno quo hæc scribo, anno videlicet 1717. agitata, in schisma desineret, sola illa curia schismatis damnanda esset. Namque (1.) hodiernus Papa, *Clemens* XI. dominatum eccle-

siasticum absolute & simpliciter illimitatum, cui contradicere nemo ulla ratione, ac sese opponere debeat, & cui nulla creatura humana sine periculo amittendæ salutis sese subducere possit, in ecclesiam Gallicanam renitentem, suæque libertatis tenacem, cæteroquin in ecclesiastica communione perseverare volentem, pertinaciter affectat; (2) Doctores multos Gallicanos, etiam quatenus cœlestem veritatem sectantur, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnat & persequitur, (3.) Doctores illos ex causis injustissimis, nimirum eo, quod ad legendam Scripturam Sacram Laicos admittant, & injustam impiamque legem, Constitutionem scilicet Papalem anno 1713. evulgatam, recipere ac defendere nolint, ipso actu a communione ecclesiastica abscindit.

§. 1. Postquam *Paschasius Quesnellus*, oratorii Berulliani Presbyter *Parisinus*, vir præclaris ingenii dotibus, externo pietatis Zelo, & eruditione eminens, anno 1671. evangelia Novi Testamenti, integrum autem Novum Testamentum anno 1687. ac deinceps octies cum notis moralibus in publicum idomate Gallico edidisset, idq; magno legentium applausu, atq; cumplurium in Gallia florentium episcoporum catholicorum ap-

pro-

probatione exceptum esset, anno demum 1713. quædam Romani Pontificis, Clementis XI. Bulla (quæ, cum ita incipiat: *Vnigenitus Dei Filius, pro nostra & totius mundi salute filius hominis factus, dum discipulos suos doctrina veritatis instrueret, universamque ecclesiam suam in apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus a falsis Prophetis* &c. a voce initiali: Vnigenitus, *Constitutio Vnigenitus* denominari consuevit) adversus illud scriptum promulgata fuit. Quod Papæ decretum non solum a Jesuita *Johanne Harduino* Tom. XI. collectioni conciliorum regiæ fol. 1631. seqq. insertum, sed & in Germania tum Helmstadii anno 1716. a *Cornelio Dieterico Kochio*, doctissimo viro, Latine, tum Ulmæ a *Johanne Frickio*, celeberrimo Theologiæ Professore, cum notis eruditissimis cum versione Teutonica evulgatum est. Eadem hæc constitutio, Rege Ludovico XIV. Romani pontificis ausum excitante & adjuvante tantopere in Gallia propugnabatur, ut universus, qui in terris illis degebat, Clerus recipere ipsam cogeretur, postea vero, ubi Rex *Ludovicus XV.* annis minor, & Philippus Dux Aurelianensis, regni Gallicani fasces suscepe-runt, variis multisq; contradictionibus, quæ etiamnum fervent, impetebatur. Neq; enim tantummodo *Quesnellus*, nunc octogenario major, atq; in patriam, ex qua jam anno 1685. ideo, quod Formulæ adversus *Jansenium* publicatæ subscribere abnueret, profugerat, feliciter reversus, eiq;

pridem favens cardinalis, & archiepiscopus Parisiensis, *Ludovicus Antonius Noallius*, se a Pontifice Romano nusquam satis auditos fuisse queruntur, verum etiam *Sorbona* Parisiensis, se nusquam papalem Bullam acceptasse palam profitetur, magnaq; Cleri Gallicani pars Ecclesiæ Gallicanæ libertatem tot seculis assertam, Romani Pontificis sævitia & iniquitate immane quantum infringi denuntiat, cæteroquin ad servandum pacis & unitatis vinculum se paratissimam esse asseverans. Cum vero Pontifex in *Quesnellum*, *Noallium*, *Sorbonam*, totq; a partibus Quesnellianis stantes episcopos sævire pergat, tota tandem contentio, nisi mature eatur obviam, in schisma desitura multis hactenus visa est. Pleniorem causæ Quesnellianæ, atq; exinde orti tumultus, historiam tradunt *Acta eruditorum Lipsiensium*, *Diarium Hagiense*, Clarissimus *Jenichius*, & *Introductio ad Historiam Jansenismi* a prælaudato *Frickio* contexta, quam ipse editæ a se Constitutioni Clementinæ præmisit.

§. 2. Illam equidem procedendi rationem, qua Clemens XI. in Quesnellum, ejusq; asseclas, Noallium inprimis, egit, nemo facile in tota ecclesia Gallicana, quippe quæ de eo spem optimam conceperat, expectasset. Hic enim Pontifex sub initium statim sui præsulatus se assentatores nullos, candidos autem, justiq; & æquitatis amantes monitores ferre posse, seq; *Bernardi* summa παρρησία ad Eugenium Pontificem conscriptos *Considerationum* libros in consilio semper hebi-

habiturum, nec nisi antecessores suos antiquissimos, & pietatis ac justitiæ laude ad memoriam posteritatis insignes sibi ad imitationem propositurum esse significaverat. Ast ille processus, quem Jesuitarum assentatorum instinctu adversus Quesnellum, ejusq; sectatores & autores adornabat, nullam justitiam, nullam æquitatem sapiebat. Licet enim Quesnellus, ubi suas in Novum Testamentum notas in congregatione Romæ instituta, cui Cardinalis *Fabroni*, maximus Jesuitarum Patronus, præsidebat, examinari compererat, literis ad Pontificem humillimæ exaratis supplicite petiisset, ut ipse ante omnia satis audiretur, Cardinalis & Archi-episcopi Noallii votum & sententia requireretur, & episcopi *Bossueti* jam defuncti de annotationibus Quesnellianis judicium anno 1699. publice editum expenderetur, horum tamen nihil impetrabat, cum anno 1713. d 8. sept. Bulla prodiret, quæ Novum Testamentum Quesnellianum plane proscribebat, & nominatim CI. propositiones ex eodem excerptas, quæ magnam partem Scripturæ Sacræ, & Augustini de Gratia & Libero Arbitrio doctrinis Anti-Pelagianis consentaneæ erant promiscue damnabat, ejus lectores, asservatores & defensores, excommunicabat, aliasq; gravissimas in eos pœnas constituebat, atq; adeo cœcam, absolutam, & illimitatam obedientiam, nulla admissa exceptione aut declaratione, a tota Ecclesia Gallicana exigebat. Rejiciebat quippe etiam hasce manifestæ veritatis propositiones: *Peccator non est liber, nisi ad malum, si-*

ne gratia liberatoris. Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum, sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate? Vtile & necessarium est omni tempore, omni loco & omni personarum generi, studere & cognoscere spiritum, pietatem & mysteria sacræ scripturæ. Lectio sacræ scripturæ est pro omnibus. Obscuritas sancti Verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi seipsos ab ejus lectione. Est illusio, sibi persuadere, quod notitia mysteriorum religionis non debeat communicari fœminis lectione sacrorum librorum: non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses: Abripere e christianorum manibus Novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare. Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere, ut patiantur speciem quandam excommunicationis. Quas sane propositiones (horrendum dictu!) expressis verbis *reprobat damnatque* Bulla tan-

tanquam falsas, captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, pernicioſas, temerarias, ecclesiæ & ejus praxi injuriosas, nequæ in ecclesiam solum, sed etiam in potestates seculi contumelioſas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresin ipsam sapientes, nec non hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses manifeste innovantes. Atque veriſſimarum illarum propoſitionum aſſertores eadem Bulla increpat vehementer, excommunicat prorſus, aliarumq; graviſſimarum pœnarum comminationibus terret. Quippe non ſolum eos ſub initium ſtatim vocat *magiſtros mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, ſectas perditionis ſub imagine ſanctitatis introducant, quique ut facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſeſe divinæ legis ſententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolventes, ſanctarum ſcripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis nequiter abutantur, antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſint, mendacii parentis, exemplo ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut, ubi nefarii erroris ſub introducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur autoritas*; verum etiam ſub finem omnibus Chriſtianis, ne *de propoſitionibus ex Novo Queſnelli Teſtamento* excerptis *ſentire, docere & prædicare aliter præſumant, quam in ipſa* (Bulla) *continetur*, eo rigore mandat, ut

quicunq; *illas vel illarum aliquam, conjunctim vel divisim, docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis disputative, publice aut privatim, tractaverit, nisi forsan impugnando, ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a jure* (Pontificio) *statutis pœnis ipso facto, ABSQVE ALIA DECLARATIONE subjaceat:* ac porro *omnes in Novi Testamenti Quesnelliani defensionem tam scriptos, quam typis editos, seu forsan edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem & usum, omnibus & singulis Christi fidelibus, sub Pœna excommunicationis, per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibet pariter & interdicit.*

§. 3. Etsi vero *Noallius* constitutionem illam, utpote justitiæ, æquitati, & verbo DEI repugnantem, illæsa conscientia & salva cœlesti veritate se acceptare non posse, interritus contenderet, magna tamen reverentia sedem Romanam se prosequi, & qua eam veneretur, devotione in nihil imminutum iri asseverabat, dubiorum suorum, Romano Pontifici jam propositorum, solutionem solidam se præstolari professus. Reliqui quoque Noallio conjuncti quindecim episcopi, se primatum ac potestatem Papæ agnoscere, eique obsequium (ut ut non coecum, nec absolutum & illimitatum) semper se exhibituros confitebantur. Cæterum *Noallius*, eique addicti episcopi precibus suis, suaque submissa veneratione a Romana curia nil nisi increpationem & comminationem obtinebant. Interea tamen illi tum libertatum eccle-

ecclesiæ Gallicanæ, tum doctrinæ suæ tenaces erant, nullis spei illecebris, nullo metus turbine ad id, ut ad transalpinas fabulas deficerent, permoti, docebant quippe inter alia intrepidi, *hominem sibi relictum nullas in rebus spiritualibus vires possidere, atque Gratiam Dei ad conversionem, illuminationem, renovationem, omneque opus vere bonum simpliciter necessariam esse; ad lectionem Scripturæ Sacræ* (utpote licitam, necessariam, utilem & salutarem) *Laicos indiscriminatim esse admittendos, imo invitandos; Papam per se haud pollere infallibilitatis dono; autoritatem Conciliorum & Ecclesiæ esse superiorem Papa, ipsumque teneri obsequi decretis conciliorum & Ecclesiæ nec, nisi ecclesiæ consensus accedat, ejus judicium infallibile esse*, atq; hinc *Papæ ab episcopis obedientiam absolutam & illimitatam non deberi; Reges & Principes in rebus secularibus & civilibus potestati Papæ non esse obnoxios; Ecclesiam Gallicanam vi suæ libertatis controversias in suo corpore natas per se, in primæ tanquam instantia, dijudicare posse &c.* Quæ episcoporum illorum constantia, Rege Ludovico XIV. extincto, assensum plenissimum aulæ regiæ, Parlamenti Parisiensis, Sorbonæ, multorumq; Theologorum, etiam eorum, qui metu imminentis periculi Papalem constitutionem ante receperant, ac totius fere plebis consequebatur. Id quod eo facilius propterea eveniebat, quod jam ante *Quesnellum* & *Noallium* alii in Gallia cordati ac præstantissimi Viri eadem illa asserta, quæ quidem

dem ad Papæ infalibillitatem & poteſtatem, eccleſiæq; Gallicanæ privilegia attinent, tradiderint palam, & maſcule propugnaverint. Conſtat enim, jam ſeculo XV. *Johannem Gerſonem*, Cancellarium Pariſienſem, eiq; ſuffragantem *Sorbonam*, poteſtatem Pontificis voluiſſe reſtrictam. Conſtat quoq;, quod *Jacobus Boſſuet*, epiſcopus Condomenſis, in Expoſit. Fid. cap. XXI. docuerit, *ſufficere, ſi Papa agnoſcatur Caput & Paſtor a DEO conſtitutus, ut gregem omnem in viam ejus dirigat, atque illi quidem eam ſubjectionem deberi, eam obedientiam, quam ſancta concilia, ſanctique Patres ubique Chriſtianos docuerunt.* Sic & olim Cleri Gallicani de eccleſiaſtica poteſtate Declaratio per edictum Regium approbata, §. IV. diſerte aſſeruit, *in fidei quæſtionibus præcipuas ſummi Pontificis eſſe partes, ejusque decreta ad omnes & ſingulas Eccleſias pertinere, nec tamen irreformabile eſſe judicium, niſi eccleſiæ conſenſus acceſſerit.* Extat præterea Petri de marca, primum Tholuſani, deinde Pariſienſis Archi-epiſcopi nigens tractatus de Concordia *Sacerdotii & Imperii*, in quo contra infallibilitatem Papæ, & abſolutum, quem ille ſibi arrogat, dominatum eccleſiaſticum diſputatur, eccleſiæq; Gallicanæ libertates & privilegia recenſentur ac defenduntur: Quanquam Præſul ille Pontifici aliquam in omnes Chriſtianorum cœtus poteſtatem tribuat, atq; argumentum illud, quo Imperatores in primitiva eccleſia eminens ſacrorum jus externamq; poteſtatem eccleſiaſticam tenuiſſe pariter & exercuiſſe, ex toto eccleſiæ univer-

niversæ canonum codice a Justiniano confirmato, totq; in Justinianeo Juxta ac Theodosiano Codice deprehensis legibus, quas Imperatores illi de rebus personisq; ecclesiasticis condidere, demonstramus, *Libr. II. Cap. XI.* (utut inepte, & non sine manifestæ contradictionis nota, ceu inferius ostendemus) impugnatum eat. Celebrantur insuper *Pithœi* Libertates ecclesiæ *Gallicanæ*, hodie ab Abb. *Lengleto* adauctæ.

§. 4. Licet igitur *Noallius*, aliique adstipulantes ei Episcopi ac Doctores causam suam egregie perorent, Romana tamen curia graviores, quos in doctrina fidei ac morum fovet, errores pertinaciter propugnat, totique Clero *Gallicano*, & universo, quacunque patet, Christiano orbi sub anathematis fulmine, aliarumque poenarum comminatione improbam & iniquam bullam etiamnum obtrudit. Quæ contumacia & sævitia uti veritatatem coelestem nefarie impetit, ita Ecclesiæ *Gallicanæ* libertates & privilegeia, multis retro seculis possessa & defensa, injustissime oppugnare pergit.

§. 5. Atque ex iis omnibus, quæ de bulla illa famosa, quam *Constitutionem Unigenitus* appellitant, ejusque adversariis narravimus, quilibet homo ab affectibus liber, nulloque partium studio abreptus animadvertit, verissimam esse thesin nostram, quæ (1) asserit, *hodiernum Papam dominatum ecclesiasticum absolute & simpliciter illimitatum in ecclesiam Gallicanam renitentem, suæque libertatis tenacem, cæteroquin in ecclesiastica communio-*

nione perseverare volentem, pertinaciter affectare, (2) *multos Doctores Gallicanos, etiam quatenus cœlestem veritatem sectantur, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnare & persequi,* (3) *Doctores illos ex causis injustissimis, nimirum eo, quod ad legendam Scripturam Sacram Laicos admittant, & injustam impiamque legem, constitutionem scilicet Papalem, recipere ac defendere nolint, a communione ecclesiastica actu ipso abscindere.* Scilicet hoc ipso Pontifex legit vestigia schismaticorum suorum antecessorum, *Victoris* nimirum, (qui seculo II. in omnes ecclesias Asiaticas, suæ quidem libertatis tenaces, cæteroquin ad servandum unitatis vinculum paratas, dominatum quendam pertinaciter affectabat, iisque ex sua dominandi libidine ceremoniam in se indifferentem sub anathematis fulmine obtrusum ibat) *Stephani*, (qui sec. III. non solum in Africanas, & quæ cum Cypriano sentiebant, orientales ecclesias, ad concordiam colendam quam maxime propensas, sibi itidem dominatum arrogabat, sed & ecclesias illas, earumque doctores ex causa insufficiente ipso actu a communione præscindebat,) *Julio I.* (qui seculo III. in orientales episcopos renitentes jurisdictionem sibi sumebat,) *Simplicii*, (qui seculo V. in Acacium, Constintinopolitanum Patriarcham, pariacum ipso privilegia obtinentem, potestatem quandam prætentebat, eumque sedis suæ jura masculè tuentem excommunicabat,) *Leonis* X. (qui non tantum errores ipsam fidem aut fundamentum fidei evertentes pertinaciter propugnabat, verum

verum etiam Lutherum, aliosque rectæ fidei sectatores ad servandum unitatis & pacis vinculum, quantum in ipsis erat, paratos, eosque nec auditos satis, nec erroris convictos damnabat, horrendisque modis persequebatur, & sub aliquo divini juris prætextu in totum Christianum orbem dominatum ecclesiasticum absolute & simpliciter illimitatum sibi vendicabat.)

§. 6. Quæ hactenus pro *Quesnello* & *Noallio* scripsimus, ea unice veritatis vi subacti, nullo autem affectuum præcipitio abrepti, asseruimus. *Quesnellus* enim & *Noallius* favorem *Protestantium* sibi haud ita conciliarunt, ut hi in eorum gratiam contra conscientiam & veritatem scribere aut dicere quid existimandi sint. Sane *Quesnellus* in scripto contra *D. Leydeckerum* edito complura dogmata Pontificia tuetur, in Latina non ita pridem edita *protestatione* suæque doctrinæ *declaratione* ad concilium Tridentinum provocat, ac se toto animo Romanæ ecclesiæ addictum esse ipse condocet, passimque in iis, quas Pontifex damnavit, in Novum Testamentum annotationibus in Protestantes, velut hæreticos, invehitur, quin imo in quibusdam propositionibus, quas bulla Clementis XI. excerpsit ac rejecit, ea asserit, quæ doctores Lutherani simpliciter non approbant. Sic & *Noallius* non solum jam anno. 1699. acre adversus Protestantes edictum ad conversos recentes (ut vocantur) emisit, verum etiam adhuc ecclesiasticos Reformatorum conventus enixe impedit, eosque a frequentandis sacris, quæ Regum ac Prin-

Principum Protestantium Legati Lutetiæ instituunt, omnibus modis prohibet.

Th. LXXXVI.

Non solum autem schisma unitati ecclesiæ opponitur, sed etiam *syncretismus* ex usu loquendi, ecclesiæ orthodoxæ recepto & quidem absolute sic dictus, licet quandoque nomen pacis, aut concordiæ ecclesiasticæ induat, veræ & legitimæ unitati ecclesiasticæ repugnat.

Th. LXXXVII.

Syncretismus ille est ea pacis ineundæ ratio, qua partes in Religione dissidentes, dissidio illo nondum sublato, in concordiam fraternam & ecclesiasticam ita coalescunt, ut errores doctrinæ in parte dissentiente tolerentur, ipsæque personæ errantes tanquam fratres in Christo & cohæredes vitæ æternæ intra societatem ecclesiasticam ferantur.

§. 1. Loquor in thesi de Syncretismo *juxta usum loquendi ecclesiasticum* sic dicto. Syncretismus enim vi *Originis* & *primævæ suæ significationis* est pax profana, quam partes dissidentes more Cretensium ad tempus ineunt ad depellendum communem hostem, odiis & injuriis, velut causis

sis belli, manentibus. Ex usu namq; loquendi συγκρητίζειν olim dicebantur illi dissidentes, qui ad imitationem Cretensium ob imminentem hostem communem aut ob imminens periculum commune, subito ad tempus, odiis & injuriis, veluti causis belli, adhuc glisscentibus pacem politicam pangebant, quo viribus junctis hostem communem debellare, vel imminens periculum commune a se propulsare possent. Videlicet cretensium genti, in qua frequentiores oriebantur contentiones, lites & bella intestina, in more erat positum, ut cum inter se acerrime contenderent, adventante hoste extraneo, subito pacem pangerent, viresq; & arma junctim ad propulsandum communem hostem converterent, dissidiis, quæ odium alebant & mutuas inimicitias, non sublatis, sed adhuc vigentibus. Qua de re *Plutarchus* in Lib. περὶ τῆς Φιλαδελφίας sic scribit: *Præterea hoc etiam memoriæ est tenendum in fraternis dissidiis, ut nunc maxime amicos fratris accedas, inimicos vites, neque admittas; eaque in repar est imitari Cretenses, qui crebris seditionibus bellisque civilibus agitati, extrinsecus adventantibus hostibus pacem & societatem iniverunt.* Is enim erat συγκρητισμός. Cæterum a significatione illa primæva vox Syncretismi translata est ad designandam pacem ecclesiasticam, & quidem (uti videtur) primum a *Davide Pareo*, Doctore Reformato, quippe qui in Lib. de *Vnione & Synodo Evangelicorum* C. XII. ait: *Nos igitur* (Protestantes, ex Lutheranis ac Reformatis constantes) *pio SYNCRETISMO adversus communem hostem Anti-*

christum studia consiliaque conjungamus, donec plenam illam concordiam, bonis omnibus desideratissimam, obtinere queamus. Speciatim in Lutheranis ecclesiis ex usu loquendi hodierno vocabulum denotat non quamcunq; ecclesiasticam pacem (sive piam, sive illegitimam) sed eam pacis ineundæ rationem, qua partes in religione dissidentes in concordiam fraternam & ecclesiasticam, dissidio illo nondum sublato, ita coalescunt, ut vel errores doctrinæ in parte dissentiente, vel personæ ipsæ errantes tanquam fratres in Christo, & vitæ æternæ cohæredes tolerentur.

§. 2. Non solum autem *Pareus* pacem ecclesiasticam, quam Reformati & Lutherani adversus communem hostem Anti-Christum inter se inire debeant, propter analogiam, quam pax illa, si pangeretur, habitura esset cum Syncretismo in primæva sua significatione accepto, syncretismi nomine insignivit, sed & *Doctores Lutherani* in suis ecclesiis scholisq; eam pacis ineundæ rationem, quam thesis nostra describit, ob similitudinem, quæ ipsi cum syncretismo in primigenia significatione sumpto intercedit, syncretismum appellitant. Nimirum ut illi, qui syncretismum in primæva significatione acceptum inter se sanciebant, pacem adversus extrinsecus adventantem hostem subito pangebant, licet odia & injuriæ tanquam causæ belli, adhuc manerent; Ita Lutherani & Reformati in religione dissidentes ex consilio svasuq; *Parei* pacem adversus communem hostem, Anti-Christum, inire debent, licet dissidia religionis non sint sublata, sed adhuc vigeant.

ant. Et uti per syncretismum profanum seu per syncretismum in primitiva sua significatione sumptum, odia & partium injuriæ, ex quibus bella orta erant, non tollebantur, cum partes pacem ineuntes paratæ essent ad repetenda arma, & injurias acceptas vindicandas, quam primum quidem commode fieri posset; ita per eam pacis ineundæ rationem quæ syncretismus appellari in nostris ecclesiis consuevit, gravissima in religione dissidia, quæ odiis & bellis intestinis occasionem præbere possunt, haud abolentur. Vti igitur Syncretismus profanus non erat vera acastabilis, sed simulata pax, ita nec syncretismus ecclesiast. veram piamq; pacem importat.

§. 3. Dixi autem (1.) in descriptione syncretismi ex usu loquendi ecclesiastico sic dicti, quod sit ea pacis ineundæ ratio, qua *partes in religione disfidentes* in concordiam coalescunt. Vbi per partes in religione dissidentes intelliguntur partes, quæ dissentiunt in articulis fidei fundamentalibus, sive primariis (h.e. iis articulis, quorum explicita cognitio ad fidem ordinario & consueto modo progignendam & sustentandam necessaria æstimari debet,) sive secundariis (h. e. illis doctrinæ christianæ partibus, quarum negatio per consequentias ita claras & necessarias, ut frustra eas quis neget, fundamentum fidei aut fidem ipsam evertit) Ecclesiæ enim vel maxime interest, non eas duntaxat doctrinæ Christianæ partes, quæ salva fundamenti fidei compage & absq; salutis jactura ignorari nequeunt, sed illas, quarum negatio ipsum fidei fundamentum per consequenti-

am convellit ac diruit, sartas tectas conservare, cum error in illis doctrinæ Christianæ partibus, quæ incolumi manente fidei fundamento nequeunt negari, admissus, nisi ei mature eatur obviam, in articulos fidei fundamentales primarios sese diffundat, fermenti instar, cujus exigua particula, ubi unam massæ partem infecit, longius in universam massam dispensatur, & totam fermentat. Loquor autem omni studio de *dissensu in articulis fidei fundamentalibus*. Si enim dissensus sit tantum de ceremoniis & rebus adiaphoris, aut de quæstionibus circa fidem juxta enatis (h. e. de problematibus, quæ illæso intactoq; fundamento fidei in utramque partem ventilantur, seu quorum affirmatio vel negatio ad fidem salvificam salutemq; nihil pertinet,) pax illa, quæ stante adhuc, & manente illo dissensu initur, non est syncretismus, sed pax Christiana, licita & pia, nisi alterutra pars ceremonias suas sub opinione cultus aut meriti pertinaciter defendat. Quod enim ad ceremonias & res adiaphoras attinet, præclare *Augustana Confessio* articulo VII. inquit: *Ad veram unitatem Ecclesiæ satis est consentire de doctrina Evangelii & administratione Sacramentorum, nec necesse est, ubique esse similes traditiones humanas, seu ritus ac ceremonias, ab hominibus institutas, sicut inquit Paulus, una fides, unum baptisma, unus DEUS & Pater omnium.* Idem *Formula Concordiæ* Art. X. de *ceremoniis ecclesiasticis* sub finem hisce verbis profitetur: *Juxta hanc de Adiaphoris doctrinam nulla Ecclesia propter ceremoniarum dissimili-*

militudinem alternam condemnabit, si modo in doctrina & in omnibus illis partibus atque in legitimo sacramentorum usu concordes fuerint. Et quod quæstiones circa fidem juxta emergentes concernit, certe error, quem altera pars retinet, pacem ecclesiasticam non impedit, sed una pars, quæ veram fovet propugnatq; sententiam, alteram partem absq; syncretismi nota tolerat. Si enim aliquid, quod in se moraliter turpe & inhonestum non est, toleres, atq; ea tolerantia ad declinandum majus malum, & ad obtinendum bonum aliquod egregium conducat, laudi sane illa tolerantia ducenda est. Atqui si toleramus in aliarum ecclesiarum Doctoribus errorem fidei salvificæ & saluti nihil nocentem, hæc rei in se non inhonestæ aut turpis tolerantia ad majus malum, schisma videlicet, avertendum & ad bonum aliquod insigne, nimirum pacem & concordiam ecclesiasticam, consequendum facit. Studio autem in præcedentibus subjeci: *Nisi alterutra pars ceremonias suas sub opinione cultus aut meriti pertinaciter defendat.* Id enim si contingat, satius est ab errante parte sejungi, eamq; palam reprehendere & impugnare, quam pace & tolerantia intempestiva ipsam in opinione falsa confirmare.

§. 4. Licet vero errores non fundamentales per se pacem & concordiam ecclesiasticam impedire haud debeant, illos tamen, si de ipsorum falsitate in conscientia convictus sis, pro cœlesti veritate & fidei dogmatibus recipere non licet Palam enim *Esaias* c. V. vs. 20. væ denunciat di-

centibus *de malo bonum esse, & de bono malum: statuentibus tenebras pro luce & lucem pro tenebris.* Ac contra conscientiam agere adeo nemini ullo in casu permissum est, ut si quis infirmus vel in re indifferente contra conscientiam erroneam agat, & v. g. vescatur carnibus, quas non comedendas esse falso existimat, judice Apostolo *Rom.* XIV. vs. 23. condemnatus sit. Multo minus igitur fas erit, veritatem jam agnitam, etiam in quæstionibus circa fidem juxta enatis, projicere, & errorem, de cujus falsitate in conscientia convicti sumus, velut cœlestem veritatem & aliquod fidei dogma amplecti.

§. 5. In thesi nostra dixi (2) syncretismum iniri *religionis dissidio nondum sublato.* Ubi enim dissidium illud inter partes est sublatum, tum partium in concordiam ecclesiasticam coalitio syncretismi nomine notari nec solet nec debet, sed vera, pia, & Christiana pax est.

§. 6. In eadem thesi dixi (3), syncretismum esse eam pacis ineundæ rationem, qua partes de religione dissidentes in *concordiam ecclesiasticam* coalescunt. Nam partium de religione dissidentium in concordiam *civilem* coalitio non est syncretismus, sed sine ejus nota & vitio fieri potest: prout hodie in multis Germaniæ civitatibus Lutherani & Pontificii, Lutherani item & Reformati simul degunt, & politicam inter se concordiam absque nota & labe syncretismi colunt, atque jam olim in Imperio Romano-Germanico vi transactionis Passavienſis, & mox insecutæ pacifica-

ficationis religioſæ Auguſtanæ, nec non vi inſtrumenti pacis Weſtphalicæ Pontificii & Proteſtantes in ſalutarem concordiam civilem absque ſyncretiſmi macula coaluerunt.

§. 7. Quamvis igitur partes de religione diſſidentes civilem inter ſe pacem recte ineant & colant, ac foedera etiam pro rerumpublicarum exigentia invicem pangant, perſonas tamen in fide errantes, quæ civitatis jura ante non habuerunt, ob varia incommoda, quæ ex earum receptione metuenda ſunt, in civium claſſem non eſſe facile cooptandas, *B. Bayerus* in Compend. Theol. poſit. Part. III. cap. XIII. not. (f) ad §. XXXVII. cum *D. Joh. Muſæo* diſerte pronunciat.

§. 8. Quando in deſcriptione ſyncretiſmi (4) aſſero, ejus vi *errores Doctrinæ* in parte diſſentiente *tolerari*, per errores doctrinæ intelliguntur *errores fundamentales* (h. e. errores, qui fundamentum fidei evertunt, atque adeo fidei veræ & ſaluti hominum obſtant,) & *tolerare* iſtos *errores* idem eſt, quod errores illos habere in numero opinionum, quæ ſive admittantur, ſive non admittantur, gignendæ fidei ſalvificæ, & conſequendæ per fidem ſaluti nihil obſtent, aut certe eos non impugnare, non execrari, non damnare palam tanquam errores fundamentum fidei diruentes hominumque beatitudini perniciem machinantes. Qui enim pacem eccleſiaſticam inter partes quasdam diſſentientes, diſſenſu doctrinæ nondum ſublato, ineundam ſuadent, illi contendunt, diſſenſum, quem partes pacis eccleſiaſticæ vinculo

conjungendæ fovent, esse tantum de quæstionibus, quarum affirmatio vel negatio ad ipsam fidem salvificam salutemque nihil attinet, atque adeo errorem, qui sit in altera parte dissentiente, non esse fundamentalem, nec ut errorem fidei salvificæ & beatitudini obsistentem debere impugnari. Hinc & syncretismus, quippe qui est quædam ecclesiasticæ (ut ut illicitæ) pacis inter partes dissentientes, manente adhuc dissensu, ineundæ ratio, importat tolerantiam, qua quidam errores doctrinæ, quos una pars dissentiens tuetur, etsi revera & in se sint fundamentales, tamen in numero opinionum, quæ sive approbentur, sive rejiciantur, fidei salvificæ & saluti hominum nihil obsint, ab altera parte habentur, vel certe non impugnantur, nec damnantur tanquam errores fundamentum fidei convellentes, hominumque fidei salvificæ & beatitudini obluctantes.

§. 9. Vbi (5) in thesi nostra moneo, vi syncretismi ipsas *personas errantes* tanquam fratres in Christo & Cohæredes vitæ æternæ intra societatem ecclesiasticam tolerari, personarum errantium nomine haud veniunt homines simpliciores, qui in doctrina fidei ita errant, ex quadam animi simplicitate, ut veram in Christum fidem per DEI gratiam retineant, sed pervicaces errorum doctrinæ propugnatores, qui licet sæpius sint moniti, & fundamentalium errorum ita convicti, ut etiam omnes ipsorum objectiones solide sint solutæ, penitusque prostratæ, veritati tamen cedere nolunt. Illi enim simpliciores, cum per

fidem

fidem sint Filii DEI, sunt nostri in Christo fratres, & regni cœlestis cohæredes, non damnandi, non execrandi, sed fraterna charitate complectendi, qui sine syncretismi nota & vitio tolerantur. De iis quippe valent monita illa Apostolica: *Eum qui infirmatur fide, adsumite, non ad judicationes disceptationum*, Rom. XIV, 1. Et cap. XV, 1. *Debemus nos, qui potentes sumus, infirmitates portare impotentium, ac non placere nobis ipsis*, & 1. Cor. IX. 22. *Factus sum infirmis quasi infirmus, ut infirmos lucri faciam.* Quare Electores, Principes, Proceres, & Status Protestantes jam olim in præfatione *Formulæ Concordiæ* (latius acceptæ) pie ac sapienter inquiunt: *Nequaquam consilium & institutum nostrum est, eos homines, qui ex quadam animi simplicitate errant, nec tamen blasphemi in Veritatem doctrinæ cœlestis sunt, multo vero minus totas Ecclesias, quæ vel sub Romano Imperio nationis Germanicæ, vel alibi sunt, damnare. Quin potius mens atque animus noster fuit, hac ratione fanaticas opiniones, & earundem pervicaces Doctores & blasphemos duntaxat (quos in ditionibus, Ecclesiis & scholis nostris nequaquam tolerandos judicamus) palam reprehendere & damnare, quod illi errores expresso Verbo DEI repugnent, & quidem ita, ut cum eo conciliari nequeant.* Et paucis quibusdam interjectis: *Nequaquam dubitamus, multos pios, & minime malos homines, in iis etiam Ecclesiis, quæ hactenus non per omnia nobiscum senserunt, reperiri, qui simplicitatem quandam suam sequantur, & negotium quidem ipsum non probe intelli-*

telligant, sed blasphemias, quæ contra Sacram Cœnam (quemadmodum ea in Ecclesiis nostris secundum institutionem Christi dispensatur, & juxta verba testamenti ipsius magna bonorum omnium Consensione docetur) evomuntur, nullo modo probant.

§. 10. Declaravi hactenus indolem *syncretismi* ex usu loquendi ecclesiastico *absolute sic dicti*, h. e. illius syncretismi, qui ex ea ratione *conservativus* vocatur, quod utriusque partis in religione dissidentis doctrinam integram servet. Cæterum syncretismus *cum addito* sic dictus, seu syncretismus temperativus est ea pacis ecclesiasticæ ineundæ ratio, qua partium dissidentium quælibet in sua doctrina quodammodo cedit alteri, in cæteris autem capitibus controversis partes illæ sese invicem tolerant. Quæ pacis ineundæ ratio ideo *temperativus* syncretismus appellari consvevit, quod quoddam religionis temperamentum quærat. Atque hujusmodi syncretismum acceptandum saltem usque ad concilium generale, jam olim Auctores Libri *Interim*, & *Georgium Cassandrum*, ac *Marcum Antonium de Dominis* tentasse constat.

Th. LXXXVIII.

Verum syncretismus ex usu loquendi, Ecclesiæ orthodoxæ recepto, & quidem absolute sic dictus quantus quantus est, totus est in vitio, nec unquam admittendus. Nam cum errorum doctrinæ fundamentalium tole-

tolerantia, quam syncretismus ille formaliter & sua natura importat, tum Doctorum pervicacium, qui errores doctrinæ fundamentales propugnant, tolerantia, quam itidem syncretismus ille importat, omnino illicita est.

§. 1. Tolerantiam errorum doctrinæ fundamentalium prorsus esse illicitam, compluribus nunc argumentis evincimus. *Primo* scilicet ita argumentamur: *Quicquid adversatur illis scriptura Sacra dictis, quæ doctrinam christianam totam tueri sartam tectam, & a corruptelis omnibus intemeratam servare jubent*, (nimirum dictis I. Tim. IV. 16. c. VI, 3. II. Tim. I, 13. c. III, 14. 16.) *id prorsus illicitum est. Atqui errorum doctrinæ fundamentalium tolerantia adversatur illis Scripturæ Sacræ dictis, quæ doctrinam christianam tueri sartam tectam, & a corruptelis omnibus intemeratam servare jubent. Ergo &c.* Major per se in propatulo est; Minor exinde liquet, quod, quando errores doctrinæ fundamentales tolerantur (h. e. in opinionum, quæ sive admittantur, sive non admittantur, fidei salvificæ & saluti nihil obsint, numero habentur, aut certe non impugnantur, non damnantur palam tanquam errores fundamentum fidei diruentes, hominumque beatitudini obstantes) tunc doctrina christiana tota ab omnibus corruptelis intemerata non servatur, sed, ut ei corruptelæ noxiæ admisceantur, permittitur. *Secundo* sic concludimus: *Quicquid pugnat cum*

iis

iis Scripturæ Sacræ dictis, quæ ecclesiæ Doctoribus injungunt, ut potentes sint contradicentes convincere, ut vaniloquis falsisque Doctoribus os obstruant, eosque quos sani sint in fide, severe redarguant, (videlicet dictis Tit. I, 9. 11. 13.) *illud plane illicitum est, neque unquam admittendum. Atqui errorum doctrinæ fundamentalium tolerantia pugnat cum iis Scripturæ Sacræ dictis, quæ ecclesiæ Doctoribus injungunt, ut potentes sint contradicentes convincere, ut vaniloquis falsisque Doctoribus os obstruant, eosque, quos sani sint in fide, severe redarguant. Ergo &c.* Majoris propositionis veritas manifesta est, quia, quicquid Scripturæ Sacræ, utpote Verbo DEI, contrariatur, illicitum omnino est, nec unquam admitti debet. Minor ex eo patescit oppido, quod, quando tolerantur errores doctrinæ fundamentales, tunc contradicentes non convincantur, nec vaniloquis falsisque Doctoribus os obstruatur, nec Doctores falsi, quo sani sint in fide, severe redarguantur. *Tertium* nostrum argumentum huc redit: *Quæcunque tolerantia perniciosa est doctrinæ christianæ, ea prorsus illicita est. Atqui tolerantia errorum doctrinæ fundamentalium est tolerantia doctrinæ Christianæ perniciosa. Ergo tolerantia errorum doctrinæ fundamentalium prorsus illicita est.* Major ex terminis patet. Minoris quoque veritas in aprico est. Qui enim errores doctrinæ fundamentales non impugnat, non damnat palam, sed doceri & propagari permittit, is doctrinæ Christianæ corruptelas (quippe quæ, nisi muture cohibeantur, instar fermenti etiam

am ad alias doctrinæ partes progrediuntur Gal. V, 9.) longius sese diffundere sinit, articulos fidei fundamentales dubios ac suspectos fieri vel saltem pro doctrinis indifferentibus, quarum affirmatio vel negatio ad fidem salvificam salutemque nihil pertineat, haberi patitur, personas in fundamento fidei errantes in erroribus suis obfirmat, & seductoribus occasionem plures homines exitiosis erroribus inficiendi præbet.

§. 2. Sic & Doctorum pervicaciam, qui errores doctrinæ fundamentales propugnant, tolerantiam omnino illicitam esse, uno hocce argumento hic comprobamus: Quicquid pugnat cum iis Scripturæ Sacræ dictis, quæ pertinaces errorum doctores palam arguere & increpare (ut Tit. I. 9. 11. 13.) eorumq; consortium fugere (ut *Matth.* XVIII. 17. *Rom.* XVI. 17. II. *Cor.* IV. 14. II. *Thess.* III. 6. I. *Tim.* VI. 3. seqq.) *illud prorsus illicitum est. Atqui Doctorum pervicacium, qui errores doctrinæ fundamentales propugnant, tolerantia pugnat cum iis Scripturæ Sacræ dictis, quæ jubent pervicaces errorum Doctores palam arguere & increpare, eorumque consortium fugere. Ergo* &c. Major ex se clara est. Minor autem propositio exinde confirmatur, quod Doctorum illorum tolerantia in eo posita sit, quod ipsi non arguuntur palam, ut pervicaces errorum fundamentalium propugnatores, nec a consortio & societate ecclesiastica excluduntur, sed potius intra societatem ecclesiasticam tanquam fratres in Christo & regni cœlestis cohæredes feruntur.

Thes

Th. LXXXIX.

Quamvis vero unice de syncretismo absolute sic dicto, seu de *conservativo*, ut vocatur, *syncretismo* hodie quæstio sit, ubi disputatur de eo, an syncretismus licitus sit, & approbandus? Negandum tamen non est, eam quoque pacis ineundæ rationem, quæ *temperativus syncretismus* appellatur, illicitam & vitiosam esse.

Quando enim partium dissidentium quælibet vi syncretismi temperativi cedit alteri, tunc utraq; pars aliquod dogma quod falsum esse persuasus est, pro vero dogmate recipit. Aſt hoc facere est contra conscientiam agere, quod sane ingens crimen est. Confer. ea, quæ in §. 4. ad Thes. præcedentem LXXXVII. monuimus.

Th. XC.

Licet autem ea, quæ hactenus de *syncretismo* absolute sic dicto edisseruimus, a thesi ad hypothesin transferre, & speciatim de quæstionibus illis: *Vtrum, si inter Lutheranos & Reformatos pax & concordia ecclesiastica, stante utriusque partis dissensu, sanciretur, hæc pacis ineundæ ratio futura esset pia & licita, an vero syncretismus appellari deberet? & utrum non saltem simpliciores*

res

res homines in ecclesiis Reformatis, verum etiam Doctores Reformati intra societatem ecclesiasticam tanquam fratres in Christo, ac vitæ æternæ cohæredes tolerandi sint? judicare facile sit, non tamen quæstionum illarum uberiorem discussionem scripti præsentis modus patitur, atque id circo eam peculiari, quem de *Concordia Ecclesiastica* molimur tractatui reservamus. Nos interea, quos in tantis dissidiis Ecclesiæ Christianæ amari planctus & uberrimæ lachrymæ tangunt, cum *Benedicto Pictetо* Theologo Genevensi, ex dissertatione ejus de *consensu ac dissensu inter Reformatos & Augustanæ Confessionis Fratres* ingemiscimus: *O beatam illam diem, qua Christianus orbis in ligones tundet gladios, & hastas in falces curvabit! Vtinam modo pax ista Sioni sit salutaris, & Ecclesiæ facies pristino decori restituatur.*

Th. XCI.

Vltimus tractatus, quem Theologi juxta thesin superiorem LX. ad Locum de *Ecclesia* referunt, est dissertatio de Antichristo specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dicto. In eo autem tractatu ante omnia Antichristi hujus κριτήρια & notæ expenduntur.

Thes.

Th. XCII.

Notæ Antichristi specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dicti sunt cum *interiores* (seu essentiales) tum *exteriores* (seu accidentales.)

§. 1. Nota Antichristi interior dicitur ea nota, quæ ad Antichristum in esse Antichristi constituendum concurrit.

§. 2. Exterior autem Antichristi nota vocatur, quæ, etsi ad Antichristum in esse Antichristi constituendum non concurrat, aliquod tamen ejus indicium præbet, si sumatur cum notis reliquis, præcipue essentialibus.

Th. XCIII.

Notæ Antichristi interiores sunt. I. Adesse alicubi seriem & complexum plurium hominum eisdem legibus ac studiis impiis sibi succedentium. II. Peculiaris dominatus in Ecclesia Christi exercitium. III. Divinæ potestatis (h. e. potestatis, quæ soli DEO competit) affectatio. IV. Corruptelarum doctrinæ christianæ sacrorumque publicorum introductio aut propugnatio. V. Corruptelarum illarum propagatio, fraudibus, mendaciis, vique externa & multa sanguinis profusione facta.

§. 1. Antichristum non esse unum certum & determinatum individuum, sed plurium homi-

minum in eadem impietate sibi succedentium seriem, duabus nunc ostendo rationibus. Quippe (1.) Antichristus per multa secula durat, quia venturus erat, suumq; thronum Romæ habiturus, quando id sublatum esset, quod, ne thronum suum Romæ erigeret, obstabat, nempe vetus Romanum imperium occidentale, seu ordo veterum Imperatorum, qui in urbe Roma sedem, certe dominium in urbem illam & in Romanam provinciam habebant, quorumq; postremus Augustulus erat,) & duraturus est, usq; ad adventum Christi glorioſum: Aſt vero unum hominis individuum tot seculis, quæ a destructo imperio Romano occidentali ad Christi adventum glorioſum usq; intercedunt, superesse non potest. (2.) Sacra Scriptura plantationem & incrementa regni Antichristi, resq; in eo gerendas ita describit, ut impossibile sit omnia fieri unius cujusdam certi & determinati individui ætate. Quod argumentum fusius deductum, & a Jesuitæ *Ebermanni* exceptionibus vindicatum videatur apud *Musæum* in *Vindiciis Bibliorum Ernestinorum* Disp. III. thes. 22. Recte proinde B. *Dannhauerus* in *Antichristosophia* Sect. I. Art. IV. scribit, *Antichristum esse non unam personam unitate individuali ad eum modum, quo Sol unus est, sed unitate successiva ad eum modum, quo Phœnix olim unus creditus, quo unum semper esse Regem Galliæ nun mori asserimus.* Ac B. *Ægidius Hunnius* comm. in I. Joh. II. & comm. in II. Thes. II. accurate observat, *sub Antichristi voce Scripturam de integro quasi corpore plurimorum sibi*

succedentium, & eadem religio ne perversa, iisdem legibus ac studiis occulte impugnandi doctrinam Christi devinctorum, concionari, imprimis etiam Spiritum Sanctum singulari numero uti, eo quod semper unus duntaxat velut Caput in Ecclesia Antichristiana futurus esset. Quanquam asseri hic insuper possit, Antichristum tanquam unam personam in sacris literis describi, quod omnibus illis seductoribus & tyrannis, quorum series & complexus est Antichristus, unus idemq; scopus sit propositus, nempe pro sua libidine dominandi in Ecclesia; & præterea illi ipsi unis eisdemq; artibus tyrannidem suam tueantur.

§. 2. Secunda Anrichristi nota 2. *Thess.* II. vs. 4. diserte traditur, ubi Paulus prædicit futurum, ut ἀντικείμενος, h. e. *is, qui sese opponit* (Christo) seu Antichristus *sedeat in* templo DEI. Quippe τὸ *sedere in templo DEI* ibi nil aliud est, quam dominari & tyrannidem suam exercere in ecclesia. Hinc *Augustana Confessionis Apologia* pag. 144. ait: *Paulus prædicit futurum, ut Antichristus sedeat in templo DEI, hoc est, in Ecclesia dominetur & gerat officia.* Ac Protestantes porro in Tract. de *potestate & primatu Papæ*, articulis Smalcaldicis adjecto, p. m. 348. inquiunt: *Paulus ad Thessalonicenses describens Antichristum, vocat eum adversarium Christi, extollentem se super omne, quod dicitur aut colitur Deus, sedentem in templo DEI tanquam Deum. Loquitur igitur de aliquo regnante in Ecclesia, non de Regibus Ethnicis: Et hunc vocat Adversarium Christi, quia doctri-*

trinam pugnantem cum Evangelio excogitaturus sit, & is arrogabit sibi authoritatem divinam.

§. 3. Sic & II. *Thess.* II. 4. tertia essentialis nota manifeste describitur. Ibi enim primo asseritur, de Antichristo, quod *efferat sese super omnem, qui dicitur Deus*, h. e. super omnes Reges ac Principes, quippe qui in literis sacris dicuntur Dii: at vero qui extollit se super omnes Reges ac Principes, inq; eos potestatem sibi arrogat, is potestatem divina re affectat, cum Reges ac Principes soli divinæ potestati subjiciantur. Asseritur ibidem porro de Antichristo, quod, dum in templo DEI sedet, *præse ferat, se ipsum esse Deum*, h. e. venditet sese pro eo, qui vicem DEI gerat, divinaq; potestate polleat.

§. 4. Quod *Antichristus coruptelas doctrinæ christianæ & sacrorum publicorum introducat, aut certe foveat & propugnet*, (quæ est quarta Antichristi nota interior,) Apostolus itidem II. *Thess.* II. clarissime docet. Quando enim per Antichristum ἀποστασίαν h. e. *defectionem* venturam esse vs. 3. testatur hoc ipso significat, per Antichristum defectionem a *veritate & doctrina christiana*, eamq; magnam & insignem, venturam esse. Scilicet quod defectionem a *veritate & Christiana doctrina* subinnuat, ipse I. *Tim.* IV. 1. condocet ubi scribit: *Spiritus autem diserte dicit, fore, ut posterioribus temporibus desciscant quidam a fide, spiritibus deceptoribus atteudentes, ac doctrinis damoniorum.* Et quod *magnam & insignem* defectionem intelligat, ipse loquendi modus, quo Apo-

stasia simpliciter nominatur, ostendit. Quod si igitur per Antichristum magna & insignis a veritate & doctrinæ Christi defectio venit, sane Antichristus doctrinæ Christianæ, sacrorumq; publicorum corruptelas in ecclesiam invehit, aut certe fovet ac propugnat. Atq; hoc ipsum, quod Antichristus doctrinæ christianæ corruptelas in ecclesiam invehat, aut certe foveat & propugnet, laudatus Apostolus indicat ibidem porro, quando v. 11. Antichristo tribuit *operationem impostura*, per quam fiat, ut *homines credant mendacio* (h. e. falsæ ac valde mendaci Antichristi doctrinæ.) Illa enim impostura operatio importat actus, queis doctrinæ Christianæ corruptelæ introducuntur, aut certe sofentur & propugnantur.

§. 5. Quintam Antichristi notam interiorem (nempe corruptelarum doctrinæ christianæ propagationem, quæ fraudibus, mendaciis, viq; externa & multa sanguinis profusione facta est, ac fit) partim Paulus 2. *Thess.* II. partim *Apocalypsis* Johannea cap. XVII. describit. Quippe Paulus l. c. vers. 9. & 10. diserte inquit, *adventum Antichristi esse* (h. e. regnum suum plantaturum & propagaturum esse Antichristum) *secundum operationem Satanæ*, (h. e. ex operatione Satanæ consilia & robur suggerentis, ballideque excogitata in effectum deducentis) *cum omni potentia*, (h. e. per variam seu omnis generis potentiam) & *signis ac prodigiis mendacibus* (i. e. per prodigia ficta, ac vana, & ad vallendum comparata) & *cum omni*

omni deceptione injustitiæ (h.e per variam seductionem in justissimam maximeque impiam) *in iis, qui pereunt pro eo, quod dilectionem veritatis non receperunt ad hoc, ut salvi fierent* (h.e. quæ variis generis seductio eveniet in illis, qui ideo pereunt, quod dilectam veritatem repudiarunt, adeoque eam recipere non potuerunt eum in finem, ut salvi evaderent.) Sævitiam vero, quam Antichristus ad corruptelas suas longe lateque per gentes ac populos propagandas exercet, *Apocalypsis* l. c. non solum vs. 6. mulieris, sanguine sanctorum & martyrum ebriæ, figura & umbrat, sed & vs. 14. plenius describit, ubi docet, reges potentiam ac vires suas commodaturos esse Antichristo, & pugnaturos cum agno: Hoc quippe aliter intelligi commode nequit, nisi de bello & persecutionibus, quibus veritatis confessores Antichristus, Regnum potentia armisque fretus infestaturus sit.

Th. XCIV.

Notæ Antichristi exteriores sunt (1.) certa imperii sedes, Roma videlicet, (2.) certum erecti dominatus tempus, illud nempe, quo imperium Romanum occidentale vetus destructum fuit, (3.) amplitudo regni, (4.) regnantis divitiæ & luxuria (5.) iniquissime dominantis retectio & labefactatio temporibus novissimis facta (6.) duratio regni plurium seculorum de cursu comprehensa.

§. 1. Quod Antichristus imperii *sedem* Romæ habiturus sit, *Apocalypsis* C. XVII. prænuntiat, quando vs. 3. meretricem magnam (quæ Antichristum repræsentat) ut bestiæ, septem capita habenti, insidentem exhibet. Vti enim per septem illa capita septem montes designari ex vs. 9. constat, ita per septem istos montes intelliguntur montes *Palatinus*, *Capitolinus*, *Aventinus*, *Exquilinus*, *Cælius*, *Viminalis & Quirinalis*, quos olim complectebatur urbs Roma, quippe quæ id circo etiam apud *Plutarchum* in problemate Rom. a voce λόφος, quæ eam colli partem, cui jugum imponitur, significat, ἑπτάλοφος h. e. *septicollis* denominatur. Hinc ipsemet Jesuita *Cornelius a Lapide* Commentarius in *Apoc.* c. XVII. confitetur, *patre* omnino, quod *in septem montibus Roma denotetur.*

§. 2. *Tempus*, quo Antichristus dominatum suum erecturus sit, tum *Paulus*, tum *Apocalypsis* prædixit. Paulus quidem 2. *Thess.* II. 7. ubi scribit, venturum esse Antichristum, quando sublatum fuerit, τὸ κατέχον, sive id, quod regno ejus Romæ erigendo obstabat (imperium videlicet occidentale vetus, cujus sedes Roma erat. *Eo* enim *destructo vacantem imperii principatum invasurus erat, hominumque & DEI imperium ad se rapere tentaturus*; scribente in h. l. *Chrysostomo.* Nec vero duo imperia summa, quale tum Romanum fuit, & quale Antichristi regnum suo tempore futurum erat, simul in una Roma subsistere non poterant, ut, nisi illud prius esset abolitum

litum, hoc ibi errigi & subsistere non posset. *Apocalypsis* autem idem illud tempus c. XVII. indicat, ubi v. 12. docet, decem Reges simul cum Antichristo potestatem suam accepturos esse: Tunc enim decem Reges pariter cum Antichristo suam nacti sunt potestatem, quando imperium Romanum destructum, & in decem regna per decem cornua bestiæ ad umbrata divisum fuit.

§. 3. Regni quod Antichristus erecturus sit *amplitudo Apoc.* XVII. 11. per hoc ad umbrata fuit, quod *meretrix sedere* visa est *super aquas multas*, hoc est, (ut versu subsequente is diserte explicatur) *super populos, & turbas, & gentes & linguas multas.*

§. 4. Regnantis Antichristi *divitiæ & luxus Apoc.* XVII. 4. per hoc repræsentantur, quod meretrix conspicitur *amicta purpura & cocco, & inaurata aro & lapidibus pretiosis & margaritis.*

§. 5. Antichristi inquissime dominantis manifestationem & labefactationem temporibus novissimis futuram *Apocalypsis* describit cap. XVII. vs. 16. ubi *decem reges*, quos decem bestiæ cornua adumbrarunt, *meretricem*, postquam ejus impuritatem & fraudes animadvertissent, *odio persecuturos, & desolatam reddituros illam & nudam, & carnes ejus comesturos, ipsamque igne exusturos* prædicit. Speciatim *labefactatum iri* tandem Antichristum, seu ejus autoritatem & vires valde imminutum iri Apostolus 2. Thess. II. 9. vaticinatur, ubi prædicit futurum, ut Christus ἄνομον illum, seu *impium* (h. e. An-

tichristum, qui totam DEI legem, ac inprimis eam partem, quæ agit de cultu DEI, pedibus conculcat.) *Spiritu oris sui conficiat*, videlicet Spiritus Sanctus, qui eo Spiritus oris Christi vocatur, quod sit spiraculum Filii, ab eo æque ac Patre ineffabiliter procedat, novissimis temporibus per Verbum & interritos Verbi ab omnibus corruptelis intemerati præcones regnum Antichristi atteret, illustri & glorioso Christi adventu prorsus apolendum, ne amplius existat.

§. 6. Quamvis vero asseramus, aliquam Antichristi notam esse, quod impietas ejus tandem publice manifestetur & arguatur, eam tamen rectionem & manifestationem cum *B. Bajero* ex iis 2. *Tim. II, 8.* comprehensis verbis: Καὶ τότε ἀποκαλυφθήσεται ὁ ἄνομος i. e. *& tunc revelabitur impius ille*, minime demonstramus. Nec enim verborum Paulinorum sensus est, quod aliquando, mysterio inquitatis Antichristianæ animad verso, Antichristus retegendus, ejusque impietas publice manifestanda atque arguenda sit, sed per revelationem Antichristi nil aliud ibi significat Apostolus, quam plenam tyrannidis & potestatis Antichristianæ usurpationem, ut genuinus sensus sit, Antichristum jam tum Apostolorum ævo adfuisse in suis præcursoribus hæreticis, utpote qui suo de hominis coram Deo justificatione operum meritis consequenta dogmate, cui aliquam prætendebant pietatis speciem, viam ipsi ad regnum suum erigendum ac stabiliendum paraverint, donec Romanum Imperium occidentale

vetu-

vetus, quod regno ejus erigendo hactenus obstitisset, e medio tolleretur, simul atque vero id factum fuerit, ipsum (Antichristum) vacantem Imperii principatum palam invasurum, suamque tyrannidem absque omni metu exerciturum. Hanc quippe explicationem contextus totus exposcit; uti cuilibet eum penitius lustranti oppido patescet. Quanquam hic inficiari non possimus, in verbis a Paulo proxime subjunctis: *Quem Spiritu oris sui conficiet*, Antichristi revelationem prædicatione Verbi peragendam connotari. Doctores enim Evangelici, in Antichristi potentia & autoritate per Verbum atterenda occupati, simul ostendunt liquido, hanc vel illam plurium hominum, in eadem impietate sibi succedentium, seriem esse Antichristum insignem, a Johanne & Paulo prædictum, qui impietatem & iniquitatem suam hactenus variis fraudibus, & velut sub mysterio occultaverit.

§. 7. Duratio regni Antichristiani per multa sese secula extendens non solum ex eo liquet, quod Antichristus inde ab eo tempore, quo Imperatores in urbe Roma regnare desierunt, usque ad finem mundi & adventum Christi duraturus sit, verum etiam exinde adparet, quod plantatio & progressus regni Antichristiani, resque in eo gerendæ, quas Scripturæ describunt, non nisi plurium seculorum spatio fieri possint. Confer. *B Musæi* Colleg. Anti Becan. Disp. XV. Qu. I. §. V.

§. 8. Ea, quæ de Antichristi notis, specialim de Antichristo, ut plurium hominum series

est, de imperii Antichristiani sede, de tempore, quo Antichristi regnum erectum est, & de ejusdem regni duratione edisseruimus, Pontificia secta totis viribus impugnat. Contendit quippe e contrario, Antichristum fore unum quoddam hominis individuum, longe quidem lateque, sed tribus tantum annis, & sex mensibus regnaturum, ejusque sedem fore Hierusalem, non Romam, & templum Salomonis ac solium Davidis, non sancti Petri templum, ac sedem Apostolicam, neque per Imperium, quod erigendo Antichristi regno obstat, quodque ante ejus adventum destruentum & in decem regna dividendum erat, Imperium Romanum occidentale vetus, sed modernum Romano-Germanicum Imperium intelligendum esse, adeoque Antichristum nondum venisse, sed venturum ac regnaturum circa mundi finem, qui quantum adhuc absit, nullo modo sciri posse. Vid. *Michaelis Hageri* Tractatus de singularitate Antichristi cap. I. seqq. ad VII. *Becanus* in Man. Controvers. Lib. I. cap. VI. *Bellarminus* Lib. III. de Pontif. Rom. c. II. IV. V. IIX. XIII. Verum enim vero assertorum istorum falsitas ostensa jam est a nobis, aut ex hactenus dictis negotio facili ostendi potest. Evicimus quippe in præcedentibus, Antichristum non esse unum certum & determinatum individuum, sed plurium hominum in eadem impietate succentium complexum, sedemque ejus non nisi Romam esse, ac regnum ipsius per plura secula duraturum. Atque ex eo, quod regni Antichristiani sedes sit Roma, manifestum

ſtum eſt, per Imperium, quod erigendo Antichriſti regno obſiſtere Paulus aſſerit, quodque ante adventum Antichriſti deſtruendum erat, minime intelligentum eſſe modernum Imperium Romano-Germanicum: Hoc enim nullum in urbem Romam dominium obtinet, nec ullo modo impedire poteſt, ne Antichriſtus ibi rerum potiatur, cum Romanus Pontifex ne vel tantillum jurisdictionis & poteſtatis Cæſari eam concedat. Id ipſum, quod obſtans illud, de quo Paulus 2. *Theſ. II.* loquitur, non ſit modernum Imperium Romano-Germanicum, ex eo quoque probatur, quod idem illud obſtans jam ætate Apoſtoli extiterit, Imperium autem Romano-Germanicum eo tempore nondum floruerit.

§. 9. Quemadmodum igitur eas, quas nos Antichriſto juxta ſcripturam Sacram tribuimus, notas Doctores Pontificii negant, ita alias plane comminiſcuntur. Docent enim, Antichriſtum (1.) fore unam ſingularem perſonam, non coetum aut ſeriem perſonarum plurium, (2.) expreſſe negaturum eſſe, quod JEſus noſter ſit verus Meſſias, affirmaturum autem, ſe eſſe verum Meſſiam, in Lege & Prophetis promiſſum, (3.) naſciturum ex gente Judæorum, & quidem ex tribu Dan, circumcidendum, & Sabathum obſervaturum. (4.) ex humili loco prodeuntem, per fraudes & dolos regnum. Judæorum adepturum, cum tribus Regibus nempe Ægypti, Lybiæ atque Æthiopia pugnaturum, & eorum regna, ſuperatis illis, occupaturum; ſibi porro alios ſeptem reges ſub-

subacturum, & eo modo totius mundi Monarcham evasurum, hinc cum innumerabili exercitu toto orbe Christianos persecuturum; atque hoc esse prælium Gog & Magog; (5.) imperii Antichristiani sedem fore urbem templumque Hierosolymitanum; regnum suum eo tempore Antichristum erecturum, quo omnes religionis ceremoniæ publicæ cessaturæ, & quo Enochus & Elias, adhuc viventes, in suis personis redituri sint; (6.) durationem regni Antichristiani ultra annos tres vulgares cum dimidio se non porrecturam. Vid. *Bellarminus*, *Hagerus*, *Becanus*, ll. cit. Cæterum illæ Pontificiorum de notis Antichristi doctrinæ uno eo argumento prosternuntur, quod illas, quas Doctores iste Antichristo adscribunt, notas Scriptura Sacra, prorsus ignoret, alias vero luculente tradat. Id quod ex nostratibus *Heilbrunnerus* im uncatholischen Papstthum art. XIV. cap. V. *Gerhardus* in Confess. Catholica Lib. II. art. III. C. VI. *Dannhauerus* in Antichristosoph. Sect. I. art. IV. VI. & in hodom. Spir. Pap. Phantas. II Fusius deduxerunt.

Th. XCV.

Quamvis vero regnum Antichristianum sit corruptelarum Doctrinæ Christianæ, errorum exitialium, tyrannidis, idololatriæ & impietatis plenum, sub eo tamen & in eo per Dei gratiam conservata est, atque conservatur *ecclesia*, h.e. aliquis vere credentium & sancto-

sanctorum cœtus. Quanquam Antichristo, qui aliquamdiu, & bene multis, qualis sit & quod sit Antichristus, non fuit agnitus, cognitio, fideles ab ejus consortio se segregare teneantur.

§. 1. Sub regno *Antichristiano*, & in eo conservatum fuisse, & conservari vere credentium cœtum, iu victo hoc argumento demonstramus: *Ex quocunque regno, & quidem fere sub ejus finem, vere credentium coetus exire divinitus jubetur, in eo vixit hactenus, & vivit aliquis vere credentium coetus. Atqui ex Antichristiano regno, & quidem fere sub ejus finem, vere credentium cœtus exire divinitus jubetur. Ergo in Antichristiano regno vixit hactenus, & virit aliquis vere credentium cœtus.* Major propositio luce sua radiat. Quid enim opus fuisset, vere credentium coetum, ut ex regno Antichristiano exeat, sub regni illius finem divinitus moneri, si nullus credentium coetus, nulli vere credentes & sancti in eo regno, & sub ipso vixissent hactenus, & viverent? Minor ex *Apoc. XIIX*, 2. 3. 5. 6. patescit. Quippe v. 4. populus DEI seu ecclesia voce coelitus delapsa monetur, ut *Babylone* mystica (h. e. regno Antichristi) *exeat, ne peccatorum ejus particeps fiat, & ne ex plagis ejus* aliquid *accipiat.* Sic & ex v. 2. 3. 5. 6. liquet, admonitionem illam non sub innitium statim exorientis regni *Antichristiani* factam esse, sed excidio ejus jam imminente, & postquam ex *vino fervente fcortationis ejus bibe-*

rant

rant omnes gentes, & Reges terræ opibus deliciarum ejus divites facti fuerunt, postquam *accumulata* fuerant *peccata ejus, & scelerum ejus DEUS recordatus erat*, postquam fideles & martyres sancti sub tyrannide ejus multa perpessi fuerant.

§. 2. Cognito autem *Antichristo* fideles ab ejus consortio se segregare *teneri*, ex eodem apocalyptico capite ita comprobamus: *Quoscunque Deus ex regno Antichristiano exire jubet, illi cognito Antichristo ab ejus consortio se segregare tenentur. Atqui fideles Deus ex regno Antichristiano exire jubet. Ergo fideles cognito Antichristo ab ejus consortio se segregare tenentur.* Minor propositio (uti jam jam monui) ex *Apoc. XIIX, 4.* manifesta est. Major vero vel ex terminis liquet, cum non tantum illi, qui regnum aliquod deserunt, a regis regnum illud obtinentis consortio se segregent, verum etiam omnes homines ad obsequium absolutum & illimitatum Deo exhibendum obligentur.

§. 3. Ex aliis insuper Sacrarum literarum effatis *Protestantes* in tractatu de *potestate & primatu Papæ*, Smalcaldicis articulis annexo, docent, fideles, cognito Antichristo, ad segregandum se ab ejus consortio obstrictos esse. Ibi enim p. 348. diserte inquiunt: *Omnes Christiani regnum Antichristi deserere, & execrari debent, sicut Christus jussit: Cavete a Pseudo-prophetis. Et Paulus jubet impios Doctores vitandos & execrandos esse, tanquam anathemata. Et 2. Cor. VI. ait: Ne sitis consortes infidelium. Quæ est enim societas lucis & tenebrarum?* Thes.

Th. XCVI.

Cæterum ex iis, quæ, de Antichristi notis ex Scriptura Sacra exposuimus, quilibet non honoris mundani, aut lucelli, quod Antichristinaum regnum suis satellitibus ostentat, cupidine abreptus, sed soli cælestis veritatis studio addictas judicare solide potest, utrum approbanda sit ea *Protestantium* Doctrina, quæ Romanorum Pontificum, quî post destructum Romanum Imperium vetus in urbe Roma dominati sunt, verissimum, ac specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dictum Antichristum esse statuit. Illas certe notas isti Pontificium Romanorum ordini convenire luculente patet.

§. 1. Protestantes in *Artic. Smalcald.* Part II. art. IV. pag. 316. diserte ajunt; *Sicut diabolum ipsum non possumus adorare, & pro Domino & Deo colere, ita nec ejus Apostolum Papam seu Antichristum in regno ejus, ut caput & Dominum ferre possumus: Mentiri enim & occidere, animas & corpora in æternum perdere, Pontificii regni proprium est.* Et in tractatu *de primatu & potestate Papæ*, Articulis Schmalcaldicis subjuncto, pag. 347. seq. ingenue & candide profitentur, *notas Antichristi plane competere in regnum Papæ, & sua membra*; ac interjectis quibusdam inquiunt: *Omnes Christiani Papam cum suis membris, tanquam regnum Antichristi, deserere & execrari debent.* Scribunt

&

& ibidem pag. 351. *Etamsi Romanus episcopus jure divino haberet primatum, tamen posteaquam defendit impios cultus & doctrinam pugnantem cum Evangelio, non debetur ei obedientia, imo necesse est ei tanquam Antichristo adversari. Errores Papæ manifesti sunt, & non leves, Manifesta est etiam crudelitas, quam exercet. Et constat, mandatum Dei esse, ut fugiamus idololatriam, impiam doctrinam & injustam sævitiam. Ideo magnas necessarias, & manifestas causas habent omnes pii, ne obtempereat Papæ. Et hæ necessariæ causæ pios consolantur adversus omnia convitia, quæ de scandalis, de schismate, de discordia objici solent.*

§. 2. *Pontificii* e contrario vehementer negant, Pontificum Romanorum seriem Antichristum recte appellari. *Bellar minus* sane librum tertium de *Pontifice Romano* totum consumit in amolienda a Romano Pontifice *Antichristianismi* accusatione, ac inter cætera Cap. I. *Magna*, ait, *impudentia hæretici Pontificem Romanum faciunt Antichristum.* Et *Tannerus* Tom. III. Theol. Scholast. Disp. I. q. 4. dub. 5. n. 18. audacter asserit, *Papam nunquam dictum habitumque esse Antichristum.*

§. 3. *Protestantes* ad suam exincendam sententiam ita potissimum argumentantur: *In quemcunque competunt omnes illæ notæ, quas Sacra Scriptura Antichristo specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dicto tribuit, is est Antichristus specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dictus. Atqui in Pontificum Romanorm Imperi-*

perium occidentale vetus in urbe Roma dominati sunt, ordinem competunt omnes illæ notæ, quas Sacra Scriptura Antichristo specialiter & κατ' ἐξοχὴν, sic dicto tribuit. Ergo ille Pontificum Romanorum ordo est Antichristus specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dictus. Majoris propositionis veritas ex ipsis terminis evidens est. Minor vero probatur per inductionem notarum cum interiorum, tum exteriorum, quæ Antichristo specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dicto in sacris literis adscribuntur.

§. 4. Et primum quidem (quod ad notas Antichristi interiores attinet) Romanorum Pontificum, qui everso Imperio Romano occidentali vetere vacantem imperii principatum invasere, suumque Romæ dominatum pedetentim evexerunt, ordo revera est *series plurium hominum in eadem impietate sibi succedentium.* Recte enim Protestantes in tract. *de Pot. & Prim. Pap.* p. m. 347. *Constat*, inquiunt, *Romanos Pontifices cum suis membris defendere impiam doctrinam, & impios cultus.* Cujus asserti Protestantium veritas infra liquidius adparebit, ubi Romanos Pontifices horrendas doctrinæ Christianæ & sacrorum publicorum corruptelas invexisse, aut propugnasse, ac pertinaciter tueri ostendemus.

§. 5. *Deinde* Romanos Pontifices in ecclesia Christi dominatum exercere, eumque in universum Christianum orbem affectare, superius in §. 3. ad *Thes.* LXXXIV. non tantum ex *Baronio* & *Catechismo Romano*, verum etiam ex ipsis Pontificum, *Bonifacii* VIII. & *Gregorii* VII. ver-

bis demonstratum dedimus. Hinc *Protestantes* sub initium statim sui de *potestate & primatu Papæ* tractatus, anno 1537. per Theologos Smalcaldiæ congregatos conscripti, verissime ajunt: *Romanus Pontifex arrogat sibi, quod jure divino sit supra omnes Episcopos & Pastores.* Et quibusdam interjectis: *Primum definiemus, quid vocent, supra omnes esse jure divino. Intelligunt enim esse Episcopum universalem, &, ut ipsi loquuntur οἰκουμενικὸν, id est, a quo debeant petere ordinationem & confirmationem omnes Episcopi & Pastores per totum orbem terrarum, qui habeat jus eligendi, ordinandi, confirmandi, deponendi omnes Episcopos.* Nec non in eodem tractatu pag. 348. *Primum constat* (inquiunt) *Papam regnare in ecclesia, & prætextu ecclesiasticæ autoritatis & ministerii sibi hoc regnum constituisse. Prætexit enim hæc verba: Tibi dabo claves.*

§. 6. Romanos Pontifices *tertio* divinam sibi potestatem & autoritatem arrogare, *Protestantes* in tractatu sæpius allegato p. m. 348. triplici ratione comprobant. Ibi quippe sic commentantur: *Arrogat sibi Papa autoritatem divinam triplici ter: Primum, quia sumit sibi jus mutandi doctrinam Christi, & cultus a DEO institutos & suam doctrinam & suos cultos vult observari tanquam divina. Secundo, quia sumit sibi potestatem non solum ligandi & solvendi in hac vita, sed etiam sumit sibi jus de animabus post hanc vitam. Tertio quia Papa non vult ab Ecclesia aut ab ullo judicari, & antefert suam autoritatem judicio Conciliorum, & totius Ecclesiæ. Hoc autem est, se Deum facere, nolle*

le ab Ecclesia aut ab ullo judicari. Confer. hic ea, quæ supra §. 3. ad *Thes.* LXXXIV. edisseruimus. Papam igitur potestatem & autoritatem divinam sibi arrogare, ex eo inprimis liquet, quod tribuat sibi potestatem, qua ab omnibus omnino hominibus in omni re atque negotio obedientiam absolutam & illimitatam exigere possit: Talis enim potestas soli Deo competit. Quocirca *Protestantes* Artic. Smalcald. Part. II. art. IV. p.m. 313. jure meritoque sic pronunciant: *Prostant omnes ipsius* (Papæ) *Bullæ & Libri, in quibus rugit ut Leo* (*ut Angelus Apoc 12. significat*) *clamitans, neminem Christianorum posse salvari nisi ei obediat, & subjectus sit in omnibus quæcunque vult, quæcunque dicit, quæcunque facit. Hoc totum quid aliud dictum est, nisi, licet in Christum credas, & omnia, quæ ad salutem necessaria sunt, in ipso solo habeas, tamen te nihil proficere, nisi Papam habeas & colas ut Deum tuum, & ei subditus sis & obedias.*

§. 7. Is ipse Pontificum Romanorum intolerabilis fastus, quo illi divinam sibi potestatem & authoritatem arrogant, ex eo quoque manifestissime adparet, quod arrogante ac temeraria voce contendunt, civilem summorum Magistratuum potestatem, qua talem, sibi suæque potestati subjectam esse, seu (uti itidem *Protestantes* in Tr. de pot. & prim. Pap. ab initio statim conqueruntur) *se jure divino habere utrumque gladium, hoc est, autoritatem etiam regna conferendi.* Civilis enim summorum Magistratuum potestas nulli alii, quam divinæ potestati subest. Roma-

ni autem Pontifices, se civilem summorum Magistratuum potestatem sibi velle subjectam, ipso opere ostenderunt, quo non tantum in universum orbem tum quatenus Ecclesiam, tum quatenus regna & imperia continet, summam absolutam & illimitatam potestatem sibi convenire palam jactarunt, sed & Cæsares, Regesque ac Principes optimos de throno dejicere, imperia, regna & principatus ad alios transferre, & subditos a juramento fidelitatis absolvere plus simplice vice impie ausi sunt. Vt multa alia hic exempla transeam Pontifex sane *Paulus IV.* Protestantes, quos Leo X. ejusq; successores dudum, editis bullis, hæreticos declaraverant, in bulla quadam (quæ in VII. *Decret.* Corpori Canonico in calce adjecto, lib. V. Tit. *de Hæret.* IX. deprehenditur) ditionibus, Electoratibus, Ducatibus, dignitatibus, & bonis omnibus, ipso jure privatos, pronunciabat, ut, si quis eos bello invadere, & ditionibus, dignitatibus, ac bonis suis exuere, sibiq;, quæcunq; illi possederint, vendicare vellet & posset, id liceret; quin imo, ne nullo jure id facere videretur, se *DEI & Domini nostri JESU Christi vices in terris gerere, & plenitudinem potestatis super GENTES & REGNA obtinere, seque judicare omnes, a nemine in hoc seculo judicandum*, in frontispicio statim Bullæ jactabat. Idem ille Pontifex, cum Imperator *Ferdinandus I.* depositis a fratre Carolo V. imperii fascibus potiretur, inaugurationem ejus, & quæ Francofurti in negotio hoc ab Electoribus acta erant, *nullius esse momenti dicebat, cum*

cum non intervenerit in iis S. S. auctoritas & Christi Vicarii, cui CLAVES COELESTIS ac TERRENI IMPERII creditæ sint, sine quibus nec Carolus legitime Imperio solutus, nec Ferdinandus recte in Imperium successive dici queat &c. Ob id & ut adpurgandum se judicio sistat, Ferdinando opus esse pœnitentia: itaque mittendum ab illo procuratorem, cum plenis mandatis, quibus declaret, se iis, quæ Francofurti facta sunt, ut nullius momenti, renunciare, remque omnem Pontificis arbitrio permittere. Atq; hos vanissimos Romanorum Pontificum ausus Canonistæ approbant, & magnopere tuentur. Impudentissimus quippe Papæ assentator Doctor *Marta*, Neapolitanus, in præfatione tractatus sui de *jurisdictione* Paulum V. Pontificem his verbis compellat: *Tu es Vicarius DEI in terris, a quo emanat omnis jurisdictio, unicus in orbe Pontifex, Imperator & Rex, omnium Principum superior, rerumque & personarum supremus Dominus.* Conf. *Sigismundus Scaccia* de judic. Lib. I. c. VII. n. 6. seq. & n. 12. *Petrus Binsfeldius* de injur. & damn. dat. c. VII. qu. I. concluf. 2. Quare Protestantes in tr. *de pot. & prim. Pap.* p. m. 346. seq. adversus regnum Papæ jure meritoq; hasce querelas instituunt: *Bonifacii octavi constitutio & Cap. omnes dist. 22. & similes sententiæ sunt falsæ & impiæ, quæ contendunt, jure divino Papam esse Dominum regnorum mundi. Ex qua persuasione tenebræ in Ecclesiam horribiles invectæ sunt: deinde etiam magni in Europa motus orti. Neglectum est enim ministerium Evangelii: extincta est notitia*

fidei, & regni spiritualis: Christiana justitia putabatur esse illa externa Politia, quam Papa constituisset. Deinde Papæ rapere ad se imperia cœperunt, transtulerunt regna, vexarunt injustis excommunicationibus & bellis fere omnium nationum Reges in Europa, sed maxime Imperatores Germanicos, alias ut occuparent Italicas civitates, alias ut episcopos Germaniæ redigerent suam in servitutem, & eriperent Imperatoribus collationem. Imo etiam in Clementina scriptum est: Vacante imperio, Papam esse legitimum successorem. Ita Papa non solum dominationem contra mandatum Christi invasit, sed etiam Tyrannice prætulit se omnibus Regibus. Nec tantum in hac re factum ipsum reprehendendum est, quantum illud detestandum, quod prætexit autoritatem Christi, quod claves ad regnum mundanum transfert, quod salutem allegat ad has impias & nefarias opiniones, cum ait, de necessitate salutis esse, ut credant homines, jure divino hanc dominationem competere. Nec vero Protestantes tantum, verum etiam haud pauci in Papatu Doctores Pontifici hic super omnes Reges ac Principes sese efferenti mascule se opponunt. Vt enim *Johannem Gersonem*, & Doctores *Sorbonicos*, hic taceam, Theologi *Veneti* seculo superiori pro Serenissima Republ. Veneta contra Pontificem Paulum V. asseruerunt, *potestatem summi Pontificis, qua imperat Christianis, non esse illimitatam, neque se extendere ad omnes MATERIAS, sed esse restrictam ad finem publicæ utilitatis in ECCLESIA, & habere pro regula Legem divinam.* Videatur hic ex Protestan-

testantibus Doct. *Johannes Wolffgangus Jægerus*, Cancellarius Tubingensis, qui Propositiones & decisiones, queis Veneti Theologi Papæ fulmina & anathemata in potentissimam Rempublicam evibrata repressérunt, *Histor. Eccl.* Tom. II. Libr. IX. Cap. I. pag. 300. seqq. consignavit.

§. 8. *Quarto* horribiles doctrinæ Christianæ & sacrorum publicorum corruptelas Romanos Pontifices invexisse aut propugnasse, ex superius dictis liquido constat. Jam enim in Loco Theologico de *S. Cœna*, & quidem sub ejus finem copiose docuimus, quos impios & idololatricos actus includat missa Pontificia, quæ tamen in regno Papæ maximam & potentissimam cultus publici partem constituit. Ostendimus quoque in præsenti de *Ecclesia* Loco Theologico §. 2. ad *Thes. LII.* ipsam Sacramenti Cœnæ substantiam per legem *communionis sub utraque specie* subverti. Sic & in hoc ipso Loco Theologico §. 3. ad Thes. LII. ex *Augustanæ Confessionis Apologia* docuimus, plures noxios, ipsamque fidem aut fundamentum fidei evertentes errores in ecclesia Romano Pontifici addicta defendi. Demonstravimus porro, præeunte Augustanæ Confessionis *Apologia*, in eodem Loco Theologico §. 4. ad *Thes. LXXXIV.* in Romana Ecclesia Evangelium, beneficium Christi, & justitiam fidei obscurari, imo Evangelium doctrinis dæmoniorum aperte obrui. Nos præterea non possumus non hic allegare, quæ de multis doctrinæ Christianæ sacrorumque publicorum corruptelis, in

Pontificia ecclesia deprehensis, *Protestantes* in suo de *Pot. & Prim. Papæ* tractatu p. m. 349. ita disserunt: *Manifesti sunt errores regni Papæ. Et Scriptura tota voce clamitat, errores illos esse doctrinam dæmoniorum & Antichristi. Manifesta est idololatria in profanatione missarum: quæ cum aliis vitia habent, tum ad turpissimum quæstum impudenter collatæ sunt. Doctrina de poenitentia prorsus depravata est a Papa, & a suis membris. Docent enim remitti peccata propter dignitatem nostrorum operum. Deinde jubent dubitare, an contingat remissio. Nusquam docent, quod gratis propter Christum remittantur peccata, & quod hac fide consequamur remissionem peccatorum. Ita gloriam Christi obscurant, conscientiis firmam consolationem eripiunt, & abolent veros cultus, videlicet exercitia fidei luctantis cum desperatione. Obscuraverunt doctrinam de peccato, & finxerunt traditionem de enumeratione delictorum, parientem multos errores & desperationem, affinxerunt satisfactiones, quibus etiam obscuraverunt beneficium Christi. Ex his natæ sunt indulgentiæ, quæ sunt meræ mendacia, quæstus causa excogitata. Deinde invocatio Sanctorum quantos abusus, & quam horrendam idololatriam peperit? Quanta flagitia orta sunt ex traditione de cœlibatu? Quantas tenebras effudit Evangelio doctrina de Votis? Ibi finxerunt, vota esse justitiam coram Deo & mereri remissionem peccatorum. Ita transtulerunt beneficium Christi in humanas traditiones, & penitus extinxerunt doctrinam de fide. Finxerunt, nugacissimas*

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_0718
DFG

mas traditiones esse cultus DEI, & perfectionem, & pratulerunt eas operibus vocationum, quas Deus requirit & ordinavit. Neque hi errores sunt existimandi leves: Lædunt enim gloriam Christi, & afferunt perniciem animabus, nec possunt dissimulari.

§. 9. Quod attinet tandem ad quintam Antichristi specialiter & κατ' ἐξοχὴν sic dicti essentialem notam (quæ est corruptelarum propagatio, fraudibus & mendaciis, vique externa & multa humana sangvinis profusione facta) manifesta sane sunt mendacia & fraudes, queis multa hominum millia ad regnum Papæ traducuntur, aut in eo detinentur. Constat enim primum, quantopere regni illius satellites ac propugnatores crepent prodigia in Papatu patrata. *Multa quotidie*, scribit jactator Jesuita *Becanus* P. II. Theol. Scholast. Tr. 1. *fiunt miracula Laureti in Italia, Sichemii & Itala in Brabantia, Tettelbachi in Franconia.* Ast prodigia illa prorsus mendacia esse, ac meris fraudibus adornata, sagaciores, atque inter eos cumprimis Doctissimus *Berneggerus* in peculiari tractatu, quod *idolum Lauretanum* vocat, pridem ex eo potissimum animadverterunt, quod in certis tantum locis (ad fallendum scilicet compositis) prodigia penes Papicolas edi dicantur, nec ipse Pontifex ullum perficere prodigium valeat. Quod si enim iis, quæ jactantur, prodigiis nullus dolus subesset, consimilia miranda ubivis locorum, certe ab ipso Romano Pontifice, edi possent. Spectant

ctant quoque ad fraudes & mendacia, queis corruptelæ in Papatu propagantur & defenduntur, scripta illa *pseudepigrapha*, quæ Doctores Pontificii tanquam tabulas Verbum Dei non scriptum exprimentes, vel tanquam genuina Sanctorum patrum, aut vetustissimorum præsulum Romanorum monumenta christianis obtrusum eunt. Videlicet huc pertinent (1.) *Apostolicæ*, ut vulgo dicuntur, *Constitutiones*, *Canones Apostolici*, Liturgiæ Apostolorum, (ut Jacobi, Petri, Marci, Matthæi) ad Sacrificium Missæ adstruendum excogitatæ; (2.) scripta quædam putidissima, notasque impostoræ passim præ se ferentia, Patribus apostolicis (seu iis, qui Apostolorum ævo in ecclesia inclaruerunt, Doctoribus) tanquam auctoribus attributa, ut *Ignatii* epistolæ ad Johannem Evangelistam, & S. Mariam Virginem, *Clementis Romani* Libri recognitionum, Scripta sub *Dionysii Areopagitæ* nomine vulgata, *Prochori* historia de vita, miraculis & assumtione S. Johannis, *Hermæ* tres libri, non nunquam sub Pastoris nomine allegati, *Martialis* duæ epistolæ, Latine scriptæ, *Lini* duo libri de passione Petri & Pauli, *Achaiæ presbyterorum & Diaconorum*, testium velut oculatorum, epistola de passione & martyrio Andreæ Apostoli, *Abdiæ* decem libri de historia certaminis Apostolici; (3) *Epistolæ decretales*, quam plurima atque insignia falsitatis & suppositionis suæ argumenta in se continentes, præeunte quodam *Isidoro*, (quem ipse Sorbonicus Doctor, *Natalis Alexander* Hist. Eccl. sec.

I. Part II. Diss. XVII. p. 165. impostorem, *Jacobus Vsserius* de Christ. Eccl. succes. & stat. c. III. planum post natos homines nequissimum & improbissimum, *Johannes Dallæus* de Pseudepigraphis Apostolicis L. III. c. 5. p. 476. nequissimum & imperitissimum impostorem, *David Blondellus* in epistola dedicatoria Pseudo-Isidoro præmissa projectæ nequitiæ rabulam, nebulonem perditissimum, eorum omnium, qui scientiam ex conscientiæ puritate æstimant, cauterio inustum appellitat) primis ecclesiæ Romanæ Præsulibus a Clemente ad Siricium usque affictæ, (4) infinita fere monumenta alia sub falsis Doctorum antiquiorum nominibus circumferri solita, e. g. *Origenis* Commentarii in Leviticum & Psalmum, *Ambrosii* precatio ad Missam, & commentarii in Apocalypsin, *Augustini* tractatus de tempore, de Sanctis, de visitatione infirmorum, de rectitudine catholicæ conversationis, de vera & falsa pœnitentia, &c. Cujusmodi scripta inter alios Doctissimus Vir, *Robertus Cocus*, eo fine sub examen vocavit, ut ne (uti ipse in præfatione *censuræ* quorundam scriptorum, quæ sub nominibus Sanctorum & veterum autorum citari solent, loquitur) *sordidissimi errores pro locupletissimis civibus, obscurissimi nebulones pro nobilissimis scriptoribus & pernicioſissimi hæretici pro sanctis Patribus diutius celebrentur.* Referimus insuper ad Pontificiorum fraudes & mendacia putidissimas illas relationes, quas isti ad adstruendam purgatorii existentiam & veritatem de mortuorum apparitionibus

nibus disseminare haud erubescunt. Cujusmodi relatio est e. g. ea narratio, quam de *spiritu quodam Posonienſi e purgatorio liberato* autoritate & jussu Electi archiepiscopi Strigonienſis, *Georgii Lippai*, anno 1643. evulgatam *Gisbertus Voetius* in secunda parte Disp. Select examinavit, suæque historiæ Ecclesiasticæ Tom. II. Libr. II. cap. XV. brevioribus lineis inseruit. Neque vero ipsi Doctores Pontificii dissimulare possunt, regnum Papæ astu & calliditate excreviſſe, ac longe lateque fuisse propagatum. Quippe inter alios episcopus *Carolus Caraffa* in Germania S. restaurata pag. 218. *Ratio*, inquit, *politica rem catholicam vehementer* auxit.

§. 10. Liquet etiam clarissime, *vi externa & multæ sanguinis profusione corruptelas* illas, quas Romani Pontifices invexerunt, *propagatas fuisse ac conservatas*. Testantur enim de violentia illa & sævitia tot fulminantes Pontificum Romanorum bullæ, tot a Patribus Tridentinis in dissentientes jactata anathemata, tot martyria confessorum, in quos ferro & igne, variisque tormentorum ac cruciatuum generibus regnum Papæ immane quantum ad necem usque sæviit. Atque crudelitatem illam & vim contra veræ fidei sectatores exercitam *Protestantes* hinc inde describunt & execrantur. Ita enim anno 1530. in *Augustanæ Confessionis Apologia* p. m 143. conqueruntur: *Accepimus in hoc conventu* (Augustano) *quendam reverendum Patrem in senatu Imperii, cum de nostra confessione sententiæ dicerentur, dixisse*

xisse, nullum sibi consilium videri utilius, quam si ad confessionem, quam nos exhibuissemus atramento scriptam, sanguine rescriberetur. Quid diceret crudelius Phalaris? Et pag. 204 *Episcopi* (Pontificii) *sacerdotes nostros aut cogunt hoc doctrinæ genus, quod confessi sumus, abjicere ac damnare, aut nova & inaudita crudelitate miseros & innocentes occidunt.* Nec non pag. 146. seq. *Canon jubet suspendere sacerdotes. Isti* (Pontifices) *parum commodi interpretes suspendunt non ab officio, sed ab arboribus. Multos bonos viros occidunt tantum propter conjugium. Atque hæc ipsa parricidia ostendunt, hanc legem doctrinam esse dæmoniorum. Nam Diabolus, cum sit homicida, legem suam defendit his parricidiis.* Et paucis quibusdam interjectis: *Scimus, nos summo studio concordiam constituere cupientes non posse placare adversarios, nisi manifestam veritatem projiciamus, deinde nisi cum ipsis conspiremus, quod velimus hanc injustam legem* (de perpetuo cœlibatu) *defendere, contracta matrimonia dissolvere, interficere sacerdotes, si qui non obtemperent, in exilium agere miseras mulieres atque orbos pueros.* Protestantes porro in tr. de *pot. & prim. Papæ* p. m. 350. querula voce inquiunt: *Duplicem tyrannidem exercet Papa: Defendit errores suos vi & homicidiis, & vetat cognitionem: Hoc posterius etiam plus nocet, quam ulla supplicia, quia sublato vero judicio Ecclesiæ, non possunt tolli impia dogmata, & impii cultus.* Ac paulo post: *Et ut Papa synodos habeat: quomodo sanari Ecclesia potest, si Papa nihil decerni contra arbitri-*

bitrium suum patiatur, si nemini concedat dicere sententiam, nisi suis membris? quæ habet obligata horrendis juramentis & maledictionibus ad defensionem suæ tyrannidis & impietatis, sine ulla exceptione Verbi Dei. Quæ *Protestantium* querela ut plenius intelligatur, ex iis, quæ superius ad *Thes. LXIII.* commentati sumus, repetenda est formula jurisjurandi, quo Episcopi Pontificii, futuri conciliorum assessores, promittere necessum habent, sese ad defendendum Papam contra omnes homines fore adjutores. Atque ex illa regni Papæ injustitia & tyrannide (quod obiter hic notamus) haud difficile intelligitur, *Noallium*, *Quesnellum*, ipsorumque asseclas episcopos Gallicanos parum protecturos fuisse, si vel maxime sua appellatione concilium generale, in quo ipsorum causa cognosceretur, obtinuissent.

§. 11. Vti vero ex iis, quæ hactenus exposui, manifestissimum evadit, omnes ac singulas Antichristi essentiales notas in Romanos Pontifices cadere; ita nunc liquidissime patebit, notas quoque Antichristi *accidentales* in illorum Pontificum ordinem competere. Ac *primo* quidem Pontificii Imperii sedem *Romam* esse, vel ipsa vox Pontificis Romani innuit. *Secundo* (quod ad erecti dominatus Pontificii tempus attinet) ex historicis abunde patet, quod, simul ac veteres Imperatores Romæ cum potestate præesse desierunt, Pontifices Romani vacantem invaserint imperii sedem, suique regni fastigium pedetentim in ea constituerint. *Tertio* dominatus regnumque Pa-

pæ

pæ non in una gente aut populo subsistit, sed ad Italiam, Galliam Hispaniam, Portugalliam, Poloniam, Bohemiam, Hungariam, magnamque Germaniæ partem sese diffundit, atque adeo amplissimum est. *Quarto* regni Pontificii divitias & luxum quilibet agnoscit, qui non tantum ditiones civili Romanorum Pontificum potestati subjectas, Vrbem videlicet Romam, (cujus, æque ut veteris Babyloniæ, moribus nihil corruptius, nihil ad irritandas illiciendasque immodicas voluptates instructius est,) patrimonium Petri, & Comitatum Avignionensem, nec non sedis Romanæ opulentiam vere regalem, longa ætate cumulutam, & ex tota fere Europa congestam, classem, triremes, conscriptos milites, tormenta, arma, castella, pretiosissimas res Romæ asservatas, ac cujusque regnantis Papæ habitum & apparatum externum contuetur, verum etiam Cardinalium dignitate tanquam regia præfulgentium, & cæterorum Episcoporum ac Prælatorum, principale velut fastigium æquantium, cultum corporis & vitæ conspicit. Atque tanti splendoris, tanti luxus ostentatione ad deserendos Protestantium cœtus, & ad amplectendas superstitiones Pontificias monachus Augustinensis, *Augustinus Gibbon de Burgo*, Doctor & Professor Erfurtensis, in tractatu de *Luthero-Calvinismo*, *schismatico quidem, sed reconciliabili* Disp. IV. Qu. ult. p. 332. seqq. mortalium animos illicere ac permovere conatur. *Quinto* Pontificum Romanorum iniquissime dominantium iniquitas, impietas, & tyrannis ultimis

timis hisce temporibus manifestata, & publice reprehensa, eorumque potestas & authoritas valde labefactata fuit, quando *Lutherus* incomparabilis (uti ipsi *Boxhornio* in Hist. Eccl. p.m. 1044. dicitur) Heros, indulgentias oppugnavit, impias doctrinas, impiosque cultus, quos defendit Papa, palam arguit, intolerabilem Pontificum fastum & sævitiam interritus perstrinxit, eos jure divino super omnes episcopos & pastores non esse, nec de jure illo autoritatem regna conferendi habere, neque illis obedientiam deberi, dilucide docuit, tandemque vaticiniis Scripturarum cum experientia, & iis, quæ a *P*ontificibus in ecclesia geruntur, conjunctis, in Romanos Pontifices, quales inde ab aliquot seculis extiterunt, Antichristi notas, proprietates, opera, in vaticiniis Scripturarum prædicta, convenire demenstravit, atque hac sua doctrina Reges multos, *P*rincipes ac Comites, multasque civitates, ut *P*apam cum suis membris, tanquam regnum Antichristi, execrarentur & desererent, permovit. *Sexto* Papæ regnum jam per plura secula duravit, cum erectum sit, simul ac imperium Romanum occidentale vetus abolitum fuit, hæc vero destructio multis abhinc seculis contigerit.

§. 12. Quamvis igitur Scripturarum vaticiniis cum experientia, & rebus, quas Romani Pontifices in Ecclesia egerunt aut moliuntur, conjunctis, ipso lumine naturali duce rectissime colligamus, Romanorum Pontificum qui post destructum Romanum Imperium occidentale vetus

tus in urbe Roma ad noſtra uſque tempora dominati ſunt, ordinem eſſe Antichriſtum, Doctores tamen qui in Papatu inde a Reformatione Lutheri miniſterio peracta floruerunt, multis variiſque argumentis evincere anniſi ſunt, ordinem illum per calumniam ſummamque injuriam Antichriſtum appellari. Eminet inter eos *Robertus Bellarminus*, Cardinalis, Atlas Pontificiæ curiæ, & tot polemicis ſcriptis editis clarus, cujus (ut ſuperius §. 2. obſervavi) liber tertius de *Pontifice Romano* totus in repellenda a Papa Antichriſtianiſmi accuſatione occupatur. Aſt omnia, quæ ille opponit, argumenta anno 1700. in Academia Jenenſi, cum publicis prælectionibus Anti-Pontificiis fungerer, omni ſtudio repreſſi, meas tunc datas reſponſiones alio tempore & occaſione, ſi Deus vitam vireſque indulſerit, ſcripto publico evulgaturus.

Th. XCVII.

Licet vero Proteſtantes Imperii Romano-Germanici Status Romanos Pontifices Antichriſtum in eccleſiis ſcholisque ſuis publice appellitent, id circo tamen criminis læſæ Majeſtatis Cæſareæ accuſandi non ſunt.

§. I. Romanenſis ſecta in Proteſtantes eo, quod Romanos Pontifices Antichriſtum eſſe dicant, velut in reos criminis læſæ majeſtatis Cæſareæ acriter invehitur. Vid. *Dillingenſes* in compoſitione pacis cap. XI. qu. 83. *Forerus* im Uber-

schlag p. 335. seq. *Tannerus* in Relatione Colloquii Ratisbonensis fol. 34. *Erbermannus* in Expostulatione, quam vocat, justa. Contra vero Protestantes accusationem illam a se omni studio totaque animi ac virium contentione amoliuntur. Confer. Theologorum Saxonicorum Haupt-Vertheidigung des Aug-Apffels c. LXXXVII. p. 992. *Heilbrunneri* uncatholisches Pabstthum cap. VI. art. XIV. p. 456. seq. *Nicolai Hunni* Tractatus de innocentia Lutheranorum.

§. 2. Nos Protestantium innocentiam demonstramus hoc argumento: *Quicunque divina de futuro Antichristo vaticinia, facto eorum complemento, recludunt & resignant, illi per hoc non sunt rei criminis læsæ Majestatis Cæsareæ. Atqui Protestantes, Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, divina de futuro Antichristo vaticinia, facto eorum complemento, recludunt & resignant. Ergo Protestantes Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, per hoc non sunt rei criminis læsæ Majestatis Cæsareæ.* Major propositio ex eo liquet, quod Deus non voluerit, ut perpetuo occlusæ atque obsignatæ sint divinæ de futuro Antichristo prædictiones, sed potius, ut accedente complemento recluderentur & resignarentur, id autem agere, quod divinæ voluntati congruit, minime sit aliquod crimen, e.gr. crimen læsæ majestatis. Minor ex eo manifesta est, quod omnes ac singulæ notæ, in Pauli & Johannis vaticiniis Antichristo adscriptæ, in Pontificum Romanorum serie jam jam deprehendantur.

§. 3.

§. 3. Argumentamur II. hunc in modum: *Quicunque asserunt id, quod per se in Romani Imperii & Imperatoris Christiani decus & gloriam cessurum sit, illi per hoc non fiunt rei criminis læsæ Majestatis Cæsareæ. Atqui Protestantes, Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, asserunt id, quod in Romani Imperii, & Imperatoris Christiani decus & gloriam cessurum sit. Ergo Protestantes, Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, per hoc non fiunt criminis læsæ Majestatis Cæsareæ.* Major propositio sua luce radiat. Sic & minor facile probatur. Cedit quippe per se & directe in Romani Imperii, & Imperatoris decus & gloriam, si Imperii Caput & Proceres potiantur eminenti sacrorum jure, plenaque ecclesiastica jurisdictione externa, quam in veteri Ecclesia Imperatores Romanos obtinuisse pariter ac exercuisse, Concilia œcumenica ab iis indicta, directa, & confirmata, totus a Justiniano confirmatus ecclesiæ universæ canonum codex, totque in Justinianeo juxta ac Theodosiano codice extantes leges, quas Imperatores illi de rebus personisque ecclesiasticis condidere, omnino demonstrant: Ast Imperator Imperiique Proceres eminens sacrorum jus, plenamque jurisdictionem ecclesiasticam externam obtinere oportet, ubi constiterit, Pontifices Romanos esse Antichristum, supremum in Ecclesia universa dominatum affectantem. Cognito enim Antichristo, fideles ab ejus consortio se segregare, eique prorsus adversari tenentur. Confer. *Artic. Smalcald.* p. m. 351.

§. 4. Nectimus III. tale argumentum: *Quicunque faciunt id, quod ipsa S. Cæsarea Majestas permisit permissione juris plena*, h. e. ea permissione, quæ jus dat ad aliquid omnino licite agendum,) *illi ob factum istud non sunt rei criminis læsæ Majestatis Cæsareæ. Atqui Protestantes, Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, faciunt id, quod ipsa S. Cæsarea Majestas permisit permissione juris plena. Ergo Protestantes, Pontifices Romanos Antichristum esse dicentes, ob factum istud non sunt rei criminis læsæ Majestatis Cæsareæ.* Major non eget probatione. Minor autem haud difficile comprobatur. Plenissima enim religionis libertas per illam toti Christiano orbi saluberrimam pacem religiosam, Ferdinandi Regis interventu anno 1555. Augustæ in frequentissimis & augustissimis comitiis sancitam, & liberrimo sequentium Imperatorum consensu confirmatam, pragmatica quadam sanctione, ac inviolabili & in perpetuum observanda constitutione Protestantibus concessa est. Verba enim in Pacificatione Religiosa Augustana §. Und damit solcher Friede &c. ita habent: So sollen die Käyserl. Majestät / Wir, auch Churfürsten / Fürsten und Stände des Heil. R. Reichs, keinen Stand des Reichs / von wegen der Augspurgischen Confession, und derselben Lehr, Religion und Glaubens halber / mit der That gewaltiger Weise überziehen, beschädigen / vergewaltigen, oder in andere Wege wider sein Conscientz, Wissen und Willen / von dieser Augspurgischen Confessions-Religion, Glauben / Kirchen.

chen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht / oder nachmahls aufrichten möchten in ihren Fürstenthümern / Landen und Herrschafften, bringen. Alles bey Käyserlichen und Königlichen Würden, Fürstlichen Ehren, wahren Worten und Treue des Land-Friedens. Accedit &, quod uberiores doctrinarum in Augustana Confessione comprehensarum declarationes, aliæque ad dogmata illa illustranda & propugnanda facientes hypotheses pacificatione ista neutiquam sint interdictæ, imo vero in allegato jam §. u. damit solcher Fried &c. simpliciter ac sine ulla prorsus exceptione sanciatur, ne quis Imperii status quoad Augustanæ Confessionis religionem & doctrinam turbetur aut oppugnetur. Atqui assertio illa, quæ Romanos Pontifices Antichristum esse ait, non tantum est hypothesis ad dogmata Augustanæ Confessionis propugnanda faciens, sed & uberior doctrinæ in Confessione illa comprehensæ declaratio; prout Protestantes in ejusdem Confessionis *Apologia* p. m. 208. palam diserteque ajunt: *Et quid in re manifesta verbis opus est? Si hos humanos cultus defendunt adversarii nostri, tanquam promerentes justificationem, gratiam, remissionem peccatorum, SIMPLICITER constituunt regnum Antichristi.*

§. 5. Ad tertium hoc nostrum argumentum excipient Pontificii negando minorem propositionem. Regerent scilicet, pacificationem religiosam anno 1555. Augustæ factam Protestantes neutiquam accepisse jus Romanos Pontifices licite

vocandi Antichristum, cum Pacificatio illa vi metuque extorta, atque insuper Pontificis consensu destituta, quin imo a Paulo IV. aperte rejecta & damnata sit. Vid. *Franciscus Burgbardus* Cancellarius Colonienſis, de autonom. *Johannes Paulus Windeck.* in Lib. de hæreticis extirpandis, & *Dillingenſes* JCt. in compoſitione pacis cap. V. qu. 28. p. 125. Sed reſp. (a.) Nemo adeo inſanus eſt, ut pacificationis illius confirmationem, in ſubſequentibus Imperii comitiis, capitulationibus Cæſareis, & inſtrumento pacis factam, vi metuque extortam eſſe contendat. Reſp. (β.) Falſum eſt, ipſam illam Religioſam pacem primum vi ac metu extortam eſſe. Quamvis enim, cum tranſactio primum Paſſavii iniretur, conflictus aliqui & velitationes, & occupatio caſtri Ehrenbergæ, Auguſtæ & Oeniponti anteceſſiſſent, nondum tamen totis viribus caſtrisque pugnatum erat, ut altera pars viciſſe, altera poſtrata atque adeo ad tranſactionem amplectendam vi adacta dici potuerit, ſed rebus utrinque integris in eam, ac multo adhuc magis, cum jam armorum impetus conticuiſſet, in ſubſequentem pacificationem Auguſtanam ultro conſenſum fuit. Reſp. (γ.) Si vel maxime alterutra pars ſuccubuiſſet, & ad duras conditiones adacta fuiſſet, gravitas tamen conditionum ſponſionis vinculum non levat, nec alteri parti jus ſuum adimit, quia alias plurimæ pacificationes nihil efficaciæ habituræ eſſent. Reſp. (δ.) Conſenſus Pontificis ad tranſactionem Paſſavienſem, Pacemque Religioſam, ut recta & valida eſſet, nullo

mo-

modo requirebatur. Aut enim consensu isthoc ideo opus fuisset, quod Pontifex aliquas in sanciendo fœdere, edendoque decreto partes habuisset, aut quod Imperatores quicquam absque Papæ præscitu & consensu promittere ac statuere nequeant. Ast Romano Pontifici nullæ plane vel in sancienda transactione, vel in edendo pacis decreto partes fuerunt, cum transactio inter transigentes vel paciscentes ineatur, & imperiale decretum a Capite statibusque ac membris Imperii condatur, Papa vero neque ad paciscentium ordinem tunc pertinuerit, neque vel caput vel membrum Imperii censeri possit. Quid enim Italo Episcopo cum Germania? Neque vero asserere licet, Imperatorem haud posse sine præscitu ac consensu Romani Pontificis permittere quicquam & statuere. Quis enim ad eam se abripi vesaniam sinet, ut dicat, vel Imperatores Glorioſissimos ita pueros fuisse, ut promiserint & statuerint ea, quorum præmittendorum aut statuendorum facilitatem sibi non convenire nosse debuerant, vel ita servos, ut necesse habuerint, a Dictatoris illius ecclesiastici nutu supercilioque per omnia pendere? Cæterum plura, quæ in Bulla adversus religiosam pacificationem fabrefacta occurrunt, ἐρματήματα B. *Abrahamus Calovius* in tractatu de *Natura & Indole pacificationis religiosæ* Part. prior. §. XXII. seqq. copiose ac erudite commonstravit.

§. 6. Doctores Pontificii, ut evincant, Protestantes Papam Antichristum esse dicentes, committere crimen læsæ Majestatis Cæsareæ, hocce

potissimum modo argumentantur: *Quicunque Cæsarem pronunciant Babylonicæ meretricis filium, & Antichristi advocatum, illi committunt crimen læsæ Majestatis Cæsareæ. Atqui Protestantes, Papam Antichristum esse dicentes, Cæsarem pronunciant Babylonicæ meretricis filium, & Antichristi advocatum. Ergo Protestantes, Papam Antichristum esse dicentes, committunt crimen læsæ Majestatis Cæsareæ.* Minorem vero ex eo probant, quod Imperator Romanus in recessibus Imperii pariter & Capitulationibus Cæsareis sedis Romanæ ipsiusque Papæ defensor & advocatus nominetur, sequea Romano Pontifice filium adpellari patiatur. Sed respondemus nunc negando minorem argumenti jam prolati propositionem. Protestantes enim, quæ ipsorum erga S. Cæsaream Majestatem reverentia & devotio est, nusquam Cæsarem totidem conceptis verbis Babylonicæ meretricis filium, & Advocatum Antichristi vocant, nec unquam ex illa sua assertione, qua Antichristus Babylonicæ meretricis figura *Apoc.* XVII. adumbratus, Romani Pontifices esse dicuntur, Cæsarem mulieris illius filium & Antichristi Advocatum esse inferunt, sed istam suam assertionem tranctant in se absolute eamque deducunt & defendunt ex sacrarum literarum vaticiniis cum experientia conjunctis, absque ullo respectu aut accommodatione ad S. Cæsaream Majestatem. Neque vero ex eo Protestantium dogmate, quod Romani Pontifices sint Antichristus mulieris Apocalypticæ figura repræsentatus, necessaria connexione sequitur

tur, Imperatores Romanos esse Antichristi advocatos & meretricis Babylonicæ filios. Cæsar enim in recessibus imperii, & Capitulationibus Cæsareis sedis Romanæ ipsiusque Papæ advocatus dicitur, in quantum Papa episcopi præsulisque munere fungitur, non autem quatenus Antichristi rationem habet, h.e. Cæsar appellatur sedis Romanæ, ipsiusque Papæ tutor & Advocatus, non quod Romanos Pontifices in iis, quæ ad Antichristi partes pertinent, (e.gr. in invehendis doctrinæ Christianæ sacrorumque publicorum corruptelis aut in persequendis ac trucidandis veræ fidei sectatoribus, in exercenda in universam ecclesiam, omnesque Reges ac Principes, potestate absoluta, illimitata & divina, in efficiendis ad propagandos errores prodigiis, mendacibus &c.) adjuvare & tueri teneatur, sed quod Romano Pontifici, in quantum se intra Romani episcopi, ac potestatis jure sibi convenientis, limites continet, tutelam & advocatiam præstare debeat. Hinc etiam Augustissimi & glorioſissimi Imperatores Romani, *Carolus* V. *Ferdinandus* I. *Maximilianus* II. Romanum Pontificem ea, quæ ad partes Antichristi pertinent, facientem, e. gr. super Reges & Principes sese extollentem, atque Imperatori & proceribus Imperii omnem in rebus sacris potestatem derogantem, sibi vero soli circa res illas omnem autoritatem sumentem, aut Vicedeatum & Vicariatum Christi etiam in terrenis jactantem patrocinio suo minime dignati sunt, sed ejus conatibus & actionibus summopere adversati. Videantur ea, quæ *Joh. Musæus*

in Vindic. Bibl. Diss. I. a §. XXIIX. usque ad §. XLI. solidissime hanc in rem edisserit. Ast vero exinde, quod Cæsar Romani Pontificis, in quem Antichristi notæ competunt, certo respectu tutor & advocatus est, nullo inferre pacto licet, Cæsarem absolute loquendo Antichristi advocatum esse. Vti enim e. gr. ex eo, quod Reges & Principes Protestantes ecclesiarum suarum ministros & Doctores, inter quos haud pauci pravis moribus horrendisque vitiis coinquinati inveniuntur, protegunt, concludendum non est, Reges illos ac Principes absolute loquendo nebulonum, alastorum, hominumque pessimorum advocatos, patronos & tutores esse: ita nec ex eo, quod Imperator episcopos Romanos, in quos alias notæ Antichristi cadunt, certa ratione tuetur ac protegit, inferri potest, Cæsarem absolute loquendo esse tutorem & Advocatum.

Th. XCVIII.

Neque Protestantes per hoc pacem religiosam violant, quod Romanos Pontifices Antichristum vocant.

§. 1. Qui enim agunt id, quod ipsis in pacificatione Religiosa & instrumento pacis permissum est permissione plena, illi pacem religiosam haud lædunt. Atqui ostensum est in præcedentibus, Protestantes per pacificationem Religiosam, & Instrumentum pacis jus sententiam de Papa Antichristo publice docendi accepisse.

§. 2.

§. 2. Et, si Pontificia secta per hoc non violat religiosam pacem, quod Protestantium Doctores dicit hæreticos, Proceresque Imperii Protestantes vocat hæresium & hæreticorum defensores, certe nec *P*rotestantes pacem religiosam lædunt, quando ad Augustanæ Confessionis defensionem, juxta Scripturæ Sacræ ductum, *P*ontifices Romanos Antichristum adpellitant.

Th. XCIX.

Postquam igitur demonstratum planeque evictum est, Romanos Pontifices esse Antichristum, luculentissime patet, Protestantes Romani Imperii Principes ac Proceres recte pieque agere, quando solenni instituta festivitate Jubilæa Summo Numini, quod duobus abhinc seculis Lutheri ministerio ipsos potestate regnoque Papæ liberavit, grates humillimas devotissime persolvunt, ac sacris habendis sermonibus textus divinos de futuro Antichristo vaticinantes, ejusque notas, proprietates & opera describentes deligunt ad Romanorum Pontificum in eadem impietate sibi succedentium ordinem accommodari jubent.

§. 1. Ineffabile sane DEI beneficium est, Reges ac Principes, eorumque subditos ex Antichristi potestate & regno eripi. Hoc enim excusso jugo, gravissimis maximisque periculis liberantur, cum quamdiu regno isti subjiciuntur, peri-

periculum sit, ne Antichristi, ejusque satellitum fraudibus & præstigiis ad injustam crudelitatem adjuvandam, ad interficiendos & persequendos veritatis confessores, ad confirmandam & propagandam idololatriam inducantur, ipsique blasphemis opinionibus se polluant, & errores, quos Antichristus invexit, vique externa & varii generis dolo per populos ac gentes longe lateque diffundit, amplectantur mente, ac foveant. Vid. *Protestantium* Tractatus de *pot. & prim. Papæ* p. m. 350. seq. Ex eodem regno egressi Reges ac Principes potissima Majestatis parte, potestate videlicet circa sacra, potiuntur, ab præcipuo suo munere absque impedimento fungi possunt, cum ipsos in primis oporteat consulere ecclesiæ, & curare, ut errores tollantur, & conscientiæ sanentur, Antichristus vero sibi soli omnem in rebus sacris authoritatem arroget ac sumat. Confer. *Protestantes* l. c. Quin ab eodem illo regno se segregantes Reges ac Principes suam firmant majestatem, seu eam imperandi potestatem, cujus actus alii homini ita non subsunt, ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi queant. Antichristus enim super omnes Reges ac Principes se extollit, & in regnis terrenis etiam se DEI vicem gerere, regnorumque claves & potestatem, qua Imperatores Regesque deponere, regna transferre & mutare possit, sibi divinitus datam esse jactitat, eaque potestate commentitia, quam nullo jure sibi sumpsit, abusus Cæsares, Regesque & Principes optimos de throno dejicere, imperia, regna, & principa-

cipatus ad alios transferre, ac subditos a juramento fidelitatis absolvere plus simplici vice impie ausus est. Annon autem pium & justum est, omnipotens Numen ob ineffabile collatum beneficium, instituto Jubilæo festo, publice solenniterque venerari?

§. 2. Recte ac pie agunt Protestantes Romani Imperii Proceres, quando in eadem solenni festivitate sacris contexendis sermonibus ea sacrarum literarum oracula, quæ de futuro Antichristo loquuntur, deligunt, & ad Romanos Pontifices accommodari jubent. Deus enim non vult, ut perpetuo clausæ atque obsignatæ sint prædictiones de futuro Antichristo, sed potius, ut accedente complemento recluderentur & resignarentur. Et dum glorioſissimi Proceres id faciunt, alios certe regno Papæ addictos erroris monent, iisque viam ad veritatem & libertatem comiter monstrant.

§. 3. Aliam præterea causam suppetere, cur Protestantes nunc quoque, Jubilæo solenniter celebrato, ecclesiæ Reformationem Lutheri opera peractam deprædicent, in præfatione, Tenzelianæ de Reformationis initio & progressu primo Historiæ præmissa, exquisite commonstrat Summe reverendus Dn. D. *Ernestus Salomon Cyprianus*, Consiliarius Consistorialis & Ecclesiasticus Saxo-Gothanus excellentissimus, quem tantum evasurum Theologum facile præsagiebam, cum is aliquot ab hinc lustris Jenæ in conflictibus publicis me præside iteratis vicibus, ac speciatim de immen-

mensitate, & hinc manante omnipræsentia DEI contra *Stephanum Curcellæum*, & de Æternitate DEI adversus *Simonem Episcopium* expedite ac eruditissime dissereret. Is quippe ex ipsis Catholicorum Principum Doctorumque querelis ac suffragiis liquidissime doctissimeque ostendit, Romanam ecclesiam Lutheri ævo quoad doctrinam, mores, cultus, ceremonias, regimen & episcoporum munus plane fuisse deformatam, atque idcirco intima gravissimaque emendatione opus habuisse. Perhibet insuper, quo ritu quibusve solennitatibus festum Jubilæum Evangelicum Elector toga æque ac armis maximus, *JOHANNES GEORGIUS* I. piissimus fortissimusque religionis Defensor, elapso ab hinc seculo celebrari jusserit.

§. 4. Minime vero instantem Protestantium Jubilæam festivitatem turbare possunt aut debent dicteria illa, quibus hodie Jesuita Pragensis, *Johannes Crausius*, in variis hinc inde divulgatis schedis Germanicis B. *Lutheri* vitam, mores, studia & ex hac vita discessum insectatur. Nihil enim aliud, quam veterum calumniatorum, *Cochlæi* inprimis, *Bellarmini*, *Bozii*, *Cornelii a Lapide*, mendacissimæ fabulæ ac dirissimum virus nunc in Virum optimum a *Crausio* evomuntur, ut, qui illos confutatos legit, hunc quoque convictum calumniarum videat. Vindicavimus olim incomparabilem Doctorem ab immani illa calumniantium rabie, tum in nostra de *Summis Theologis multiplici calumnia appetitis* dissertatione, tum in duabus aliis exercitationibus, quarum una de

Argu-

Augustanæ Confessionis nomine & causis, altera de *Augustanæ Confessionis autoritate* exponit. Fœdissimum certe contra omnem rerum gestarum seriem fidemque historicam commissum flagitium est, quo cavillatur Jesuita, Lutherum desperatione & furiis actum sibi injecto laqueo necem intulisse, ejusque cadaver tam tetrum exhalasse foetorem, ut nemo ferre illum potuerit, sed, qui corpori isti Wittebergam deferendo præpositi erant, id in itinere relinquere coacti fuerint. Cum igitur scripta mea nunc commemorata illum turbæ maleferiatæ furorem olim represserint, in præsenti nemo saltem, ad id, ut Viro alicui (Luthero) tot prodigiosos errores, tot enormia imputes vitia, nihil opus esse Theologo, cum idem possit scurra quilibet.

LOCUS XVI.

DE

MINISTERIO ECCLESIASTICO.

Thes. I.

THeologico de Ecclesia Loco proxime subjungimus Locum de *Ministerio Ecclesiastico*, quia ad Ecclesiæ collectionem & conservationem necesse est, quosdam homines

mines fungi officio prædicandi Verbum, & Sacramenta administrandi. Atque hoc officium juxto ductum Scripturæ Sacræ *Ministerium Ecclesiasticum* appellari consuevit.

§. 1. Quod ad ecclesiæ collectionem & conservationem necesse sit, viros quosdam munus docendi Verbum & porrigendi Sacramenta gerere, facile liquet. Ecclesia enim per hoc colligitur & conservatur; quod pluribus simul hominibus per fides efficienter confertur, & in pluribus conservatur, fides vero per Verbum prædicatum & administratum baptismum producitur, itemque per idem illud Verbum, & Sacræ Cœnæ administratæ beneficio custoditur.

§. 2. Duce autem Scriptura Sacra officium Verbi prædicandi & administrandorum Sacramentorum vocamus *Ministerium*, dum non modo Apostolatus officium *Act.* I. 17. Cap. VI. 4. XX. 19. *Rom.* XI. 13. II. *Cor.* III. 8. 9. διακονία (h. e. ministerium) nominatur, verum etiam Paulus I. *Cor.* IV. 1. se atque alios *ministros Christi*, & *Dispensatores Mysteriorum DEI* appellitat.

Thes. II.

Ministerii ecclesiastici cum abstractive, tum concretive considerati causa efficiens est DEUS.

§. 1. Ministerium ecclesiasticum abstractive consideratur, quando munus prædicandi Ver-

Verbum, & Sacramenta administrandi spectatur præcise & in se, non habito respectu ad hunc vel illum in individuo hominem, cui commissum est: Concretive autem spectatur, quando officium docendi Verbum & Sacramenta porrigendi consideratur, ut est his vel illis in individuo personis delegatum.

§. 2. Ministerii ecclesiastici *abstractive* considerati causam efficientem Deum esse, exinde patet, quod Deus solus sit autor gratiæ & mediorum gratiæ, atque per ministerium ecclesiasticum media gratiæ hominibus applicentur, is autem, qui gratiæ ac mediorum gratiæ autor est, officium illud, per quod media gratiæ hominibus applicantur, sanciat.

§. 3. Sic & ministerii ecclesiastici concretive spectati causam efficientem DEUM esse, Paulus edocet, quando non solum *Gal.* I. 1. DEO Patri & JEsu Christo suam tribuit vocationem, sed & *Act.* XX. 28. testatur, *Spiritum Sanctum constituere Episcopos ad pascendam Ecclesiam DEI.*

Th. III.

Dum hodie DEUS mediate & per Ecclesiam vocat, Ecclesia quidem vocationis Ministrorum causa efficiens dici potest, sed non alia, quam minus principalis, seu causa, quæ agit dependenter ab autoritate alterius.

Ecclesia enim non sua autoritate, sed de-

pendenter ab autoritate Christi vocat. Hinc & formula illa: *In nomine S. S. Trinitatis*, inseri literis vocatoriis solet.

Thes. IV.

Quando autem Ecclesia Ministrum vocat seu constituit, tres exercet actus: 1. *Electionem*, 2. *Ordinationem*, 3. *Vocationem* specialiter & stricte sic dictam.

§. 1. Electio involvit tum judicium de dignitate personæ ad ministerium sacrum admovendæ, tum personæ illius ad ministerium designationem. Quando vero de personæ ad munus sacrum provehendæ dignitate judicatur, tunc non tantum de vita & moribus, verum etiam de eruditione, doctrinæ sinceritate, donisque externis ad implendas muneris partes necessariis judicium fertur. Atque hujus judicii maxima & potissima pars declaratur *Act.* VI. 3. ubi Apostoli discipulorum seu fidelium multitudinem sic alloquuntur: *Circumspicite, fratres, viros ex vobis, spectatæ probitatis, plenos spiritu sancto & sapientia, quibus delegabimus hoc negotii.* Cæterum mores ad episcopum (imo quemcunque ecclesiæ doctorem) requisitos, atque in ejusdem electione observandos Paulus I. *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 6. copiosius describit. Videlicet generatim hic exigit Apostolus, I. *Tim.* III. 2. *Tit.* I. 7. ut sit ἀνεπίλημπτος, seu ἀνέγκλητος h. e. *irreprehensibilis*, non quod debeat esse absque calumnia, nec unquam

quam accusari, sed (ut fere interpretatur *Theophylactus*) quod ipsum ita vivere deceat, ne vel ulla commissi criminis conscientia remordeatur, nec ullius peccati atrocis aut scandali, quod muneris nitorem ac lumen macula quadam fœdet, accusari jure convincique queat. Nam contra viperæ morsum nullam medicinam esse, &, qui rectissime vivunt, calumniantium rabiem effugere non posse, exemplo liquet vetustissimorum præsulum, & Lutheri optimi, qui, etsi incredibili innocentia morum & sanctimonia excelluerint, a Satana tamen, ejusque ferocissimis satellitibus horrendo spurcissimarum calumniarum cumulo fuerunt impetiti. Quod argumentum pertractatum vide in publico nostro *de Theologis summis multiplici calumnia appetitis* programmate, quo publicas prælectiones contra Pontificiam sectam adornandas anno 1700. in academia Jenensi intimavimus. Speciatim vero ingentem virtutum apparatum, qui ad recte se erga DEUM, se ipsum, & alios gerendum dirigat, in presbytero deposcit Apostolus. Nimirum *Tit.* I, 8. respectu DEI episcopus debet esse ὅσιον i. e. *pius* & *sanctus* (seu talis, qui religionis amore sit imbutus, seque Numinis reverentia duci verbis factisque ostendat) Respectu sui ipsius sit σώφρων h. e. *sobrius* (Tit. I. 8.) ἐγκρατὴς i. e. *continens* & *castus* (ibid.) κόσμιον h. e. corporis ornatu, incessu & habitu decoro, ex quo ipsius animi moderatio & temperantia elucescat, conspicuus, neutiquam ficto quodam supercilio tetricus (I. *Tim.* III. 2.) Respectu suo-

rum sit bonus Paterfamilias, qui suæ domui cum laude præsit (I. *Tim.* III. 2.) Adversus alios sit μὴ αὐθάδης (*Tit.* I. 7.) h. e. sibi non adeo arroganter & pertinaciter placens, ut suo tantum nitatur judicio, cujuscunque suæ opinionis tenax sit, aliosque insolentia elatus contemnat, nec, sicubi erraverit, monentes exaudiat. Nec non ecclesiæ, cujus præsidet gubernaculis, respectu episcopus sit νηφάλιος h. e. *vigilans* (I. *Tim.* III. 2.) seu tam perspicax & circum spectus, ut in omnia sit intentus, populumque, quem impostor obrepens corruptelarum illecebris irretire cupit, mature moneat, ne ecclesia sibi commissa ex hæreticorum aut novatorum insidiis, pravorumque doctorum sermonibus quicquam capiat detrimenti.

§. 2. *Ordinatio* nihil aliud est, quam personæ electæ solennis, & per certos ritus ad officium sacrum facta inauguratio. Qui ritus rectissime juxta morem apostolicum (*Act.* VI. 6. I. *Tim.* IV. 14. Cap. V. 22. commemoratum) in precibus manuumque impositione constituuntur. Plurium enim ceremoniarum & rituum observandorum, e. gr. tonsuræ, unctionis, & ut suffraganeus insufflet inordinatos, *Accipite*, ajens, *Spiritum Sanctum*, (de quibus ceremoniis *Concil. Trid.* Sess. XXIII. Cap. IV. & Can. VII. nec non *Catech. Trid.* Cap. III. & IV. videatur) necessitas pro superstitione habenda est, atque damnanda, Confer. *Artic. Smalcald.* de Jurisd. Episc. §. *postremo* pag. 353.

§. 3. *Vocatio* specialiter & stricte sic dicta importat præcise actualem functionis sacræ de-

man-

mandationem, seu actum, quo personæ electæ potestas ad Verbum DEI in conventibus publicis docendum, & Sacramenta administranda reapse confertur. Cæterum vocatio ad ministerium ecclesiasticum in generatori & ampliori significatu accepta, electionem juxta & ordinationem, atq; vocationem specialiter sic dictam (seu potestatis docendi & sacramenta porrigendi concessionem) importat. Hinc si in ministri alicujus constitutione actuum illorum aliquis defuerit, ut vel non sit rite designatus, vel non sit rite ordinatus, vel potestas docendi non ab iis concessa sit, a quibus debebat concedi, dicatur vocatio non esse legitima.

§. 4. Quod ad *electionem* attinet, Ecclesia tota de doctrinæ puritate & eruditione personæ eligendæ judicat per ordinem ecclesiasticum, quem ex usu loquendi ecclesiastico *Clerum* vulgo appellitant. Hinc enim de eruditione in Ministro ecclesiæ requisita optime judicare potest. Illud vero judicium ut rectius feratur, personæ ad ministerium sacrum admovendæ, si ejus eruditio & doctrina sincera ante non cognita satis, & perspecta sit, examen per eundem illum ordinem instituitur. Quanquam & per Consistoria, aut si plures Ministri hujus vel illius ecclesiæ non sint, vel aliis ex causis per Collegia Theologica in academiis, aut per Collegia ministrorum alterius ecclesiæ examen illud peragi, judiciumque formari possit.

§. 5 Ad judicium, audita concione δοκιμαστικὴ de personæ sacro ministerio admovendæ donis externis & vita ante acta ferendum, admit-

titur etiam ordo secularis seu politicus, h. e. auditorum cœtus, suo ambitu Magistratum & populum complectens. Eorum enim, qui ad officii sacrum adspirant, mores & actiones aliquanumdo magis innotuerunt populo, quam personis ecclesiasticis.

§. 6. Protestantium, cumprimis vero Saxonicæ, ecclesiæ in ministrorum sacrorum constitutione, iisque actibus, quos vocatio Ministrorum ecclesiæ latius sumta includit, exercendis de jure positivo & humano talem ordinem communiter & ut plurimum servant: Primo persona, sacro muneri admovenda, a Patrono Ecclesiæ (h. e. eo, qui aliquando fundavit aut dotavit Ecclesiam, vel successore ejus) *nominatur* & *præsentatur*; secundo ab episcopo, vel eo, penes quem sunt episcopalia jura, per Consistorium aut Collegium aliquod Theologicum examinatur; tertio si habita fuerit digna, toti Ecclesiæ sistitur, ut publice audiatur; quarto, si totus auditorum cœtus, audita concione ista δοκιμαστικῇ, dona externa & vitam ante actam adprobet, ab ecclesia, vel a Patrono Ecclesiæ cum consensu ejus *vocatur* (vocatione specialiter sic dicta;) tandem ab Episcopo, vel jussu ejus, penes quem jura episcopalia residunt, *ordinatur* & *confirmatur*. Vid. *B. Bajeri* Compend. Theol. Posit. Part. III. cap. XIV. §. VI. not (k.)

Thes. V.

Utut autem *ordinatio* ex divino præcepto ad constitutionem Ministri Ecclesiæ necessaria sit, non tamen absolute & in omni casu necessaria est.

§. 1. Or-

§. 1. Ordinationem quatenus publicam idoneitatis personæ denominatæ declarationem, a negotiis seculis separationem & apud DEUM & coram ecclesia commendationem importat, ad constitutionem ministri Ecclesiæ ex præcepto divino necessariam esse, duplici potissimum argumento liquet. Quippe (α.) Spiritus Sanctus *Act.* XIII. 2. diserte sic præcipit; *Separate mihi hos ad ministerium.* (β) Paulus etsi ab Anania *Act.* IX. 17. ex præcepto divino jam fuisset ordinatus, & Apostolatus munere exinde inter Græcos & gentiles perfunctus esset, tamen, cum novas dioeceses obire vellet, denuo accepit manuum impositionem *Act.* XIII. 3. quam non fuisset accepturus, si ex divino jure necessaria non esset.

§. 2. Ordinationem vero absolute necessariam non esse, vel inde constat, quod eo tempore; quo obsidionis aut pestis metu ordinatio fieri nequit, legitime vocatus fungi queat ministerio. Vid. *Scherz.* System. Loc. XXV. §. 13. Conf. ex JCtis *Linckius* in Tract. de Jur. episc. p. 204.

Thes. VI.

Neque vero ordinatio peragenda est necessario ab episcopo, qui presbyteris sit superior, sed perinde est, episcopus ne sit presbyteris superior, an presbyter alius, qui ritum ordinationis exequitur; atque adeo ordinatio a presbytero seu pastore facta jure divino rata est. Vid. *Artic. Smalcald.* in

Tr. de potest. & jurisd. Episc. p. m. 352. *D. Hildebrandi* Discuss. Hæres. Aerii §. XIII. sq. ad XVIII. *Davidis Blondelli* Apologia pro sententia Hieronymi de Episc. & Presbyt.

§. I. Nullum enim discrimen inter Episcopum & Presbyterum de jure divino intercedit. Namque (1.) *Act.* XX. non solum iidem urbis Ephesinæ *presbyteri*, quos Paulus alloqui cœperat, in eodem sermone *episcopi* vocantur, ubi ait Apostolus: *Attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus Sanctus vos posuit episcopos*; verum etiam plures episcopi in una urbe Ephesina constituti memorantur. Quod posterius sectæ pontificiæ eo adversatur, quod ipsa plures in una urbe episcopos presbyteris contra-distinctos reperiri neget. (2.) Ipsum jus Canonicum docet passim, de divina constitutione seu de jure divino nullum esse discrimen inter Episcopum & presbyterum. Primo enim, quando c. 4. *Nullus* Dist. LX. tradit, duos saltem ordines sacros, diaconatum nempe & presbyteratum, primitivam ecclesiam habuisse, hoc ipso episcopos sub presbyteris comprehendit, quia jam in primitiva ecclesia episcopi floruere. Secundo idem illud jus S. *Hieronymi* verba, quæ Episcopum & Presbyterum de jure divino haud differre docent, passim inserit, & ut canones (quos *Pontificii* omnino pro veris & rectis habent) proponit. Quippe c. *Legimus* Dist. XCIII. ex Hieronymo hæc habentur verba: *Audio quendam in tantam erupisse vecor-*

vecordiam, *ut Diaconos Presbyteris, ID EST, Episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat, EOSDEM esse Presbyteros, quos Episcopos, quid patitur mensarum & viduarum minister, ut supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguinisque conficitur? Quæris auctoritatem? Audi testimonium:* Paulus & Timotheus servi Christi Jesu omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis cum Episcopis & Diaconis. *Vis & aliud exemplum? In Actibus Apostolorum ad unius ecclesiæ Sacerdotes ita Paulus loquitur:* Attendite vobis & cuncto gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, ut regeretis ecclesiam Domini, quam acquisivit sanguine suo. *Ac ne quis contentiose in una ecclesia plures Episcopos fuisse contendat, audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur, EUNDEM esse EPISCOPUM atque PRESBYTERUM:* Propter hoc reliqui te in Creta, ut, quæ deerant, corrigeres, & constitueres Presbyteros per civitates, sicut & ego tibi mandavi. Si quis est sine crimine, unius uxoris vir, filios habeat fideles, non in accusatione luxuriæ aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse quasi DEI dispensatorem. *Et ad Timotheum:* Noli negligere gratiam, quæ tibi data est per prophetiam, per impositionem manuum presbyteri. *Sed & Petrus in prima epistola* Presbyteros, *inquit*, in vobis precor compresbyter, & testis passionum Christi, & futuræ gloriæ, quæ revelanda est, particeps, regite gregem Christi, & inspicite non ex necessitate, sed

voluntarie juxta Deum. *Quod quidem græce significantius dicitur* ἐπισκοπέοντες, *id est, superintendentes: unde & nomen Episcopi tractum est* &c. *Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ a Marco Evangelista usque ad Heraclam & Dionysium Episcopos, Presbyteri semper unum ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, Episcopum nominabant.* Porro C. *olim* Dist. XCV. hæcce verba inveniuntur: *Olim idem erat Presbyter, qui & Episcopus. Et antequam Diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis* (*Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*) *communi Presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero unusquisque eos, quos baptizaverat, suos putabat esse, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de Presbyteris electus superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatum semina tollerentur. Sicut ergo Presbyteri sciunt, se ex ecclesiæ CONSVETVDINE ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subjectos, ita Episcopi noverint, se magis CONSVETVDINE, quam DISPENSATIONIS DOMINICÆ VERITATE Presbyteris esse majores, & in commune debere ecclesiam regere.* Sic & C. *Ecce Ego* eod. Dist. hæcce effata traduntur: *Presbyteri ab initio, ut legimus, negotiorum judices esse mandati sunt, Presbyteri interesse sacerdotum concilio: quoniam & ipsi Presbyteri, ut legimus, Episcopi nuncupantur, secundum quod scriptum est ad*

Epi-

Episcopum. Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyteri; *& alibi ad majores natu:* Qui vos posuit Episcopos regere ecclesiam DEI.

§. 2. Thesis nostra, & quæ ad demonstrandam eam huc usque differuimus, *Pontificiis* prorsus adversantur. Illi enim magnopere contendunt, Hierarchiam ecclesiasticam divina ordinatione institutam ita constare ex episcopis, Presbyteris & ministris, ut episcopi jure divino (seu ex vi divinæ ordinationis) sint presbyteris superiores, quippe qui in Apostolorum locum successerint, positi a Spiritu Sancto, ut regerent Ecclesiam DEI, ideoque ad Hierarchicum illum ordinem præcipue pertineant, ac multa peragere possint, quarum functionum potestatem reliqui inferioris ordinis ministri nullam habeant. Vid. *Concil. Trid.* Sess. XXIII. Cap. IV. & Can. VI. & VII. ubi illud episcoporum a presbyteris discrimen sub pœna anathematis sancitur. Hinc porro statuunt *Pontificii*, ordinationem ministrorum ecclesiæ necessario administrandam esse ab episcopo presbyteris superiore: Feriunt quippe in *Concil. Trid.* Sess. XXIII. Cap. IV. & Can. VII. anathemate eum, qui dixerit, *potestatem ordinandi esse Episcopis cum Presbyteris communem.*

Th. VII.

Multo minus urget necessitas, ut ordinatio peragatur præcise ab episcopo *Pontifico*, qui presbyteris superior sit.

Præ-

Præterquam enim, quod episcopus & presbyter stylo Scripturæ idem sint, negamus quoque, ministros ecclesiæ dependenter a Papa constituendos esse: Romanus enim Pontifex non est caput ecclesiæ universalis, seu ipsi potestas in universam ecclesiam haud competit.

Th. VIII.

Negamus porro, episcopum ipsum ab aliis tribus episcopis, qui presbyteris contradistincti sint, necessario velut ex vi traditionis Apostolicæ ordinandum esse.

§. 1. Namque (1) Episcopus & presbyter ex vi divinæ ordinationis non differunt. (2) Traditio ista Apostolica vere non datur.

§. 2. Errant igitur *Pontificii*, qui Episcopum docent ordinari debere ab episcopis aliis tribus, velut ex vi traditionis Apostolicæ. Vid. *Catech. Trident.* de sacram. ordin. cap. V.

Th. IX.

Ipsum vero jus ministros ecclesiæ vocandi (vocatione latius accepta) per se residet penes ecclesiam plantatam totam, ut tribus Statibus, Ecclesiastico nimirum, Politico & oeconomico, constantem, in qua ministri constituendi sunt; adeoque nulla juris illius pars uni alicui ordini aut membro convenit, nisi ex communi omnium con-

consensu ad illud translata sit. Atque illud jus etiam in ecclesias injuste excommunicatas per se competit.

§. 1. Jus vocandi (vocatione latius sumta) est totum aliquod potestativum, h.e. σύλληψις plurium facultatum ac jurium, per quæ Ecclesia, aut aliquis ejus ordo, vel membrum aliquod in constituendis sacris ministris agit. Complectitur enim suo ambitu jus eligendi, jus ordinandi, jus vocandi vocatione specialiter & stricte dicta &c. Quæ jura, æque ut jura majestatica, ita divisibilia sunt, ut uni alicui ordini aut membro ex communi ecclesiæ consensu jus eligendi, alteri jus vocandi vocatione specialiter sic dicta, conferri queat.

§. 2. Thesis autem loquitur studio singulari de eccclesia *plantata*, quando ecclesiæ jus vocandi ministros per se competere asserit. Concedimus enim, ecclesiæ alicujus plantandæ ministros non a tota illa ecclesia plantanda, (quippe quæ nondum sub forma ecclesiæ, ordinem ecclesiasticum & secularem includentis, extitit,) sed vel ab Apostolis, vel ipsorum cooperariis, vel episcopis, quos Apostoli ad populum absentem & infidelem miserant, constitutos fuisse. Quanquam Apostoli, eorumque cooperarii, quando per ecclesias presbyteros constituebant, populum fidelem ab illa constitutione non excluderent, sed id facerent χειροτονήσαντες, h. e. ita, ut (fidelium) suffragia colligerent, *Act.* XIV, 23. Quippe

τὸ

τὸ χειροτονεῖν, quod proprie idem est, quod manum extendere, atque alias idem notat, ac manu extensa quærere vel interrogare, h. l. sumitur pro eo, quod est suffragia colligere: Suffragia enim manu protensa solebant quæri, & sic colligi.

§. 3. Thesis nostra, quatenus ecclesiæ toti jus vocandi ministros ecclesiæ per se convenire docet, variis comprobari solet rationibus. Scilicet (α) sic argumentamur: *Si toti ecclesiæ per se competit potestas clavium, sequitur, quod etiam per se toti ecclesiæ jus ministros ecclesiæ vocandi & constituendi conveniat.* Consequentia valde manifesta est. Cum enim tota ecclesia potestatem clavium per se exercere non possit, ipsam exercet per certos ministros: Quicunque vero potestatem aliquam recte per alios exercet, is quoque jure pollet illos ad hoc exercitium vocandi & constituendi. Antecedens vero argumenti ex *Matth.* XIIX, 17. 18. patescit. Christus enim ibi de illo, qui in fratrem suum peccavit, & ab eo tum solo, tum in præsentia unius aut duorum testium monitus fuit, dissereus, postquam v. 17. dixisset: *Quod si neglexerit eos* (testes scil. adhibitos) *audire dic Ecclesiæ; quod si Ecclesiam audire neglexerit, sit tibi velut ethnicus & publicanus*; v. 18. rationem statim subjungit, cur tanti Ecclesiæ judicium faciendum sit, eamque petit a potestate clavium, quam habeat Ecclesia, quæque tanta sit, ut, si Ecclesia per Ministros suos, vel, quod idem est, hi nomine & autoritate Ecclesiæ impœnitentis peccatum clave ligante in terra ligaverint, aut retinue-

nuerint, idem etiam ligatum aut retentum sit in cœlo, & si poenitentis peccatum clave solvente solverint aut remiserint in terra, idem solutum aut remissum sit in cœlo: Ait quippe v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque ligaveritis in terra, erunt ligata in cœlo, & quæcunque solveritis in terra, erunt soluta in* cœlo. Hinc *Protestantes* in suo de *potestate & primatu Papæ* Tractatu, articulis Smalcaldicis subjuncto, p. 345. præclare inquiunt: *Necesse est itaque fateri, quod claves non ad personam unius certi hominis, sed ad Ecclesiam (per se) pertineant, ut multa clarissima & firmissima argumenta testantur. Nam Christus de clavibus dicens Matth. 18. addit: Vbicunque duo vel tres consenserint super terram &c. Tribuit igitur PRINCIPALITER claves Ecclesiæ & IMMEDIATE: Sicut & ob eam causam Ecclesiæ PRINCIPALITER habet jus vocationis.* (β) Concludimus hoc modo: *Si ecclesia est quædam respublica, Verbique ministri sunt quasi magistratus, sequitur, quod potestas ministros ecclesiæ constituendi per se toti ecclesiæ competat.* Reipublicæ enim perse & sua natura jus constituendi magistratum competit. (γ) Tale nectimus argumentum: *Si in primitiva ecclesia a constitutione ministrorum sacrorum populus excluſus non fuit, sequitur, quod nec hodie a constitutione ministrorum illorum excludendus sit populus, atque adeo jus constituendi ecclesiæ ministros non apud solum ordinem ecclesiasticum, sed penes totam ecclesiam per se resideat.* Consequentia ex eo patet, quod ecclesiæ hodiernæ idem jus competa-

petat, quo primitiva polluit. Antecedens comprobatur cumprimis ex *Act.* VI, 5. ubi Diaconi a tota, quæ tunc erat, ecclesia electi & vocati fuisse perhibentur. Minime vero hanc antecedentis nostri probationem convelles, si regesseris forte, per ministros ecclesiæ intelligi eos, qui Verbum in publicis conventibus prædicandi & Sacramenta administrandi officio funguntur, diaconorum vero munus fuisse mensis ministrare, i. e. in bonorum communione fidelibus de necessaria sustentatione prospicere. Munus enim diaconorum non fuit positum in sola cura fisci Ecclesiæ, aut in sola provisione de sustentatione fidelium in bonorum Communione, sed importavit etiam officium docendi alios. Nam (1) juxta *Act.* VI, 3. ad Diaconorum munus provehendi erant non nisi Viri *pleni spiritu & sapientia* (seu solida doctrinæ divinæ cognitione): Ast hæc cognitio ad provisionem illam necessaria non erat, sed ad officium docendi alios requirebatur. (2) Exempla suppetunt Diaconorum, qui non tantum curam gessere fisci ecclesiastici, verum etiam publice docuerunt. Stephanus certe *Act.* VI, 10. docuit, atque evangelicam doctrinam tam præclare asseruit, ut antagonistæ sapientiæ & spiritui ejus resistere haud valerent. Sic & Diaconus *Philippus* Act. XXI, 8. Evangelista dicitur: atqui Evangelistæ suam sortiti erant appellationem ab officio prædicati Evangelii.

§. 4. Thesis nostra, quatenus jus vocandi ministros ecclesiæ etiam in ecclesias injuste excom-

communicatas competere docet, ex eo luculente comprobatur, quod Ecclesia per excommunicationem injustam jura ecclesiæ non amittat, spectet vero ad jura ecclesiæ potestas seu jus constituendi vocandique ministros ecclesiæ.

§. 5. Prius theseos nostræ membrum, quod *jus ministros sacros vocandi toti ecclesiæ per se convenire* asserit, oppositum *Pontificiis*, quippe qui contendunt, *jus & potestatem constituendi ministros Ecclesiæ de jure divino esse penes solum Clerum; dependenter tamen a Pontifice, ita ut v. gr. penes Cardinales sit, eligere Episcopum, penes Episcopum, aut vicarium ejus sit, eligere sacerdotes & parochos; penes eosdem & cumprimis penes Pontificem sit mittere personam electam.* Vid. *Becanus* in *Theol. Schol.* Tract. de Sacram. cap. XXVI. Q. v. 4. seqq. & in *Manual.* Lib. I. cap. XII. n. 26. seqq. Quæ sententia non tantum ex eo refellitur, quod (uti in præcedentibus ostensum est) potestas constituendi ministros ecclesiæ per se, suaque natura & jure divino penes totam ecclesiam resideat, sed & ea confutatur ratione, quod, quia unum aliquod caput ecclesiæ universæ agnoscendum non est, ministri Ecclesiæ dependenter a tali capite constituendi non sint. Nec vero difficile adeo est solvere ea argumenta, quæ ad constabiliendam suam opinionem comminiscuntur *Pontificii*. Aut enim urgent exempla ministrorum, qui vocati sunt a DEO vocatione immediata, aut proferunt exempla ministrorum ecclesiæ plantandæ: Ast vero quæstio est h. l. de ministrorum Ecclesiæ

plantatæ vocatione mediata, atque de eo, cui vocatio illa competat, disputatur.

Th. X.

Quod si igitur (1) necesse non est, ut Ministri ecclesiæ ordinentur ab episcopis, qui presbyteris contradistincti sint, & quidem a Pontificiis episcopis, (2) ad ordinationem sufficit moris Apostolici simplicitas, in manuum impositione junctisque precibus consistens, (3) tota ecclesia per se habet jus vocandi, sane ecclesiarum nostrarum ministri legitime constituti & vocati sunt, atque adeo ut Verbi Divini præcones, qui potestatem docendi Verbum, absolvendi confitentes, & administrandi Sacramenta per vocationem legitimam habeant, agnosci debent.

Pontificii enim ex iis potissimum rationibus legitimam ministrorum nostrorum vocationem negant, quod illi non sint ordinati ac missi ab episcopis, qui presbyteris contradistincti sint, & quidem ab episcopis Romano Pontifici addictis, nec ordinationem sub iis ceremoniis, quas canones sanciunt, susceperint,

Th. XI.

Vnde & (quia scilicet nostrarum ecclesiarum ministri per vocationem legitimam habent potestatem docendi Verbum, absol-

ven-

vendi confitentes, & administrandi Sacramenta,) ecclesiastici actus ministrorum nostrarum ecclesiarum, e. gr. absolutio & consecratio eucharistica &c. ex auctoritate & virtute Christi efficaces sunt.

§. 1. Videantur hic omnino *B. Georgii Nigrini* scripta von ordentlicher Wahl und Beruff der Kirchendiener / *B. Alberti Graueri* Prælect. in Aug. Confess Art. V. Qu. I. *B. Georgii Könnigii* Cas. Consc. de statu Eccles. Cas. VI. *B. Joh. Ben. Carpzovii* Luthers unverfälschter Löse-Schlüssel §. 47. seqq.

§. 2. Adversantur hic nobis per omnia *Pontificii*, quippe qui docent, aliarum ecclesiarum ministros, ac speciatim Lutheranos, cum a Pontificiis episcopis non sint ordinati & missi, non esse legitime vocatos Pastores, nec habere potestatem absolvendi confitentes, & administrandi Sacramenta, atque adeo actus eorum ecclesiasticos inefficaces & nullos esse, cum proveniant ab illis, qui potestate talismodi actus exercendi carent. Vid. *Concil. Trid.* Sess. XXIII. de Sacr. ord Cap. IV. & Can. VIII. Conf. *Jodoi Keddii* Warnung wider den Betrug der Neu-Evangelischen Lehrer; it. Ostergab, & Prædicanten-Betrug.

Thes. XII.

Speciatim B. Lutheri vocatio cum ad ministerium in ecclesia obeundum, tum ad reformationem ecclesiæ (seu refutationem

errorum & abusuum, quos publice vigentes deprehenderat) licet absolute non fuerit immediata, divina tamen & legitima fuit.

§. 1. Lutherum ipsum vocationem suam haud venditasse pro immediata vocatione, liquet inprimis ex *Tom. II. Jen. Germ.* f. 452. ubi is ait: *Nunquam prædicari, nec prædicare volui, nisi quando ab hominibus vocatus fui: Neque enim gloriari possumus, quod Deus immediate de Cœlo me miserit.* Minime vero Lutherus ut *Pontificii* hic objiciunt) aliquando in epistola quadam ad Fridericum Saxoniæ Electorem exarata vocationem immediatam jactitavit. Nihil enim aliud in literis illis asseruit, quam doctrinam suam immediate a Deo in Scriptura Sacra revelatam esse. Inde vero non sequitur, Lutherum de immediata vocatione gloriatum esse: Nam hodei etiam sinceri Ecclesiæ ministri doctrinam a Deo immediate in Scriptura revelatam prædicant, licet eorum vocatio non sit immediata.

§. 2. Quamvis vero Lutheri Vocatio immediata non fuerit, is tamen ad Doctores immediate vocatos quoad dona singularia & extraordinaria divinitus sibi collata proxime accessit. Animus enim plane heroicus, nullisque periculis territus, singularis in interpretanda Scriptura Sacra dexteritas, incomparabilis in oppugnando Antichristi regno fortitudo, maximorum operum in ecclesia incredibiles successus, vaticinia de rebus futuris edita, quibus sæpius respondit eventus,

tus, supra communem reliquorum Ecclesiæ ministrorum sortem evexerunt.

§. 3. Cæterum mediate ac legitime ad ministerium in ecclesia obeundum vocatum fuisse Lutherum, ex eo manifestum est, quod autoritate Ecclesiæ ad ministerium vocatus, eademque autoritate presbyter ordinatus sit.

§. 4. Atque ad reformationem ecclesiæ legitime vocatus fuit, tum quando ad munus in ecclesia obeundum requirebatur, tum ubi ad professionem Theologicam Wittebergam accersebatur, ac postea Theologiæ Doctor renunciabatur. Potestas enim ministerium ecclesiasticum administrandi, quam per vocationem accepit, suapte natura importat potestatem corruptelas sparsas impugnandi, & contradicentibus os obstruendi. Sic & potestas docendi Verbum DEI, quam per vocationem ad professionem Theologicam, & per promotionem in Doctorem Theologiæ nactus erat, per essentiam erat potestas errores Verbo DEI adversantes refutandi. Vid. hic omnino *B. Joh. Gerhardi* Disputatio secularis de vocatione Lutheri ann. 1617. habita, quam Tomo VI. LL. Art. XXVI. Sect. VIII. §. 118. seqq. inseruit. Confer. *B. Nicolai Hunnii* libellus sub titulo: offenbahrlicher Beweiß, editus, nec non *B. Joh. Mülleri* Defens. Lutheri cap. II. & III.

§. 5. Legitima vero Lutheri ad ministerium ecclesiasticum vocatio minime evertitur, si objicias (1.) Lutherum vocatum fuisse nomine Ecclesiæ Pontificiæ, (2.) vocatum esse ad docendum

Verbum, prout in ecclesia papali illud fuit prædicatum, non autem prout ipse postmodum id prædicavit, (3.) ordinatum fuisse ordinatione papistica, in qua varii abusus deprehenduntur, Ecclesia enim Pontificia est etiam vera ecclesia Christi, adeoque potestatem divini Verbi ministros vocandi habet, non quatenus est Pontificia, sed quatenus vere credentium & sanctorum partem aliquam in se continet. Atque Lutherus, quando authoritate ecclesiæ ad ministerium in ecclesia obeundum vocabatur & ordinabatur, eam docendi Verbi potestatem accipiebat, qualem Ecclesia a Christo habet, Christus autem Ecclesiæ dedit potestatem Verbum DEI docendi pure, non vero cum coruptelis illis, quæ in Papatu admixtæ sunt. Neque vero varii illi, qui in ordinatione Papistica deprehenduntur abusus ipsam ordinationis substantiam tollunt, aut eam irritam reddunt.

Thes. XIII.

Contra vero non apparet, quomodo vocatio legitima episcoporum Pontificiorum, & ministrorum ecclesiæ Pontificiæ inferiorum probari possit stante ea hypothesi, quod episcopi & Pastores dependenter a visibili universæ ecclesiæ capite constituendi sint. Tale enim ecclesiæ caput non esse agnoscendum, in Loco de *Ecclesia* demonstratum dedimus. Vid. hic omnino B. Mu-

Musæi Tract. de Eccles. Disp. VII. §. XXXVIII. seqq.

Thes. XIV.

Cæterum omnibus iis, qui ordinarie in publicis ecclesiæ conventibus docere volunt, publica & solennis vocatio necessaria est (1.) propter ordinationem divinam Ebr. V. 4. Rom. X. 15. (2.) ordinis servandi causa, & ut omnia in Ecclesia fiant decenter, & ordine, I. Cor. XIV. 40. (3.) ut sint in ecclesia, qui ad curam animarum & ad publice statis temporibus docendum obligati sint, & ad quos omnibus, qui doctrina & solatio opus habent, recurrere liceat, quique potestate polleant remittendi & retinendi peccata, atque corripiendi & severe arguendi peccatores securos. Vid. omnino B. Joh. Musæus in Colleg. Anti-Socin. Disp. XIV. Qu. IV.

§. 1. Hinc sub initium statim Ecclesiæ Novi Testamenti, ipsisque Apostolorum temporibus, & inde ad nostra usque tempora docendi munus publicum certis quibusdam personis, mediante vocatione publica & solenni, delegatum fuit, ut ne quidem Diaconi officio fungi sine prævia istiusmodi vocatione liceret viris, quos Spiritu Sancto & Sapientia plenos esse constabat,

Act. VI. 3. Quo circa & ipsa *Augustana Confessio Art.* XIV. docet, quod *nemo debeat in Ecclesia publice docere, aut Sacramenta administrare, nisi rite sit vocatus.*

§. 2. Loquimur autem cum *Augustana Confessione* studio singulari de actu docendi in *publicis Ecclesiæ conventibus.* Privatim enim fideles se invicem docere, admonere, errantes in viam revocare, non solum licitum esse, sed & charitatis operibus recte accenseri, etiam B. *Joh. Musæus* l. c. ex *Col.* I. 18. *Jac.* V. 10. diserte docuit.

§. 3. Sic & non nisi de publico docendi actu, qui *ordinarie* exercetur, thesis nostra loquitur. Neque enim statuimus, publicam & solennem vocationem ita ad publice docendum necessariam esse, ut sine ea nemini & nunquam, nulloque in casu docere liceat, vel ut doctrina & prædicatio Verbi efficax esse non possit, nisi publice ac solenniter vocatus sit, qui docet ac prædicat Verbum. Namque in necessitatis casu, & ubi omnis alius minister solenniter vocatus deficit, Laicum aliquem doctiorem ex consensu reliquorum (& sic vocationem ALIQVAM nactum) vices ministri explere posse, B. *Bajerus* noster in *Collatione Doctrinæ Quakerorum & Protestantium*, Cap. XVIII. Anti thesi VII. observat. I, concedit. Neque vero efficacia Verbi dependet a vocatione docentis, sed a DEI gratia & concursu cum Verbo: Et adest gratia DEI Verbo ipsius, concurritque cum eo, sive legatur, sive prædicetur, publice

blice aut privatim, quisquis etiam sit, qui illud prædicat. Confer. *Mus.* l. c.

§. 4. Opposita est thesis nostra *Pepuzianis* veteribus, *Anabaptistis*, *Hobburgio*, *Socinianis & Quakeris*. Pepuziani quippe, ut *Danæus* ad August. de Hæres. cap. XXVII. p. m. 154. observat, præter *Priscam & Maximillam*, Montani scorta, pro prophetissis habitas, etiam *Quintillam* sociam docendi munus obeuntem affectati sunt, quasi videlicet mulieres *Episcopa* & *Presbytera* esse possent. Refert quoque B. *Martinus Chemnitius* Part. III. Loc. de Eccl. Cap. IV. Sect. I. p. m. 130. dixisse Anabaptistas, *si quis doctrinam Evangelii intelligat, sive is sit sutor, sive sartor, sive faber, eum docere & concionari debere.* Sic & *Hobburgius* publice docendi munus Laicis illuminatis commune esse vult, quando im Spiegel der Mißbräuche non solum pag. 485. scribit: Es wäre zu wünschen, daß man Gottesgelehrte Layen liesse in öffentlicher Versamlung auftreten / und aus ihrem Priesterlichen Munde die Weißheit der Heiligen lernete; verum etiam ministros, qui suo ordini id muneris vendicant, hisce verbis insectatur: Ihr habt den Gottesdienst im Neuen Testament an euch / als sonderliche Priester und Leviten des Neuen Testaments angebunden / eben als ob ihr sonderlich darzu gewidmete Clerici und Priester wäret. *Sociniani* porro expresse negant in *Catech. Racov.* c. II. iis, qui ordinarie in publicis ecclesiæ conventibus officium docendi

obire volunt, publicam & solennem vocationem necessariam esse. Ad quæstionem quippe: Ists nöhtig / daß die, so andere lehren / und Ordnung in des HErrn Gemeine unterhalten, auf eine sonderbare Weise gesandt werden; ibi ita respondetur: Nein, sie bringen jetzt keine neue Lehre für, die zuvor nicht gehöret war / sondern tragen den Menschen nur die Apostolische Lehre für, welche längst angenommen ist / und vermahnen sie ihr Leben darnach anzustellen. Gemina his ex Socinianorum turba docet *Ostorodus* in instit. Germ. C. XLII. p. m. 430. *Quakeri* tandem aperte contendunt, ad obeundum ministerium, citra differentiam status & sexus, Laicos non solum viros, sed & fœminas, modo immediati luminis motum aut afflatum sentiant, admitti, ac publice docentes audiri debere. Id quod tum constans praxis, in Quakerorum cœtibus deprehensa, docet, tum *Barclaius* in Apolog. ad Thes. X. §. XXIV. XXVII. *William Caton* in Tractatu, quem vocat, die alte Warheit erhöhet contra Hambug. Quäcker-Greuel, p. 44. & *Thomas Lavvson* in Libro, quem appellat die Antwort auf ein Buch, genannt der Unflath der Quäcker / ausgegeben von M. J. J. Zentgraff / gut geheissen von J. C. Dannhauer, pag. 13. palam profitentur.

§. 5. Contra thesin nostram objicitur inprimis, quod fideles indiscriminatim 1. *Petr.* II, 5. dicantur ἱεράτευμα ἅγιον (sacerdotium sanctum) h. e, sacerdotes, qui, sicut sacerdotes Veteris Te-

sta-

ſtamenti, ſacrificia offerentes, ſancti erant Sanctitate externa & Levitica, ita ipſi Sanctitate interna polere debeant. Hinc quippe inferri ſolet, fideles promiſcue habere poteſtatem in conventibus publicis docendi. Verum enim vero licet ſacerdotium ſpirituale Chriſtianis commune eſſe, etiam orthodoxo ſenſu dici poſſit & ſoleat, id tamen munus plane aliud eſt, quam miniſterium Evangelii, ſeu munus publice docendi Verbum. Importat enim inprimis oblationem hoſtiarum ſpiritualium, quales ſunt celebratio Numinis, gratiarum actio pro acceptis beneficiis, preces ad DEUM fuſæ, opera miſericordiæ, ipſa denique corpora & animæ fidelium *Rom.* XII, 1. Atque hoc ipſum condocet ibidem Petrus, quando ait, fideles eſſe ſacerdotium ſanctum ἀνενέγκαι πνευματικὰς θυσίας h. e. *ad offerendum ſpirituales hoſtias.*

§. 6. Speciatim objiciunt hic *Sociniani* (1) quod *non novam doctrinam hodie afferant eccleſiæ Doctores*, (2) quod *docere bonum opus ſit.* Sed prior objectio nil aliud evincit, quam publicam & ſolennem vocationem non ita ad publice docendum neceſſariam eſſe, ut ſine ea nemini & nunquam, nulloque in caſu docere liceat, vel ut doctrina & prædicatio Verbi efficax eſſe non poſſit, niſi publice ac ſolenniter vocatus ſit, qui docet ac prædicat Verbum: *Id* quod lubenter concedimus. Neque vero alteri objectioni ulla ſubeſt conſequentia. Ad hoc enim, ut quis publice & or-

& ordinarie munere aliquo fungatur, non sufficit, si illud in se sit bonum opus: Alias enim cuique licitum foret, magistratus munus sine vocatione prævia sibi sumere, cum magistratum gerere & gubernare remp. opus in se bonum sit.

LOCVS XVII.
DE
MAGISTRATV POLITICO.

Th. I.

Locos Theologicos de Ecclesia & Ministerio Ecclesiastico agentes Tractatus de *Magistratu Politico* recte excipit: Nam præter statum, quem vocant, ecclesiasticum alii duo status in ecclesia vigent, Politicus nimirum & oeconomicus.

§. I. Etsi tum revelata Theologia, tum Politica de Magistratu Politico differat, tamen sub alia ratione Theologia illa, sub alia ratione Politica hocce argumentum tractat. Quippe Revelata Theologia Magistratum Politicum considerat, in quantum est secundus status Hierarchicus, in Ecclesia comprehensus, Politica vero eatenus

tenus de isthoc Magistratu agit, quatenus ordo rectorius in societate civili, seu ordo imperantium & parentium in civitate (qui sane civitatis forma est) suapte natura importat imperium civile, quod nihil aliud, est, quam Magistratus Politicus (per modum abstracti sumtus.)

§. 2. Studio singulari loquor de Magistratu *Politico* seu civili. Neque enim de quovis magistratu, sed tantum politico nobis hic sermo est.

§. 3. Præter Magistratum Politicum datur etiam *domesticus*, itemque *paganus*. Domesticus magistratus, si per modum concreti sumatur, est persona domestica, pollens potestate gubernandæ domus (seu persona domestica pollens morali facultate gubernandi reliquas personas domesticas); sin per modum abstracti accipiatur, est ipsa potestas domestica, seu imperium domesticum (quod nihil aliud est, quam imperium s. potestas Patri-familias in singula familiæ membra, h. e. moralis Patrifamilias competens facultas, reliquorum familiæ membrorum actus jussibus suis dirigendi.) Atque hoc imperium sua natura simul imperium matrimoniale, paternum & herile includit. Paganus vero magistratus, si per modum abstracti consideretur, est ipsum imperium paganum, h. e. imperium aliquod senioris Patris familias in pago habitantis in juniores pagi illius Patresfamil. seu potestas, qua senior

nior pagi Paterfamilias præscribere potest junioribus, quando & quomodo obire debeant illos actus propter quos exequendos homines in pagum coivere, e. g. quando & quomodo sepes erigenda sit, quando concurrendum sit ad arcendum lupum aut nocturnum furunculum, vel ad propulsandam latrunculorum manum; sin per modum concreti spectetur, est persona in pago degens, quæ obtinet paganum imperium.

Th. II.

Magistratus *Politici* seu Civilis vocabulum in latiori significatu quamcunque potestatem civilem (sive supremum sive inferiorem,) aut personas quascunque civili potestate pollentes denotat; in strictiori vero acceptione non nisi potestatem civilem inferiorem, aut personas potestate illa præditas designat.

§. 1. In *Politicorum* & *JCtorum* scholis vox Magistratus (politici) ut plurimum & frequentius significatum strictiorem obtinet.

§. 2. Sub nomine magistratus (civilis) etiam *Judices*, si vel maxime alicubi Magistratui contradistinguantur, jure meritoque comprehenduntur. In quemcunque enim vis coercendi competit, ille Magistratus est, cum solus Magistratus vi istiusmodi polleat. Atqui Judicibus con-

convenit omnino vis coercendi, cum ipsis data sit jurisdictio, atque adeo ea, sine quibus jurisdictio commode exerceri nequit, concessa sint, ad ea vero, sine quibus jurisdictio commode administrari non potest, coercendi vis vel maxime pertineat. Vid. *Conringii* dissert. *de Cive & Civitate*.

§. 3. Cum Magistratui (Politico) potissimum maximeque competat potestas præcipiendi (h. e. potestas sanciendi leges, juxta quarum tenorem resp. sit gubernanda,) ideo fit, ut apud *Aristotelem* cives numero definiti, qui potestatem leges sanciendi habent, absolute & κατ' ἐξοχήν in rep. populari Magistratus adpellentur. Huc quippe pertinet, *quod Aristoteles* Libr. IV. *Polit.* C. XIV. ait: *Tres sunt Rerum publicarum partes: Magistratus, Consilia & Judicia.* Quod ut rectius intelligatur, observandum hic est, quod, sicut Magistratus præcipiens (seu magistratus primario & absolute sic dictus,) si per modum abstracti sumatur, est ipsa potestas leges in civitate sanciendi, & si per modum concreti spectetur, personas potestate illa pollentes denotat; sicut magistratus consultans (seu deliberans,) si per modum abstracti consideretur, est potestas in singularibus casibus statum publicum attinentibus civitati prospiciendi, seu si per modum concreti accipiatur, personas, quæ in singularibus casibus statum publicum attinentibus civitati prospiciunt, designat; ita Magistratus *Judicans*, per mo-

modum abstracti spectatus, sit ipsa potestas exortas civium controversias privatas cognoscendi & decidendi, consideratus vero per modum concreti personas potestate isthac præditas notet.

Thes. III.

Magistratus igitur Politicus (sive in latiori, sive in strictiori significatu acceptus) sumitur vel per modum *abstracti*, seu pro aliquo abstracto, nempe pro ipso imperio civili, seu pro ipsa civili potestate, h. e. pro facultate morali gubernandi civitatem; vel per modum *concreti* seu pro aliquo concreto, nimirum pro persona, quæ potestate illa pollet, aut pro personis facultate ista præditis.

Magistratus politicus per modum abstracti accipitur in vulgaribus illis formulis loquendi: *Magistratum* gerere, inire Magistratum, abire Magistratu.

Th. IV.

Magistratus Politicus, ut sumitur pro aliquo abstracto, h. e. ipsa civilis potestas, accipitur vel absolute & in se, non habita ratione certa in individuo personæ, a qua geritur, vel prout a certa in individuo persona administratur.

§. 1. Potestas civilis, quando absolute & in se consideratur, alias dicitur sumi *abstractive*, non

non quatenus vox abstractive denotat abstractum seu solam formam, sed ut idem est ac *præcisive*. Quando enim potestas civilis absolute & in se spectatur, tunc conceptu nostro a certis in individuo personis præscinditur.

§. 2. Nonnulli quoque Doctores potestatem civilem, quando spectatur, ut a certis in individuo personis geritur, *concretive* considerari dicunt. Sed tunc τὸ concretive haud significat aliquod concretum, seu subjectum certa forma insignitum, sed concretive considerare idem est, ac formam aliquam spectare, ut concrescit quasi cum certo aliquo subjecto, seu ut huic vel illi subjecto competit.

Thes. V.

Magistratus civilis, tum per modum abstracti, tum per modum concreti sumtus, est vel *summus*, vel *subordinatus*.

§. 1. Magistratus civilis supremus, per modum abstracti sumtus, est ipsum imperium civile summum (h. e. illa gubernandi civitatem potestas, cujus actus alterius juri non subsunt ita, ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti queant:) Et magistratus civilis summus, si per modum concreti accipiatur, est persona pollens imperio civili summo.

§. 2. Magistratus civilis summus, si per modum abstracti sumatur, Politicorum stylo *Majestas* appellari consuevit.

§. 3. Magistratus civilis subordinatus, per modum abstracti spectatus, est ipsum imperium civile subordinatum (h. e. potestas civilis, cu-

jus actus alterius juri ita subsunt, ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti reddi queant.) Magistratus vero civilis subordinatus, si per modum concreti accipiatur, est persona pollens imperio civili subordinato.

Thes. VI.

Magistratus Politici pro aliquo abstracto sumti, sive consideretur in se, sive spectetur ut a certis in individuo personis geritur, *causa efficiens* est Deus Trinunus.

§. I. *Deum* esse *Magistratus* Politici, utroque modo spectati, *causam efficientem*, hocce potissimum argumento probamus: *Quicquid homines introducunt mediante naturali rectæ rationis dictamine, ac mediante recto naturæ instinctu, ejus causa efficiens est DEUS. Atqui homines magistratum Politicum pro aliquo abstracto sumtum, & quidem cum consideratum absolute & in se, tum spectatum, ut a certis in individuo personis geritur & administratur, homines mediante naturali rectæ rationis dictamine, ac mediante recto naturæ instinctu introducunt. Ergo Magistratus Politici pro aliquo abstracto sumti, & quidem cum considerati absolute & in se, tum spectati ut a certis in individuo personis geritur & administratur, causa efficiens est DEUS.* Major propositio inde liquet, quod naturale rectæ rationis dictamen & rectus naturæ instinctus a DEO, tanquam naturæ rectæque rationis autore dependeat, atque adeo Divino Numini acceptum referamus, quicquid ab hominibus mediante naturali rectæ rationis

nis dictamine, ac mediante recto naturæ instinctu constituitur. Sic & evidens est propositio minor. Homines enim uti rectæ rationis luminisque naturalis ductu agnoscunt, societatem civilem, in qua vivere desiderant, sine ordine imperantium & parentium subsistere non posse, ita mediante naturali rectæ rationis dictamine ac mediante recto naturæ instinctu ordinem illum expetunt, atque adeo regendæ civitatis potestatem, quam iste ordo suapte natura importat, tum in se spectatam, tum ut a certis in individuo personis geritur, introducunt. Confer. *B. Joh. Musæi* Ablehnung der Verleumdung von den Gewissener Secte pag. 56, 65. 66.

§. 2. Id ipsum, quod DEUS sit Magistratus Politici pro ipsa civili potestate sumti, & quidem cum absolute & in se, tum ut a certis in individuo personis geritur, spectati causa efficiens, diserte Apostolus *Rom.* XIII, 1, 2. edocet, ubi testatur, *non esse potestatem nisi a DEO, potestates* (civiles,) *quæ existunt* (actu), *a Deo esse ordinatas*, ut adeo, *quicunque potestati* (civili) *resistunt, divinæ ordinationi sese opponant, atque sibi ipsis damnationem accipiant.* Quamvis enim (quod *Irenæus* Lib. V. c. XX. refert) veteres nonnulli existimaverint, locum illum Paulinum agere de angelis, quippe qui *Coloss.* I, 16. ἐξουσίαι nominantur, recte tamen is ipse (Irenæus) respondet, loqui ibi Apostolum de iis ἐξουσίαις, quibus vectigalia solvuntur, v. 6. hoc vero angelis non convenire.

§. 3. Speciatim Magistratus Politici, *ut*

a certis in individuo personis geritur, causam efficientem Deum esse, cum exemplis Magistratuum a Deo ipso vel ejus jussu constitutorum (vid. *Exod.* III, 10. *Num.* XXVI, 18. *Deuter.* III, 28. c. XVI, 18. *1. Sam.* IX, 15. seqq. c. XVI, 18.) tum manifestissimis providentiæ divinæ documentis, quæ in protegendis tuendisque magistratibus (vid. *Dan.* II, 21.) emicuerunt, constat. Id ipsum liquet etiam ex *Proverb.* VIII, 15. ubi hypostatica DEI sapientia, sive Filius DEI inquit: *Per me reges regnant, & reges decernunt justitiam* (h. e. Ego constituo reges tanquam magistratus.) Nec minus patescit illud ex *Deuter.* I, 17. ubi Moses inquit: *Ne respiciatis personas in judicio, quia judicium est DEI* (h. e. judicium DEI exercetur). Nec enim adparet, quomodo personæ civilem potestatem habentes exercere possint judicium DEI, nisi potestatem exercendi judicii a DEO acceperint.

§. 4. Vbi nunc liquido patet, DEUM Magistratus politici causam efficientem esse, facili porro negotio demonstratur, Deum *Trinunum* magistratus illius autorem esse. Namque magistratus politicus, si est aliquod DEI opus, non est aliud quam opus DEI ad extra, hæc vero opera sunt indivisa. Atque illud ipsum, quod Deus Trinunus sit Magistratus Politici efficiens causa, ex eo etiam manifestum est, quod Magistratus Politicus originem ducat a sapientia, autoritate, bonitate, & potentia divina, hæ vero perfectiones omnibus tribus divinitatis personis communes sint, omneque opus, quod a divinis perfectionibus toti Trinitati communibus provenit, sit opus indivisum.

§. 5.

§. 5. Thesis autem nostra, quando Deum Trinunum magistratus politici causam efficientem esse docet ac comprobat, non contradicit Doctoribus Politicis, qui magistratus politici causam efficientem *naturam humanam* esse statuunt. Nos enim ex ea quoque ratione Deum Trinunum magistratus politici causam efficientem esse contendimus, quod Deus Trinunus sit naturæ humanæ, atque adeo naturalis rectæ rationis dictaminis rectique naturæ instinctus, unde magistratus in civitate provenit, auctor & causa efficiens.

§. 6. Cæterum thesi nostræ, ut magistratus politici causam efficientem Deum esse asserit, revera oppositum fuerunt se jam olim quidam *Anabaptistæ*, qui Magistratum seu potestatem civilem a Deo esse inficiati sunt. Objecerunt illi cumprimis dictum *1. Petr.* II, 13. ubi magistratus ἀνθρωπίνη κτίσις (humana creatura) vocatur, quando Apostolus ait: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Dominum.* Verum enim vero nemo non hic animadvertit confestim, nihil præsidii in isthoc Petrino dicto reperire *Anabaptistas*, sive humana creatura ab homine, tanquam a *subjecto*, cui potestas civilis competit, appellationem habeat, ut sensus sit: *Subjecti estote omni homini, qui potestatem civilem habet*; sive denominetur ab homine tanquam a *fine*, ut creatura humana idem sit, quod ordinatio in solatium & commodum humanum constituta, atque adeo sententia præcepti Apostolici sit, nos subjectos esse debere magistratui, utpote ordinationi in commodum

& salutem hominum constitutæ; sive appellationem trahat ab homine, tanquam a *causa efficiente*, ut magistratus dicatur humana creatura, quia ab hominibus mediante naturali rectæ rationis dictamine, ac mediante recto naturæ instinctu constituitur. Nec enim ulla subest consequentia, si sic argumenteris: *Homo habet potestatem civilem* (seu magistratum politicum, per modum abstracti sumtum;) *Ergo potestas civilis seu magistratus politicus non est a DEO.* Neque ulla adparet consequentia, si ita concludas: *Magistratus est ordinatio in hominum solatium commodumque constituta; Ergo non est a DEO.* Inde vero, quod Magistratus ab hominibus mediante naturali rectæ rationis dictamine, ac mediante recto naturæ instinctu constituitur, contrarium potius evinci potest, id nimirum, quod DEUS sit magistratus causa efficiens: Deus enim naturalis rectæ rationis dictaminis, rectique naturæ instinctus autor est.

§. 7. Objecerunt *Anabaptista* porro hocce argumentum: *Si populus Israeliticus eo, quod regem postulavit, DEUM provocavit adiram (1. Sam. VIII, 7.) sequitur, quod potestas regia, adeoque magistratus civilis supremus, per modum abstracti spectatus, non sit a DEO.* Sed Resp. Cum in Israelitica regis postulatione duo sint spectanda, scilicet potestatis regiæ petitio in se considerata, & pristini regiminis a DEO instituti rejectio & immutatio; Israeliticus populus non priori, sed posteriori ratione DEUM ad iram provocavit: Ipse enim DEUS reges varios subsequentibus temporibus in gente Israelitica constituit. Ast vero exin-

exinde, quod populus Israeliticus non quidem petitione potestatis regiæ in se spectata, sed regiminis pristini a DEO sanciti rejectione & immutatione DEUM ad iram concitavit, nullo inferre pacto licet, potestatem regiam, supremumque magistratum politicum non esse a DEO.

§. 8. Provocarunt quoque *Anabaptistæ* ad Prophetam *Hoseam*, quem velut cap. VIII. v. 4. ita loquentem allegarunt: *Ipsi regnarunt, & non ex me; Principes extiterunt, & non cognovi eos.* At vero si non vulgatam versionem, sed textum *Hoseæ* Hebræum intueamur & consectemur, nihil pro Anabaptistarum sententia dicere Prophetam deprehendimus. Cum enim verba juxta textum Hebræum ita habeant: *Ipsi regnare fecerunt, sed non ex me, Principes constituerunt, & non cognovi*; qua, quæso, ratione exinde inferre licebit, Magistratum supremum non esse a Deo? Hoc enim inde concludi nequit, sive dicas, reprehendi ibi Israelitas, quod ex metu præpostero gentilium reges sibi delegerint patronos ac defensores, eorumq; opem inconsulto Deo poposcerint, sive statuas, perstringi illic populum Israeliticum, quod defuncto Salomone Jerobeamum creaverint regem cœco quodam impetu, quasi per seditionem & inconsulto Deo. Deus namq; illa sua reprehensione non damnavit ipsum Magistratum supremum in se, ejus; constitutionem, sed vel factum, quo Israelitæ Deo, ejusque auxilio spreto & posthabito cum exteris gentium regibus fœdera inierunt, vel (quæ quidem optima expositio est) electionem Jerobeami seditiosam & inconsulto Deo factam, qua talem.

§. 9. *Anabaptistæ* quarto sic argumentati sunt: *Si magistratus civilis primævo hominis statui, in quo Deus hominem liberum constituit, adversatur, sequitur omnino, magistratum civilem non esse a Deo.* Sed nos cum antecedens, tum consequentiam argumenti hujus negamus. Quod enim ad antecedens attinet, sane non omnis ordo rectorius seu non omnis ordo imperantium & parentium statui hominis primævo repugnavit, nec DEVS in eo hominem ab omni prorsus imperio liberum constituit, cum in ipso mulier mariti, liberique parentum suorum imperium & potestatem agnituri fuissent: Quod si vero statui illi non omnis ordo rectorius adversatus est, non equidem video, qua ratione ei ordo rectorius civilis repugnaverit. Quod si igitur statui hominis primævo ordo rectorius civilis non repugnavit, certe nec repugnavit ei magistratus civilis: Civilem enim magistratum ordo rectorius civilis necessario, suaque natura importat. Sic & allati argumenti consequentia ex ea ratione vacillat, quod multa, quæ primævo hominis statui repugnant, a Deo ortum habeant. Annon enim Sacramenta, Absolutio a peccatis, Pœnitentia, Regeneratio, Conversio, Fides in Christum a Deo effective dependent, licet in primævo hominis statu locum habere non potuerint.

§. 10. Urgeri tandem solet pro *Anabaptistarum* sententia, reprehendi in Nimrodo *Gen.* X. 8. *quod cœperit esse potens in terra.* Ast non improbatur in Nimrodo, quod potestatem imperandi civilem in se spectatam habuerit, sed quod potestatem illam modo pessimo acquisiverit & exer-

xercuerit. Hinc vero non consequitur, ipsam potestatem regnandi civilem, quam habuit Nimrodus, in se non fuisse a DEO. Potest enim aliquid in se a DEO esse, etsi non raro perperam acquiratur, aut male usurpetur: Nam e. gr. potestas publice in Ecclesia docendi, & Sacramenta ordinarie administrandi in se a DEO est, licet homines sæpius ad eam pessimis modis perveniant, ipsamque male exerceant. Sic & e. gr. divitiæ in se a DEO sunt, quamvis non raro pessime acquirantur & usurpentur. Dicis: *In allegato dicto Mosaico significatur, Nimrodum fuisse primum, qui potestatem civilem habuerit: Si autem Nimrodus extitit primus, qui polluit civili potestate, certe nec de subsequentium seculorum regibus asseri potest, quod potestas eorum civilis a DEO fuerit.* Sed vero falsum omnino est, verbis Mosis allegatis innui, Nimrodum fuisse primum, qui potestatem civilem habuerit. Namque jam ante Nimrodum Magistratus politicus, ac potestas civilis habuit locum, cum ante ejus ætatem homines civilem societatem coluerint, civilis autem societas sine ordine imperantium & parentium civili, qui potestatem & magistratum civilem suapte natura importat, subsistere non possit.

§. 11. Thesin nostram demonstratam hactenus, & ab objectionibus variis vindicatam *Protestantes* pridem tradidere. Cum enim, reformatione a Luthero jam suscepta, *Anabaptistæ* & *Libertini* civilem magistratum evertere conarentur, eum a Deo esse quandoque inficiati, Evangelici status a tanto errore & flagitio alienos se

esse, in confessione Cæsari Carolo V. in Augustanis Comitiis exhibenda ostendere fategerunt. Hinc non solum *Lutherus* in septendecim illis ante comitia Augustana contextis articulis, quos *Georgius cœlestinus* in histor. comit. August recenset, & quidem artic. XIV. diserte professus est, *Magistratum* Politicum, *donec Dominus ad judicium veniat, & omnem potestatem ac dominationem abroget, honore affici debere velut statum a DEO ipso ordinatum ad defendendum bonos & coercendos malos*, sed & ipsi *Confessores Augustani* Art. XVI. docuerunt, *legitimas ordinationes civiles esse bona opera DEI.* Scilicet *ordinationum civilium* nomine non tantum constitutiones authoritate publica ad commodum & salutem civitatis sancitas, verum etiam ipsum civilem magistratum laudati Confessores intellexerunt. Atque has ordinationes denominarunt civiles partim a fine, quod videlicet authoritate publica ad commodum & salutem civitatis constitutæ sint (ut leges civiles,) partim ab objecto pariter & fine, quod nimirum non solum in civitatis commodum & salutem sint constitutæ, sed & circa civitatem gubernandam occupentur (ut magistratus civilis, ejusque functiones & officia.) *Legitimas* autem civiles ordinationes vocarunt eas, quæ publica authoritate ad civitatis salutem & felicitatem introductæ sunt, neque cum Verbo DEI, aut lege naturæ & honestate publica pugnant. Nomine tandem *operum DEI* nihil aliud quam res a DEO profectas significarunt.

§. *Th. VII.*

Magistratus civilis, ut a certis in individuo

viduo personis geritur, & administratur, a DEO est vel *immediate*, vel *mediate*.

§. 1. Immediate magistratus civilis a DEO est non eo sensu, quod prorsus sine hominibus intervenientibus potestas civilis alicui vel aliquibus in hac vel illa republica concedatur: aliquando enim Magistratus civilis supremus immediate fuit a DEO, ubi Deus interveniente aliqua persona usus fuit, prout e. g. magistratus supremus, Davidi collatus, immediate fuit a Deo, licet DEVS Samuelem, ut voluntatis suæ interpretem, adhibuerit; verum magistratus civilis, in hæc vel illa rep. spectatus, a Deo immediate est hoc sensu, quod Deus ipse determinet nominetque personam illam, cui potestatem civilem in hac vel illa rep. vult deferri.

§. 2. *Mediate* Magistratus civilis a DEO est, quando non Deus ipse personam, cui civilem potestatem vult deferri, determinat, sed potestas ista alio modo huic vel illi homini confertur. Qua ratione magistratus summus Romano Imperatori committitur, cum DEVS ipse personam futuri Imperatoris non determinet, sed illis, quibus potestas eligendi competit, determinationem istam permittat.

Thes. VIII.

Dum hodie homines a DEO magistratus officium mediate accipiunt, id fit per *electionem*, vel per *sortitionem*, vel per *occupationem legitimam* (seu jure belli)

§. 1. Per electionem acquiritur imperium civile

civile, quando aliquis e pluribus ad gerendum magistratus officium libera hominum voluntate, & prævia facta deliberatione legitur. Quo modo ad magistratum summum Romanos Imperatores pertingere, in præcedentibus monui.

§. 2. Per *occupationem legitimam* seu jure belli imperium civile in hos vel illos subditos obtinetur, quando bello legitimo devicti hostes subjiciuntur victori, a quo conservantur. Atque ita populus Israeliticus imperio in Gibeonitas potitus est. *Jos.* IX. 25. seqq.

§. 3. *Sortitionis* Vocabulum h. l. in ampio eo accipitur significatu, quo omnem acquirendi imperium civile modum, qui voluntatem hominum liberam, & deliberationem præviam, ad acquisitionem concurrentem excludit, denotat, atque adeo sortitionem cum *arbitrariam* (h. e. sortitionem quæ ex libero hominum arbitrio fit & instituitur) tum *naturalem* (qualis est sors natalium, seu successio, i. e. ille acquirendi modus, quo a parentibus liberi, aut ab agnatis consanguinei imperium jure hæreditario accipiunt) comprehendit.

§. 4. Sortitionem arbitrariam electioni tunc præferendam esse monent *Politici*, quando in constituendo magistratu illi, ex quorum numero alicui vel aliquibus magistratus officium committendum est, in dignitate civili æquales sunt.

§. 5. Nos vero, ubi ad hodiernos imperii civilis acquirendi modos referimus tertio loco occupationem legitimam, minime adversamur Politicæ Doctoribus, qui duos duntaxat modos,

dos,

dos, electionem nimirum, & sortitionem, ponunt. Illi enim loquuntur saltem de iis imperium civile acquirendi modis, qui fiunt sine violentia, seu absque vi externa, nos vero exhibemus hic omnem modum consequendi hodie civile imperium sive is sit violentus, sive non.

Th. IX.

Forma (h. e. ratio formalis) magistratus civilis supremi pro concreto sumti vulgo in *Politicorum* scholis sic exprimitur: *Magistratus civilis supremus est persona ita gubernans civitatem, ut legibus soluta sit*; prout & magistratus civilis supremus, per modum abstracti spectatus, *formaliter* esse dicitur *potestas civilis legibus soluta*.

§. 1. Per leges illas, quibus magistratus civilis summus solutus esse dicitur, haud intelliguntur leges naturæ, nec leges positivæ divinæ, iis etiam, penes quos summa rerum est, a DEO præscriptæ, nec illæ leges positivæ humanæ, quæ leges gentium adpellari consueverunt, sed leges positivæ humanæ civiles mere tales.

§. 1. Non, inquam, intelliguntur *leges naturæ*. Nam persona majestate pollens, seu magistratus civilis supremus obligatur utique legibus naturalibus, cum leges illæ universum genus humanum, omnesque omnino homines ut homines & naturas rationales obligent. Confer. *Phil.* nostra *Mor.* pag. 599.

§. 2.

§. 2. Neque homo majestate præcellens *legibus positivis divinis*, quæ a DEO ipsi præscriptæ sunt (quales erant in Rep. Israelitica plures, Regibus a DEO latæ) solutus est. Is enim, cum sit cratura Dei, Deo, tanquam Creatori & summo Domino, subjectus est, ac proinde legibus omnibus a voluntate DEI dependentibus, ipsique præscriptis obligatur.

Nec vero Magistratus civilis summus liber est ab obligatione legum illarum positivarum humanarum, quas *leges gentium* vocant. Namque lex Gentium gentes qua tales inter se quasi ex compacto obligat: Atqui Magistratus civilis summus (per modum concreti sumtus) ad gentes qua tales pertinet. Conf. Phil. nostra *Mor.* p. 698. seq.

§. 4. Cum igitur summi Principes legibus naturalibus, legibus positivis divinis, legibusque gentium obligentur, certe violando eas, seu contra eas faciendo peccant, atque adeo æque gravem, imo sæpæ graviorem, quam alii ex inferiori hominum sorte, culpam, & reatum seu obligationem ad luendam pœnam contrahunt. Omnis enim legis obligantis violatio est peccatum, cujusvis vero peccati formalia consecutiva sunt culpa & reatus.

§. 5. Quamvis vero summi principes eas, quibus obligantur, leges violando rei seu pœna digni reddantur, non tamen a subditis aut ullo homine in terris puniri possunt aut debent, sed Dei

Dei judicio relinquendi sunt, qui, si non in hac, in altera tamen vita scelera patrata in ipsis pro sua severa justitia vindicabit, nisi interveniente pœnitentia pœnas imminentes antevertant. Nemo enim in alterum pœnam proprie dictam decernere ac constituere potest, nisi eo sit superior, atque potestatem & vim coactivam in ipsum obtineat, summi vero Principes superiorem, cujus potestati coactivæ subsint, in his terris neminem agnoscunt.

§. 6. Cæterum personæ, majestate pollentes, solutæ sunt legibus positivis humanis *civilibus* mere talibus (qualis erat e. g. illa Spartanorum, qua, ut *Valerius Maximus* Libr. II. C. VI. refert, prohibebantur cives oculos ad contemplandam Asiam vertere, ne deliciis ejusdem capti ad delicatius vitæ genus prolaberentur. Illæ enim leges nec ex materia substrata (seu actuum eorum, de quibus disponunt, natura,) nec ex gentium consensu mutuo atque compacto, nec immediate ex voluntate Dei, sed ex sola libera hominis superioris voluntate vim obligandi immediate habent, persona vero majestate eminens neque semet ipsa est superior, neque in his terris superiorem agnoscit. Quo accedit, quod, qui pollet potestate ferendi leges, semper sit & maneat Dominus legis a se latæ, ita, ut eam mutare, abrogare, & in eadem dispensare possit.

§. 7. Quamvis vero summi Principes legibus positivis humanis civilibus mere talibus non obli-

obligentur, bene tamen faciunt, si leges ase latas ipsi etiam observent, & subditis exemplo suo præeant, eosque ad legum observantiam invitent.

§. 8. Loquor autem singulari studio de legibus positivis humanis *mere & simpliciter* talibus. Nam legibus positivis humanis civilibus *secundum quid talibus*, h. e. iis legibus, quæ aliquid de lege naturæ connotant & involvunt, principes summi obligantur, in quantum illæ aliquid de lege naturæ includunt. Sane e. gr. legibus civilibus, quæ delinqentibus pœnas constituunt, summi principes obstringuntur, in quantum illæ hanc naturalem legem præsupponunt & includunt, ne pœnæ, quæcunque etiam sint, majores, vel viliores & minores delictis imponantur.

§. 9. Liquet ex hactenus dictis, nos haud acquiescere in doctrina illa *Bajeriana*, quæ in *Theol. Posit.* Part. III. cap. XV. §. V. not. 6. c. d. tradit, *Magistratum supremum legibus naturæ & positivis legibus divinis obligari, in cæteris autem seu quoad leges humanas mere positivas liberum esse, cum nec materia legis obligare eum possit, nec ipse alium in terris superiorem agnoscat.* Nam magistratus summus legibus etiam quibusdam humanis mere positivis, iis videlicet, quas in oppositione ad jus naturæ leges gentium vocant, obligatur: Licet enim nec legum illarum materia magistratum supremum obligare possit, nec is alium in terris superiorem agnoscat, ipsum tamen illæ ipsæ leges ex gentium qua talium compacto obligant.

Thes.

Theſ. X.

Materia circa QVAM, ſeu *Objectum* Magiſtratus civilis Summi pro abſtracto accepti (h. e. ea, circa quæ poteſtas civilis ſumma exercetur aut exerceri poteſt,) ſunt omnes res civiles. Scilicet ad omnes res civiles eo modo ſe porrigit poteſtas civilis ſumma, ut is, qui poteſtate illa pollet, disponere, ordinare & agere poſſit, quicquid ad Reip. ſalutem aut utilitatem facit, nec legi naturæ & divinæ adverſatur.

§. 1. *Rerum civilium* nomine h. l. veniunt ea, quæ ſocietatem civilem ita reſpiciunt, ut ad eam gubernandam aut conſervandam, vel ad ejus commodum (e. g. ad honeſtatem vitæ ſingulorum atque omnium, ad ſecuritatem civium, ad bonorum hujus vitæ affluentiam) per ſe ſpectant.

§. 2. Eum autem, qui gaudet poteſtate civili ſumma, diſponere, ordinare, ſuſcipere & agere poſſe, quicquid ad reip. ſalutem aut utilitatem facit, nec legi naturæ ac divinæ repugnat, ex Fine Magiſtratus, inferius declarando, liquet. Finis enim, ad quem Magiſtratus ſua natura, & ex voluntate Dei tanquam cauſæ efficientis, & ſupremi omnium Domini, cui ſubjicitur, ordinatus eſt, & ad quem proinde Magiſtratui ubique reſpiciendum, eſt ſalus aut utilitas ſocietatis civilis.

vilis. Quod si autem Magistratus civilis Summus in reip. administratione salutem publicam ubivis ac sine ulla restrictione promovere debet, ipsi sane competit potestas & jus disponendi, ordinandi, suscipiendi & agendi omnia, quæ ad reip. salutem aut utilitatem faciunt, legique naturæ & divinæ non adversantur: Necessitas enim finis in moralibus & civilibus jus facit.

§. 3. Subinde vero subjunxi hoc additamentum: *Nec legi naturæ aut divinæ repugnant.* Ei enim, qui Deo tanquam creatori & Domino omnium supremo, legumque naturalium autori subjicitur, fas non est suscipere aut agere quicquam, quod legi naturæ aut divinæ contrariatur.

Thes. XI.

Is igitur, qui majestate pollet, obtinet (1.) potestatem νομοθετικὴν seu *legislatoriam.* Justis enim ac rectis legibus, quibus sui officii admonentur subditi, & malis pœnæ, bonis autem præmia constituuntur, salus publica quam maxime promovetur.

§. 1. *Legum* nomine h. l. intelliguntur leges civiles, h. e. certæ agendorum & omittendorum regulæ, ad salutem societatis civilis conditæ, illisque mortalibus, qui pars reip. seu subditi sunt, præscriptæ, quibus illi ipsi ad subjectionem & paritionem in conscientia obligantur.

§. 2.

§. 2. Legibus justis, a Magistratu supremo latis, subditi in *conscientia obligari*, (h. e. ita obstringi, ut, si eas transgrediuntur, contra suam conscientiam peccent) recte omnino dicuntur. Cum enim subditis dictet conscientia, justis Magistratus sui legibus hic & nunc obedientiam esse præstandam vi legis illius naturalis: *Pare magistratui*; subditi profecto, qui leges Magistratus justas transgrediuntur, contra suæ conscientiæ dictamen peccant. Conferatur vel ex JCtorum choro *Struvius* in Syntagm. Jur. Civil. Exerc. II.

§. 3. Differimus hic inprimis adversus *Joh. Calvinum*, Libr. III. *Instit.* c. 19. contendentem, Magistratum, penes quem est regimen externum, subditorum conscientias legibus suis non posse obligare. Neque enim alicujus momenti est, quod objicit ille, *conscientias ad solum Deum & forum spirituale spectare*. Quod enim *ad solum Deum spectare conscientias* ait, illud vel eo sensu, quod solus Deus conscientias introspicere & occulta cogitata judicare possit, vel hoc modo, quod soli Deo conscientia ita obnoxia sit, ut eam suis legibus proxime & immediate obligare queat, accipi potest. Si priori modo intelligatur, verum est; sed tunc negatur consequentia. Namque ad hoc, ut Magistratus summus subditorum conscientias legibus suis obliget, sufficit, si subditus ille, qui leges istas transgreditur, contra suam conscientiam peccet: Sin posteriori modo accipiatur, petit *Calvinus* id, quod est in

principio: De eo enim quæstio est, utrum conscientia soli Deo ita obnoxia sit, ut is solus suis legibus illam proxime & immediate obligare queat. Neque vero quicquam probat, quando porro inquit, *conscientias ad solum forum spirituale spectare*, seu Magistratum non posse de conscientia judicare. Ut enim quis alterum per leges suas in conscientia obliget, non requiritur, ut possit de alterius conscientia judicare, sed sufficit, si alter contra conscientiæ dictamen peccet, ubi leges istas transgreditur.

Thes. XII.

Is, qui majestate præditus est, sive ethnicus sit sive Christianus, pollet (2) potestate δικαστικῇ seu *judiciaria*. Publica namque salus promovetur, quando Magistratus judicia recte constituit, & juste judicando sine προσωποληψίᾳ exequitur, quod legibus sancitum est. Sic enim insontes cives adversus alios, qui damnum dant, aut injuriam inferunt, defenduntur, & suum cuique tribuitur.

§. 1. Potestas *judiciaria* h. l. denotat facultatem moralem controversias civium cognoscendi, & habita deliberatione sententiam ferendi.

§. 2. Potestatem illam competere magistratui civili, exinde etiam patet, quod Paulus eam

in

in Felice, præside provinciæ Iudaicæ *Act.* XXIV, 10. præcipue autem in Cæsare *Act.* XXV. 10. 11. agnoscat.

§. 3. Ipsum etiam Magistratum Christianum pollere potestate judiciaria, duplici hic argumento speciatim ostendimus. Quippe ex Magistratus Fine jam §. 2. ad Thes. præc. X. demonstratum dedimus, omnem eum, qui gaudet potestate civili summa, sive sit ethnicus, sive Christianus, disponere, ordinare, suscipere & agere posse, quicquid ad reip. salutem aut utilitatem facit, nec legi naturæ & divinæ adversatur. Iam vero si Magistratus judicia recte exercet, resque ex justis legibus judicat, atque hoc ipso insontes cives a damnis & injuriis vindicat, ac suum cuique tribuit, id omnino reip. salutem & utilitatem promovet, legique naturæ ac divinæ (quæ *Deuter.* l. 17. c. XVI, 18 extat) prorsus congruit. Quo accedit, quod Paulus Rom. XIII. 4. in genere de omni Magistratu absolute prædicet, eum esse *Dei ministrum* civibus *in bonum*, non autem adpareat, qua ratione Magistratus absolute minister Dei civibus in bonum esse possit, nisi potestate judiciaria instructus sit. Hinc *Augustana Confessio* Art. XVI. non tantum præclare docet, quod *Christianis* liceat gerere *Magistratus*, ita, ut etiam licitum sit *judicia exercere*, & *judicare res ex Imperatoriis aut aliis præsentibus legibus*, sed & contrarium sentientes diserte damnat.

§. 4. Quod si igitur Magistratui Christiano judicia exercere, & res ex præsentibus legibus judicare licet, subditis sane Christianis, ut teneat quisque, quod suum est, aut inique detinentem compellat ad præstandum id seu tribuendum, etiam licebit Magistratum, eiusque auxilium & judicium implorare, ac processu forensi, legibus sancito, adversus eum, qui damnum dedit, aut injuriam intulit, agere, & jus suum prosequi, atque adeo in causa gravi & justa, secundum veritatem, animo non personæ sed causæ adverso, servandæ aut farciendæ honestæ famæ, tuendæ familiæ, opum necessariarum causa, ubi aliter non possunt, hominem alioquin morosum minusque flexilem, in jus vocare. Id enim, quod rectum & licitum est, juste ac licite petitur, si convenienti ac legitimo modo petitio fiat.

§. 5. Adversamur hic *Anabaptistis*, *Valentino Weigelio*, *Christiano Hobbingio*, & *Quakeris*, quippe qui pariter docent, Christianos in jus vocare alterum, qui damnum dedit, aut injuriam intulit, nefas esse, injuriam autem iis potius tolerandam. *Anabaptistæ* quippe (uti Nostrates in *Form. Concord.* art. XII. p. m. 624. & in *Solid. Decl.* p. m. 827. observant) jam olim contenderunt, *subditos potestatem illam, quam magistratus a Deo accepit, ad defensionem implorare non posse, aut neminem subditorum implorare opem magistratus debere.* *Weigelius* quoque Part. I. Postill. p. 65. ita pronunciavit: Christus leh-

lehret, man soll nicht rechten für dem Gerichte, man soll ehe den Mantel zum Rock hinlassen; So sagen die Weltgelehrten, es schade dem Christlichen Glauben nichts, ob man gleich das seinige mit recht vertheidige und erhalte. Sic & *Hobburgius* im Spiegel p. 93. 94. promiscue ait, *processus* forenses *ethnicos* esse, ac nomine diaboli geri, & Advocatos *non* pro *Christianis* sed *feris & barbaris gentilibus* habendos esse. *Quakeri* tandem, licet in forum vocati coram judice comparere, suique defensionem in se suscipere non dubitent, alios tamen apud judicem accusare verentur, statuentes omnino, quod Christianis non liceat jus suum forensi actione prosequi. Hinc *William Caton* in Onderf. pag. 14. 15. de populo Quakerorum prædicat, quod cum iis, qui damnum aut injuriam ipsis intulerunt, in jus descendere detrectent. Et *Barclajus* in *Apolog.* p. 362.363. aperte docet, omnes omnino actus, quibus malo resistitur, etiamsi via juris instituantur, immutabili æternaque lege interdictos esse.

§. 6. Cæterum ex præcedente paragrapho 4. facile patet, nos haud probare, sed reprehendere magnopere ausus eorum, qui temere litigant, & vel in levi causa, vel injuste & falso, vel iracunde & ad contumeliam, animoque vindictæ cupido alios in jus vocant, omnesque conditiones æquas adspernati fatigant & divexant.

Thes. XIII.

Is, qui majestate eminet in republica, præter potestatem legislatoriam & judiciariam habet potestatem vindicativam, seu potestatem puniendi refractarios (h. e. eos, qui legibus non parent, aut in sententia judicis non acquiescunt.) Pœnæ enim infliguntur ad emendanda civitatis membra. Neque cives placidam, quietam, & securam vitam degere possunt, nisi in civili societate refractarii pœnis compescantur.

§. 1. *Punire* nihil est aliud, quam malum passionis infligere ob malum actionis emendationis gratia.

§. 2. Quod Magistratus puniendi jus habeat, comprobatur insuper ex *Rom.* XIII. 3. & 4. ubi οἱ ἄρχοντες non *bonis* (civibus), *sed illis, qui male operantur, terrori esse* dicuntur, atque is, qui potestate civili gaudet, *male agenti ultor ad iram* esse perhibetur. Nec enim liquet, qua ratione ὁ ἄρχων male operantibus terrori, atque is, qui potestatem gubernandæ civitatis obtinet, male agenti ultor ad iram esse possit, nisi Magistratus puniendi jus in Rep. habeat.

Thes. XIV.

Potestas puniendi, quam habet Magistratus summus, tum ethnicus, tum Christia-

stianus, etiam is, qui non solum Christiani nominis professione ornatus, sed & ad pleniorem perfectionem perductus est, includit *potestatem supplicia capitalia facinorosis inferendi.*

§. 1. Magistratui supremo Christiano, etiam ei, qui ad perfectionem pleniorem perductus est, competere jus & potestatem sontibus capitalia supplicia irrogandi, tribus nunc argumentis evincemus. Demonstramus id primo ex *Rom. XIII, 4.* ubi scribit Apostolus, *potestatem* (seu Magistratum) *non frustra gladium gestare.* Nec enim Paulus loquitur ibi de infideli saltem magistratu, sed & de Christiano; Nec solum de magistratu Christiano, nominis quidem Christiani professione ornato, nondum autem plane illuminato, sed de quocunque Christiano magistratu, etiam eo, qui perductus est ad pleniorem perfectionem. Differit quippe in genere de omni magistratu, cum de eo magistratu, quem a Deo esse v. 1. dixerat, verba faciat, omnis vero magistratus, tum quem homo ethnicus, tum quem Christianus, etiam plene illuminatus, gerit, a Deo dependeat. Neque vero nomen gladii Apostolus sumit figurate pro pœna severiori, sed proprie pro instrumento, quo alter vulneratur, aut occiditur. Præterquam enim quod sine urgente ratione a proprio vocum significatu recedendum non sit, Apostolus in eo occupatus est, ut maleficis incutiat terrorem, eosque a patran-

dis sceleribus validissime abstrahat, hoc vero maxime se obtenturum arbitratur, si gladium proprie dictum non frustra, sed ex voluntate & ordinatione divina ad vulnerandos, & pro ratione circumstantiarum & delictorum ad interimendos sontes a supremo Magistratu gestari doceat. Quæ cum ita sint, ex allegato dicto Apostolico ita argumentamur: *Si quilibet magistratus supremus, sive sit ethnicus, sive Christianus, sive sit saltem Christiani nominis professione ornatus sive ad pleniorem perfectionem perductus, gladium proprie dictum ex voluntate & ordinatione divina gerit ad vulnerandos aut interficiendos facinorosos, sequitur, quod potestatem sontes gladio vulnerandi aut interficiendi, adeoque jus facinorosis capitalia supplicia inferendi habeat.* Antecedens ex Paulino dicto manifestum est. Consequentia exinde liquido patet, quod, qui ex voluntate & ordinatione divina certi usus causa instrumentum aliquod gerit, is quoque polleat jure & potestate instrumentum illud ad usum istum adhibendi

§. 2. Argumentamur secundo ad nostram evincendam thesin huncce in modum: *Quicunque obligatus est ad supplicium capitale homicidii infligendum, is habet jus & potestatem homicidis capitale supplicium irrogandi. Atqui Magistratus supremus, tum ethnicus, tum Christianus obligatus est ad supplicium capitale homicidis infligendum. Ergo Magistratus quivis supremus habet*

habet jus & potestatem homicidis capitale supplicium irrogandi. Major propositio inde patet, quod obligatio ad aliquid faciendum potestatem & jus faciendi illud inferat. Minor liquet ex *Gen. IX, 6.* ubi decretum Dei habetur *de sanguine homicidæ effandendo.* Hocce enim decreto obligantur, quicunque in puniendis improbis Dei vicem in terris gerunt: Jam vero Magistratus summus quilibet, sive sit ethnicus, sive Christianus, sive sit saltem Christiani nominis professione ornatus, sive ad pleniorem perfectionem perductus, supremi Numinis vicem in puniendis civibus male feriatis sustinet.

§. 3. Argumentum tertium huc redit: *Si gladium illicito modo usurpantes gladio perire debent, sequitur, quod Magistratus unusquisque supremus, sive sit ethnicus sive Christianus, sive sit Christianus Christianum duntaxat nomen professus, sive pleniori perfectione ornatus, habeat jus & potestatem capitale supplicium infligendi.* Antecedens probatur ex *Matth. XXVI, 52.* ubi Salvator Petro, gladium in servum principis sacerdotum stringenti, dicit: *Converte gladium in suum locum: qui enim acceperit gladium, gladio perire debet.* Consequentia plane evidens est. Quippe non tantum sub Magistratu ethnico, verum etiam Christiano, & quidem tum eo, qui Christianum saltem nomen exterius profitetur, tum qui pollet pleniori perfectione, contingit, ut illicito modo gladius accipiatur & usurpe-

tur

tur (homicidium nempe perpetretur.) Si vero omnes illi, qui gladium modo illicito usurpant & homicidium committunt, gladio perire debent, profecto Christianus etiam Magistratus quicunque ad pœnam gladii homicidis infligendam obligatus est, atque adeo jus supplicium capitale irrogandi obtinet.

§. 4. Thesin nostram hactenus liquidissime demonstratam palam tradit *Augustana Confessio*, quando Art. XVI. non solum indiscriminatim docet, quod Christianis ita liceat gerere Magistratus, ut etiam licitum iis sit *supplicia jure constituere*, sed & eos aperte damnat, *qui interdicunt hæc civilia officia Christianis*. Id ipsum dogma repetit *Augustanæ Confessionis Apologia* p. 215, 216. ubi inter *vindictæ publicæ*, *quæ fit ex officio magistratus*, *species supplicia* refert.

§. 5. Nostra illa thesis primum opposita est *Anabaptistis*, quorum erroribus hunc quoque velut in *Politia intolerabilem*, *Formula Concordiæ* Art. XII. p. 624. annumerat: *Quod Magistratus sub N. T. bona conscientia homines facinorosos capitali supplicio afficere non possit*. Confer. hic *Colloquium Harlemense* Art. XXXVII. Argumenta eorum examinavit *Iohannes Wigandus*, & juxta eum *Conradus Schlüsselburgius* Catal. Hær. Libr. XII. p. 622. seqq.

§. 6. Disputamus hic porro adversus *Weigelium*, *Socinianos*, & *Arminianos*. *Weigelius* quippe in Postilla sua morem facinorosos capita-

li

li supplicio afficiendi passim perstringit *tanquam gentilem, Christianis indignum. Socini* & asseclarum verba in Collegio *Scherzeri* Anti-Socciniano allegantur, exceptiones vero & objectiones a B. *Bechmanno* in Theol. Polem. Loc. XV. controv. V. sect. 2. & 3. solidissime confutantur. De *Arminianis* vide Responsionem ad speciminaLeidensium Part. II. Specim. XIV.

§. 7. Illis, quos jam memoravimus, adversariis adstipulari videntur *Quakeri*. Præterquam enim quod in scriptis suis nusquam jus Magistratus circa supplicia capitalia profiteantur, nec dictum Paulinum Rom. XIII, 5. quod de Magistratu gladium portante agit, de gladio tanquam medio aut instrumento, quo uti possit Magistratus ad tollendos e vita maleficos, exponant, sane ea generalia asserta proferunt, quæ ad bella pariter & supplicia capitalia pertinent, & tam illa, quam hæc inferre Christianis prohibent, asserentes quippe, *Christianos* oportere *quasi agnos esse, non autem agni esse naturam, alias creaturas devorare; usum armorum sub Evangelio esse illicitum.* Vid. *Robertus Barclajus* in Apolog. pag. 317. & pag. 369. Ac licet hic ipse *Barclajus* supplicia capitalia a Magistratu nomen saltem Christianum professo facinorosis illata non improbet, docet tamen diserte *Apol.* pag 370. Magistratum Christianum ad pleniorem perfectionem perductum a suppliciis illis abstinere debere, neque quidquam ejusmodi esse admissurum.

Hinc

Hinc thesin nostram ita contexuimus, ut hanc quoque *Barclaji* sententiam limitatam excludamus.

Thes. XV.

Ei Magistratui, qui Majestate (plena) pollet, sive sit ethnicus sive Christianus, sive sit Christianus externa saltem nominis Christiani professione ornatus, sive ad pleniorem perfectionem perductus, convenit (4) jus atque potestas *gerendi bellum*. Namque et hoc civile negotium per se facit ad salutem & felicitatem reipublicæ, neque per se cum lege naturæ & divina pugnat.

§. I. Nos argumentamur hic eum in modum: *Quicquid per se facit ad salutem & felicitatem reipublicæ, neque per se cum lege naturæ & divina pugnat, ad id cujusvis Magistratus majestate plena pollentis, tam ethnici, quam Christiani, tum Christiani nomen saltem Christianum professi, tum ad perfectionem pleniorem perducti, potestas sese extendit. Atqui bellum gerere per se facit ad salutem & felicitatem reipublicæ, neque per se cum lege naturæ & divina pugnat. Ergo cujusvis Magistratus Majestate plena pollentis, tam ethnici quam Christiani, tum Christiani nomen saltem Christianum professi, tum ad perfectionem pleniorem perducti, potestas ad gerendum bellum sese extendit.* Major propositio exinde patet, quod omnis

omnis Magistratus, qui plena majestate præcellit, obligatus sit ad agenda & suscipienda ea omnia, quæ per se faciunt ad salutem & felicitatem reipublicæ, nec per se legi naturæ & divinæ repugnant, talis vero obligatio & necessitas jus & potestatem ista omnia agendi & suscipiendi conferat. Minoris propositionis prius membrum ex eo probatur, quod Remp. & eius cives armata manu defendere, hostium injustam vim externa vi propulsare, religionem & patriæ libertatem tueri, amissa civitatis bona, si satisfactio alias obtineri nequit, armis repetere, per se omnino ad salutem, felicitatem & tranquillitatem reip. faciat. Alterum vero minoris membrum tribus potissimum rationibus nunc evincitur. Quippe (1) Deus non solum olim in Vet. Test. populum Israeliticum certis in casibus bellum gerere jussit, sed etiam modum belligerandi præscripsit, ut Scripturæ Veteris Testamenti passim locorum docent. (2) Nec Christus, nec Apostoli viris militaribus jam conversis, militiam interdixerunt. Quin Iohannes Baptista *Luc.* III, 14. milites, quod sibi factu opus sit? percontantes, non deserere militiam, sed suis stipendiis contentos esse jubet, atque hoc ipso supponit, legem naturæ & divinam, quo minus homines militent, & stipendia in bello mereantur, non prohibere. (3) Defensio sui, & vim vi repellere jure naturæ ac divino permissum est.

§. 2.

§. 2. Quod si igitur Christiani Magistratus, illi etiam, qui ad pleniorem Christianitatis perfectionem pervenerunt, bella gerendi jus & potestatem habent, & bella, quæ illi moliuntur, per se ad salutem & felicitatem reipublicæ faciunt, nec per se legi naturæ ac divinæ adversantur, profecto Christianis subditis, jubente Magistratu, militare, ac postulante Magistratu sumtus ad bellum conferre, & pro successu eius prospero Deum precari licet. Quod enim Magistratus Christiani recte præcipiunt, id per conscientiam subditis licet: Quodque Magistratus Christiani negotium per se salutem & felicitatem reip. promovet, nec per se cum lege divina pugnat, ad id conferre sumtus, & pro successu eius felici preces fundere Christiani subditi possunt & debent.

§ 3. Non autem nisi de bello *per se* & in sua natura spectato hactenus disserui. Per accidens enim & vitio hominum non raro contingit, ut bellum, quale ab hoc vel illo principe, ab hac vel illa Rep. geritur, legi naturæ & divinæ prorsus repugnet, quia videlicet ratione causæ impulsivæ vel finalis, aut ratione modi sese recte non habet.

§. 4. Cæterum, quod ad militiæ statum in se consideratum, ipsamque belligerandi & militandi functionem attinet, *Augustana Confessio* Art. XVI. generatim, & sine ullo facto discrimine docet, licere Christianis *militare* (seu militem age-

agere) *uti Christianis licet gerere Magistratus*, ita ut etiam illorum sit *jure bellare*. Quod *Protestantium* dogma in Confessionis illius *Apologiæ* p. m. 215. repetitur, ubi bella inter *species vindictæ publicæ*, *quæ fit ex officio Magistratus*, nec *dissuadetur* saltem, sed *præcipitur*, *& juxta Paulum Rom. XIII, 4. opus Dei est*, diserte referuntur.

§. 5. Ipsa nostra thesis opposita est *Anabaptistis*, *Weigelio*, *Hohburgio* & *Quakeris*. Anabaptistæ enim, uti in colloquio Frankenthalensi Act. X. XIX. XXIV. XXVI. bella indiscriminatim aliena esse debere docuerunt, ita A. 1571. in colloquio Embdano (ceu *Schlüsselburgius* in Catal. Hæret. Lib. XII. refert) professi sunt, *Christianum non posse jussu Magistratus cum armis ad vigilias seu excubias agendas in civitate prosedere*. Hinc *Augustana Confessio* Art. XVI. aperte damnat *Anabaptistas*, quod civilia bellandi & militandi officia Christianis interdicant: Nec non *Formula Concordiæ* Art. XII. num. V. eiusque *solida Declaratio* Art. XII. sect. II. n. XIV. inter reliqua *Anabaptistarum* dogmata, quæ neque in Ecclesia, neque in Politia, neque in œconomia tolerari possint, commemorat illum *Anabaptistarum* errorem, *quod homo pius non possit sana conscientia cauponariam aut mercaturam exercere, aut arma conficere*. Anabaptistas secutus *Weigelius*, bellum vel contra Turcas gerendum Christianis in peculiari tractatu vom

Kriegs-Muster/& in *Postill.* Part. I. p. 14. 15. 184. Part. II. pag. 329. promiscue interdixit. Sic & *Hohburgius* im Spiegel / Magistratus juxta & subditos Christianos ab armorum usu prorsus arcet, quando pag. 35. 39. 67. 80. 632. 633. 661. indiscriminatim contendit, *bella a Christo* prohibita, *Antichristianam* vero *doctrinam esse, quod in regno Christi bellum gerere liceat; eos, qui bellum gerunt, non esse pro Christianis habendos, &c.* Denique *Quakeri* non solum docent, quod Christianis Magistratibus bella gerere non liceat, sed sentiunt quoque, jubente Magistratu militare, aut sumtus, postulante Magistratu, conferre ad bellum, aut pro successu ejus felici ad Deum orare subditis christianis illicitum esse. Quippe eorum Apologeta, *Robertus Barclajus*, (cujus dicta & scripta ipsi communiter rata habent,) in *Apolog.* Thes. XV. §. XIII. §. XV. non tantum arbitratur, *quod Christianis minime liceat malo resistere, aut bellum gerere, aut in ullo casu pugnare, bellumque sit malum Spiritui & doctrinæ Christi contrarium, ceu lumen tenebris*, verum etiam statuit, sectæ suæ homines laudem & velut martyrii gloriam adeptos esse per *passiones* idcirco sibi inflictas, *quod nec ipsimet arma tractare, nec alios sua vice mittere, nec nummos suos exponere ad comparanda tympana, vexilla, & reliquam supellectilem bellicam, neque domos, fenestras & officinas suas obserare & obseratas tenere in diebus supplicationum & jejuniorum, quæ in-*

instituta erant ad implorandam benedictionem & progressum armorum illius Regni aut Reipublicæ, sub qua vivebant, neque gratias agere pro victoriis multo sanguine utrinque acquisitis voluerint. Ne autem Reges ac Magistratus omnes bellum gerentes, ipsumque Carolum II. Magnæ Britanniæ Regem, cui suam Apologiam dedicaverat, ex Christianorum societate prorsus ejicere videatur, censet equidem in illa *Apolog.* Thes. XV. §. XV. p. 370. *præsentibus Christiani orbis Magistratibus in eo, quo versantur, statu bellum justis de causis susceptum non omnino illicitum esse*, existimat autem, iis Christianis Magistratibus, qui ad pleniorem Christianitatis perfectionem pertigerunt, *purum, patientem & tolerantem spiritum* consecuti, non licere, carnalibus armis se tueri, sed ipsis per omnia in Deum confidendum, qui fortasse miraculo protecturus sit ipsos, qui a defensione sui, quæ tamen juris naturæ est, per sui abnegationem abstinent. Atque hinc constat simul, contra quos Antagonistas in thesi nostra asseruerim, *Christianum* quoque *Magistratum, ad pleniorem perfectionem perductum*, gerendi belli potestatem habere.

§. 6. Complura, quæ ad convellendam thesin nostram in medium adducuntur, argumenta inter tot alios clarissimos Theologos B. *Bechmannus* noster in *Annot. ad Hutt.* Loc. XXVII. Qu. VIII. erudite solideque confutavit. Nos in præsenti non possumus non respondere *Bar-*

clajo, illi Quakerorum antesignano, qui in *Apolog.* Thes. XV. §. XV. pag. 366. 370. confitetur quidem, defensionem sui esse juris naturalis, quando autem urgetur porro, Religionem Christianam non destruere naturam, respondet, *naturam* tamen per *religionem Christianam*, si Christiani vi religionis suæ *se in fide & patientia Deo commendent, exaltari plane & perfici*, atque adeo bella etiam defensiva, quatenus progressum ad perfectionem Evangelicam a Christo commendatam & inculcatam impediunt, Christianis prohiberi. Scilicet jus naturæ est ipsum jus divinum morale simpliciter immutabile, hocce vero divinum jus per religionem christianam nec in se limitatur, nec in se corrigitur. Neque vero adparet, quomodo agere id, quod jure divino immutabili præceptum est, progressum ad pleniorem Christianorum perfectionem impedire possit.

Thes. XVI.

In Magistratum etiam Christianum competit (5) jus atque potestas juramentum sive homagii, sive testimonii, sive purgatorium, sive promissorium, a subditis postulandi.

§. 1. Thesin hanc eodem, quo proxime antecedentem, modo probamus, tale nectentes

tes argumentum: *Quicquid per se facit ad salutem & felicitatem reip. neque per se cum lege naturæ & divina pugnat, ad id cujusvis Magistratus, majestate plena pollentis, etiam Christiani, potestas sese extendit. Atqui postulare juramentum a subditis per se facit ad salutem & felicitatem reip. neque per se cum lege naturæ & divinæ pugnat, Ergo &c.* Majoris propositionis veritas in § 1. ad Thesin proxime præcedentem liquido ostensa est. Minor autem haud difficulter nunc demonstratur. Nimirum quod ad prius propositionis illius membrum attinet, juramentum, atque adeo etiam a subditis juramentum poscere ad sopiendas lites civiumque exortas controversias dirimendas, ad innocentiam oppressorum civium manifestandam & vindicandam, ad crimina civium improborum revelanda, & pœnas justas facinorosis irrogandas, ad fidem in societate civili firmandam & constabiliendam, civiumque animos invicem, & societati ipsi arctius devinciendos pertinet. Quod ipsum B. Lutherus præclare edocet, quando in *Catech. Maj.* explic. præc. II. §. Ita, inquit: *Ad bonum & proximi utilitatem licet nobis jurare. Est enim opus valde bonum, quo Deus laudatur, veritas & justitia confirmatur, mendacium refellitur, homines dissidentes in concordiam rediguntur, obedientia exhibetur, & lites componuntur. Nam Deus ipse hic intervenit, segregans justitiam ab injustitia, ac bonos malosque disjungens.* Alte-

rum vero minoris propositionis membrum (nempe *juramentum postulare a subditis cum lege naturæ & divina non pugnare*) vel inde patet, quod juramentum in se cum lege naturæ & diuina non pugnet, Magistratus vero supremus minime legi naturæ ac divinæ adversetur, si subditis iujungat aliquid, quod legi naturæ ac divinæ non repugnat. Juramentum autem in se cum lege naturæ ac divina non pugnare, ex eo liquet, quod Deus ipse Devter. VI, 13. ita præceperit: *Dominum Deum tuum timebis, & illi servies, & in nomine eius jurabis*; quin imo *Esa.* LXV, 16. prædixerit, hanc fore notam civium regni Christi, quod in nomine veri Dei juraturi sint. Quo accedit, quod, (uti *Lutherus* in Catech. Maj. l. c. monet) pro certo constet, Christum, (*Ioh.* XVI, 24.) Paulum (*Rom.* I, 9. 2. *Cor.* II, 23.) aliosque sanctos (e. g. Mosen *Ios.* XIV, 9.) jurasse.

§. 2. Quod si igitur quivis Magistratus, etiam Christianus, jus & potestatem habet juramentum a subditis postulandi, sane Christiani, exposcente Magistratu, juramentum sine peccato præstare possunt. Christiani enim omnibus Magistratuum suorum postulationibus & mandatis, quæ injusta non sunt, obtemperare debent. Hinc *Augustana Confessio* Art. XVI. docet, quod *Christianis liceat, jus jurandum postulantibus Magistratibus dare.*

§. 3. Disputamus hic quoque adversus *Anabaptistas* pariter & *Quakeros*. Anabaptistæ enim

nim *in Colloquio Franckenthalensi* ad Art. V. Actione XX. n. 23. seqq. p. 413. seqq. professi sunt, *juramenta sine exceptione a Christo interdicta esse*. Quocirca *Augustana Confessio* l. c. damnat *Anabaptistas*, quod hoc *civile officium*, *quo jus jurandum postulantibus Magistratibus datur*, *Christianis interdicant*. Sed & *Formula Concordiæ* Art. XII. §. 8. inter *Anabaptistarum* errores, qui in Politia sunt intolerabiles, hunc refert, quod *homo Christianus non possit sana conscientia jusjurandum præstare*, *nec juramento interposito Principi aut Magistratui suo qualicunque fidelitatem & obedientiam promittere*. Consimili modo *Solida* Formulæ Conc. *Declaratio* Art. XII. §. 13. inter falsa *Anabaptistarum* dogmata illud quoque recitat, quod Christiani sana conscientia in foro civili juramentum præstare, aut magistratui suo fidem sub religione jurisjurandi astringere non possint. Sequitur præeuntes Anabaptistas *Quakerorum* Secta, ex qua *Barclajus* Apol. Thes. XV. §. II. proposit. V. pag. 334. docet, quod *non liceat omnino jurare sub Evangelio*, *non solum non vane vel in communi locutione*, *sed etiam nec in judicio coram Magistratu*. Consimilia his vide apud *William Catton* in Beschirmung der unschuldigen wieder die Läster-Mäuler pag 7. n. 12. & pag. 43. nec non im Schall der Wahrheit contra Christ. Pauli hellklingenden Wiederschall, pag. 11.

§. 4. Contra Thesin nostram *Anabaptistæ & Quakeri* præcipue objiciunt, quod Christus *Matth.* V, 34. ubi ait: *Ne juretis omnino*, juramenta generaliter sine exceptione prohibeat. Verum enim vero uti alias (ceu *Gerhardus* in annot. ad h. l. observat) *quædam videntur simpliciter prohiberi, cum tamen non nisi secundum quid prohibeantur*, ita *Matth.* V, 34 ne juremus, non simpliciter & absolute, sed tantum secundum quid vetatur, cum prohibeatur saltem, ne temerarie & sine causa, aut in re levi, ubi nec Dei gloria, nec proximi utilitas juramento promovetur, juremus. Quare *Lutherus* in Catech. Maj. l. c. accurate & erudite scribit: *Ex hac intelligentia* (præcepti secundi) *haud difficulter ad quæstionem responderi potest, quæ multorum doctorum non vulgariter torsit & conturbavit ingenia, Quamobrem in Evangelio nobis, ne juremus interdictum sit, cum pro certo constet, Christum, Paulum, aliosque Sanctos juravisse sæpe numero? Estque breviter hæc sententia: Equidem nullo modo nobis ad mala jurandum est, hoc est, ad mendacia, & ubi neque utile neque necesse est. Verum ad bonum & proximi utilitatem licet nobis jurare*

Thes. XVII.

Habet Magistratus Christianus (*b*) aliquam potestatem circa *sacra*, seu jus aliquod

quod in his, quæ ad religionem attinent.

§. 1. Rerum *sacrarum* nomine h. l. intelliguntur ea, quæ ad religionem, h. e. ad cultum Dei, pertinent. Cum autem religio, ipso docente *Aristotele* Lib. VIII. *Polit.* cap. 8. sit τὸ κύριον (h. e. *præcipuum*) eorum, in quibus salus reip. consistit, res sacræ rebus civilibus, seu iis rebus, quæ salutem ac felicitatem civitatis seu reip. respiciunt, non ita sunt contradistinguendæ, ut nulla res sacra materialiter simul civilis esse posse dicatur, sed res sacras & civiles semper formaliter distingui invicem statuendum est.

§. 2. *Sacrorum* igitur appellatio latissime patet, atque hoc nomine significari solent (1) ipsa fidei dogmata, quæ ad salutem creditu necessaria sunt, (2) actiones divinitus præceptæ, & ad æternam animarum salutem ordinatæ, quarum aliæ communes sunt omnibus fidelibus, aliæ Ministrorum Ecclesiæ propriæ. Prioris generis sunt v. g. usus Sacræ Cœnæ, frequentatio templi ad audiendum Verbum Dei &c. Posterioris autem generis sunt prædicare Evangelium, administrare Sacramenta, absolvere a peccatis, retinere peccata &c. (3.) Sacris annumerantur omnia reliqua, quæ ad religionem & cultum Dei ordinantur, ut sunt congregatio conciliorum, ordinatio ac reformatio religionis, ceremoniæ ecclesiasticæ, constitutiones & leges de externis ritibus ac ceremoniis ecclesiasticis, visitationes

ecclesiarum, vocatio & constitutio ministrorum ecclesiæ, erectio & constitutio scholarum publicarum, disciplina Ecclesiastica, & in vitia Clericorum animadversio &c.

§. 3. Tribuimus autem in thesi nostra Magistratui Christiano *aliquam*, non vero *absolutam* circa sacra potestatem. Profitentur enim *Protestantes*, dogmata fidei, itemque Sacramenta, ut & actiones sacras divinitus præceptas, secundum se non subesse Magistratus potestati. Docent quoque, Magistratum politicum eas sacras actiones, quæ Ministrorum Verbi & Sacramentorum propriæ sunt, non sibi arrogare, sed Ministris illis relinquere, in reliquis autem, quæ ad externum ecclesiæ regimen pertinent, non tam suo solius judicio niti, quam adscito Ministrorum Ecclesiæ aut Theologorum consilio, cognitisque rationibus negotia sacra perficere debere. Atque id ipsum, quod *Protestantes* Magistratui non absolutam, sed aliquam circa sacra potestatem concedant, ex aliis indiciis manifestissimis patet. Constat quippe omnibus, quod passim in *Protestantium* terris Magistratus supremus, & subditi diversam sequantur religionem, quodque in casu reformationis subditis religione dissidentibus beneficium emigrationis indulgeatur.

§. 4. Dixi jam, dogmata fidei *secundum se* non subesse Magistratus potestati, hoc est, non ita cadere sub Magistratus potestatem, ut Magistratus ea possit in sua ditione abrogare, vel contraria

ria iis introducere. Cujus asserti veritas ex eo demonstratur, quod fidei dogmata dependeant ex Dei supernaturali revelatione, cujus vi fideles omnes, Magistratus pariter & subditos, ad sui assensum, ut ipsis nec addere nec demere quicquam mortalium ulli liceat, obstringant, *Gal. I, 9. Deuter. IV, 2. c. V, 22. c. XII, 32.* Quamvis vero dogmata fidei secundum se non subsint Magistratus potestati, aliqua tamen circa ea potestas Magistratui Christiano convenit, in quantum videlicet incumbit ipsi cavere, ne Ecclesia falsis doctrinis contaminetur, & curare, ut controversiæ circa ea exortæ dirimantur & componantur.

§. 5. Asserui porro in præcedente §. 3. actiones sacras divinitus præceptas *secundum se* non subesse Magistratus potestati, h. e. non ita cadere sub Magistratus potestatem, ut Magistratus eas prohibere, vel contrarium præcipere aut dispensando permittere possit. Namque ad illas actiones sacras, quæ omnibus fidelibus communes sunt, ipse Magistratus Summus una cum omnibus suis subditis vi voluntatis divinæ obligatus est: Qui vero ipse cum aliis ad actionem aliquam præstandam obligatur, is nulla pollet potestate, eam aliis prohibendi, vel contrariam actionem illis præcipiendi aut dispensando permittendi. Et actiones Ministris Ecclesiæ propriæ eo ipso secundum se non cadunt sub Magistratus Summi potestatem, quod divinitus præcep-

ceptæ sint : Summus enim Magistratus Deo tanquam Creatori suo, & Domino omnium supremo, subjicitur, subditus vero & inferior non habet potestatem ea, quæ superior præcepit, prohibendi aut contraria præcipiendi, vel dispensando concedendi. Licet autem actiones sacræ, divinitus præceptæ, per se non subsint Magistratus potestati, Magistratui tamen circa eas potestas aliqua convenit, in quantum ipsi incumbit curare, ut actiones illæ voluntati divinæ convenienter perficiantur, atque isti subditi, qui actiones istas intermittunt, aut contrarium faciunt, severe puniantur.

§. 6. Docui quoque in §. 3. præcedente, Magistratum summum, quando suam circa sacra potestatem exercet, Doctorum Ecclesiæ aut Theologorum consilio uti debere. Hoc ipsum enim injunctum est Magistratui in Scripturis *Deuter.* XVII, 18. Ios. 1. 7. & sollicite observatum a piis Regibus, Davide *I. Chron.* XVI. & XVII. Assa 2. *Chron.* XIV. XV. Iosaphato c. XVII. & XIX. Ezechia c. XXIX. XXX. Iosia c. XXXIV. & XXXV. Hinc etiamnum hodie apud *Protestantes* in iis, quæ ad externum Ecclesiæ regimen pertinent, a summis Magistratibus Consistorium, seu Senatus ecclesiasticus, ex personis non solum Politicis sed & Ecclesiasticis constans, in consilium vocatur, nec raro Collegia Theologica Academica ab ipsis consuluntur.

§. 7.

§. 7. Thesin nostram hactenus declaratam, quæ Magistratui Summo aliquam circa sacra potestatem vendicat, primum hocce constabilitum imus argumento: *Quæcunque per se faciunt ad salutem & felicitatem reipublicæ, neque per se cum lege naturæ & divina pugnant, circa ea Magistratus supremus, plena majestate pollens, aliquam habet potestatem. Atqui ea, quæ ad religionem attinent, per se faciunt ad salutem & felicitatem reipublicæ, neque per se cum lege naturæ & divina pugnant: Ergo circa ea, quæ ad religionem attinent, Magistratus supremus, plena majestate pollens, aliquam habet potestatem.* Majoris veritas ex eo adparet, quod omnis Magistratus, qui plena majestate præcellit, obligatus sit ad salutem & felicitatem reipublicæ semper, ubivis, & quocunque modo promovendam, is vero, qui ita obligatus est, in iis omnibus, a quibus salus reipublicæ dependet, potestatem omnino habeat, quia necessitas finis jus facit. Prius vero minoris propositionis membrum (ea videlicet, quæ ad religionem attinent, per se facere ad salutem & felicitatem reip.) in aprico est. Constat enim in vulgus, & vel Ethnicis Philosophis notum fuit, quantum valeat religionis recta constitutio ad salutem, utilitatem & tranquillitatem publicam, & quod absque ea Respublica nulla possit esse prospera, tuta & tranquilla. Unde gentiles etiam magistratus suam circa sacra potestatem habuerunt, atque (ut superius ob-

ser-

servavi) inter ea, quæ per se ad salutem & felicitatem reipublicæ faciunt, religionem non infimam, sed præcipuam partem esse, ipse *Aristoteles* Lib. VIII. *Polit.* c. VIII. docuit. Sic & alterum ejusdem propositionis membrum (ea scilicet, quæ ad religionem attinent, per se cum lege naturæ ac divina non pugnare) liquidissime patet. Religio enim seu cultus Dei lege naturæ & divina præcipitur.

§. *8.* Ad comprobandam thesin nostram *secundo* huncce admodum argumentamur: *Cuicunque custodia legis divinitus commissa fuit, ei in his, quæ ad religionem attinent, aliqua potestas competit. Atqui Magistratui Politico custodia legis divinitus commissa fuit. Ergo Magistratui Politico in his, quæ ad religionem attinent, aliqua potestas competit.* Minor ex *Deuter.* XVII. 18.19. *Ios.* I, 7. II. *Reg.* XI, 12. II. *Chron.* XXIII, 11 manifesta est. Major facile probatur. Cui enim custodia legis commissa fuit, ei demandata est cura & custodia religionis seu cultus Dei, cum prior decalogi tabula de cultu Dei immediato, posterior de cultu Dei mediato disponat. Cui autem demandata est cura & custodia religionis, ei sane, cum necessitas finis jus faciat, aliquod jus in his, quæ ad religionem pertinent, competit (e. gr. jus severas leges adversus atheos & religionis contemtores sanciendi, jus leges, quando & ubi cultus Dei publice exercendus sit, præscribentes ferendi, loca publica, in quibus reli-

religio cultusque Dei declaratur, templa nempe & scholas, erigendi, ministros cultum Dei edocentes constituendi, &c.

§. 9. Speciatim contra Pontificios, Magistratui summo Christiano aliquam circa sacra potestatem convenire probaturi, hocce efformamus argumentum: *Si prioribus seculis Imperatores Christiani de rebus sacris, ac personis ecclesiasticis leges, nemine Pontificum Romanorum tunc viventium repugnante, ac potius cum singulari ipsorum, aliorumque præsulum applausu tum sanciverunt primum, tum in conciliis jam conditas confirmarunt, sequitur, quod Magistratui Summo Christiano aliqua circa sacra potestas, e. gr. potestas leges ecclesiasticas ferendi aut confirmandi, competat.* Consequentiæ vis oppido patescit. Si enim Magistratui Christiano supremo non conveniret aliqua circa sacra potestas, e. gr. jus leges ecclesiasticas ferendi aut confirmandi, profecto præsules Romani antiquiores, aliique episcopi ac Doctores illos Christianorum Imperatorum conatus plausu suo non foviissent, sed eos potius Principes, ne alienam sibi potestatem arrogarent, admonuissent. Vt autem nostri argumenti antecedens plenius comprobetur, duo sunt ostendenda. Unum, quod Christiani Imperatores seculis prioribus de rebus sacris atque ecclesiasticis personis leges tum sanciverint primum, tum in conciliis jam conditas confirmarint; alterum, quod id factum sit nemine Romanorum

norum Pontificum tunc viventium repugnante, sed potius cum singulari ipsorum, aliorumque præsulum applausu. Quod ad primum attinet, ipse Papa *Gregorius Magnus* Mauritii Augusti legem ecclesiasticam (ne scilicet hi, *qui militiæ, vel rationibus publicis sunt obstricti, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasteriis convertantur*) publicabat, & ad Siciliæ episcopos observandam transmittebat; quemadmodum & ipsum jus Canonicum c. *Legem* Dist. LIII. verba *Gregorii* in epist. XI. Libr. VII. dedrehensa, quibus lex ista Siciliæ præsulibus observanda inculcatur, adducit. Ac ipsa *Glossa Decretalis* Dist. LXXXIV. fatetur, quod *amplius DCCC. a nativitate Christi annis Imperatores leges de rebus ecclesiasticis non solum tulerint, sed quod Ecclesia etiam iis obediverit.* Extant hinc in *Codice Theodosiano* multæ ecclesiasticæ sanctiones, ab Imperatoribus editæ, quas integer liber decimus sextus sub undecim titulis exhibet. Cumprimis ex tanta legum ecclesiasticarum copia in codice isthoc obvia memorabilis est ea, quam, cum insatiabilis jam videretur Romani Cleri vorago, Valentinianus, Valens & Gratianus tulerunt, huic velut carcinomati cauterium adhibituri. Prohibent quippe Imperatores Libr. XVI. de Episc. & Cler. *ne Ecclesiastici, vel qui volunt continentium se nominibus nuncupari, viduarum ac pupillarum domos adeant,* sanciuntque

que apertis verbis, ut mortales illi *nihil de ejus mulieris, cui se privatim sub prætextu religionis adjunxerunt, liberalitate quacunque, vel extremo judicio possint adipisci, & omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subjectam personam valeant aliquid vel donatione, vel testamento percipere;* quin ajunt Imperatores, *si forte post admonitionem legis nostræ aliquid his eæ fœminæ vel donatione, vel extremo judicio putaverint relinquendum, id fiscus usurpet.* Sed & in *Codice Justinianeo* videre est complures leges de rebus & personis Ecclesiasticis a variis Imperatoribus propria autoritate latas, ceu Codicis illius Tituli de *Summa Trinitate & Fide Catholica*, de *Sacrosanctis Ecclesiis*, deque *rebus & privilegiis earum*, de *Episcopis & Clericis*, de *Episcopali audientia*, de *Hæreticis & Manichæis*, *Ne sanctum baptisma iteretur*, de *Apostatis*, de *Paganis*, *Sacrificiis & Templis* &c. manifeste comprobant. Nec non inter *Novellas* multæ reperiuntur, ut 3. 5. 6. 7. 11. 16. 22. 40. 42. 43. 46. 55. 56. 57. 58. 59. 65. 67. 76. 79. 81. 83. 86. 111. 117. 120. 123. 131. 133. 137. 140. 146. in quibus quam plurimæ habentur constitutiones, partim de rebus causisque ecclesiasticis agentes, partim episcopis aliisque Clericis aliquam vivendi ra-

tionem præscribentes, quas Imperator *Justinianus* pro ratione temporis & circumstantiarum, aut juxta modernam in regimine & foro ecclesiastico observantiam noviter sua autoritate edidit. Inprimis ab omnibus, qui nullo partium studio abrepti veritatem amant, evolvatur hic & expendatur Novella 123. capita 44. eaque diversi generis complectens, in qua manifesto sanciuntur multa ad ejus temporis statum spectantia, & nunquam ante constituta; prout in capite nono ejusdem Novellæ diserte sancitur, ne illis *episcopis, qui sub archiepiscopo Constantinopoleos & Patriarcha fuerint, citra permissionem ejus aut jussionem imperatoriam ad regiam urbem venire liceat, & ut episcopi eo accedentes, cujuscunque sint diœceseos, archiepiscopum Constantinopolitanum & patriarcham adeant, atque ita per ipsum ad Imperatorem ingrediantur.* Quin imo Glorioſissimus ille Imperator ecclesiæ universæ canones confirmavit, atque adeo (id quod legislatoriam circa sacra potestatem omnino arguit) iis vim legis publicæ proprie ac in rigore sic dictæ conciliavit, ut autoritatem *canonicam* & *civilem* obtinerent, eorumque temeratores legum civilium pœnis vindicari possent. Liquet id vel ex sola inscriptione Codicis canonum ecclesiæ universæ, Parisiis

risiis ann. 1606. cum privilegio Regis ex *Christophori Justelli* recensione; & Helmstadii ann. 1663. cum *Gebhardi Theodori Mejeri* Historica Relatione editi. Illa quippe inscriptio ita habet: *Codex canonum ecclesiæ universæ a Justiniano Imperatore confirmatus.* Cæterum ipsum Imperatoris edictum in novella constitutione CXXXI. comprehensum, quo ille canonum codex confirmatus fuit, superius in Loco de Ecclesia commemoravi, & ex doctissima *Balsamonis* observatione illustravi. Quod attinet porro ad antecedentis, quo nostrum argumentum constat, membrum alterum (*sanctionem* nempe, aut *confirmationem legum ecclesiasticarum a Christianis Imperatoribus factam esse nemine Romanorum Pontificum tunc viventium reluctante, sed potius eum singulari ipsorum, aliorumque antistitum & Doctorum applausu*) laudatam Mauritii Augusti legem ecclesiasticam Papa *Gregorius Magnus* tantopere approbavit, ut non solum eam publicaret, & ad Siciliæ episcopos observandam transmitteret, verum etiam Mauritium adpellitaret *piissimum Imperatorem.* Vid. *Gregorii M.* epistola XI. Libr. VII. Ac laudatam Valentini, Valentis & Gratiani legem, avaritiæ Cleri Romani oppositam, *S. Hieronymus* magnopere commendat, simulque Romani

Cleri in emungendis hominibus & ambiendis matronarum legatis artes, quæ mandato tam severo ansam præbuerunt, graviter exagitat. *Pudet*, inquit, *dicere: Sacerdotes idolorum, mimi & aurigæ, & scorta hæreditates capiunt; Solis Clericis & Monachis hac lege prohibetur, non a persecutoribus, sed a Principibus Christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. Cauterium bonum est: Sed quod mihi vulnus, ut indigeam cauterio? Provida severaque Legis cautio: & tamen nec sic refrenatur avaritia. Per fideicommissa legi illudimus, & quasi majora sint Imperatorum scita quam Christi, leges timemus, Evangelia contemnimus.* Eandem legem *Ambrosius* in Libello *adversus relat. Symmachi* commemorat collaudatque, *contra nobis*, inquiens, *etiam privatæ successionis emolumenta recentibus legibus denegantur*, & NEMO CONQVERITVR. Tandem *Justinianum* quoque Imperatorem tot de rebus sacris & personis ecclesiasticis leges, nemine Romanorum Pontificum ætate ea florentium repugnante, sed potius cum singulari ipsorum, aliorumque præsulum applausu tum sanciviſſe primum, tum in conciliis jam conditas confirmasse, ex Historicorum monumentis oppido elucet. Quippe ipsemet *Johannes*

hannes Papa (ut Cardinalis *Baronius* in Annal. Eccles. ad ann. 528. n. 5. narrat) testatus est, ea, quæ de fide Justinianus promulgaret, edicta facere ipsum consuevisse ex Episcoporum consensu. Ac *Felix*, *Agapetus*, *Silverius*, *Vigilius*, *Pelagius* (qui omnes imperante Justiniano Romanum obierunt præsulatum, sæpiusque literas, quas & *Baronius* recenset passim, ad ipsum dedere) Imperatoris istius, quotannis fere constitutiones ecclesiasticas edentis conatui ne verbo quidem obnisi sunt, nec unquam ipsum, ne alienam sibi potestatem arrogaret, admonuerunt; verum *Vigilius* potius in literis ad Imperatorem exaratis (quas ipse *Baronius* ad ann. 540. n. 15. integras commemorat, & in quibus *Vigilium*, *mira transformatione in virum alterum*, nempe *ex hoste in defensorem*, *ex persecutore in prædicatorem*, *ex blasphemo in confessorem*, *atque demum in omnibus ex perfido in fidelem mutatum consona sanctis Patribus prophetasse* ait) in Domino gloriatur, quod *non imperialem solum*, *sed etiam sacerdotalem Imperatori animum concesserit*, *omnibusque sacerdotibus infinita gaudia conciliata esse prædicat*, *quod insertum per Dei gratiam cordi Imperatoris Evangelicæ veritatis lumen universali Ecclesiæ resplendeat.* Sic & *Johannes* Papa in *literis ad Justinianum*

conscriptis (quas *Baronius* in Annal. ad ann. 534. n. 15. seqq. adducit) non tantum Imperatorem illum Christianismi Principum titulo cohonestat, sed & profitetur, *inter claras sapientiæ ac mansuetudinis Imperatoris laudes puriore luce tanquam aliquod sidus irradiare, quod amore fidei, quod charitatis studio, edoctus ecclesiasticis disciplinis, Romanæ sedis reverentiam conservet, & ei cuncta subjiciat.* Ac Papa *Agathon* non solum in epistola ex Romana centum viginti quinque Episcoporum Synodo ad Heraclium & Tiberium Imperatores missa (quæ recitata extat in Synod. sexta Act. 4.) Justinianum *æmulatorem veræ & Apostolicæ fidei, piæque memoriæ Augustum, cujus fidei rectitudo quantum pro sincera confessione Deo placuerit, tantum remp. Christianam exaltaverit*, diserte nuncupat, sed etiam in alia epistola ex eodem concilio missa de eo prædicat, quod ipsius *virtus & pietas omnia in meliorem ordinem restauraverit, & ad ejus instar alios remp. Christianam tueri & restaurare deceat.*

§. 10. Ad tertium nostrum, quod contra *Pontificios* directum est, argumentum *Baronius* in Annal. Eccles. ad ann. 1528. n. 5. & 6. nec non ad ann. 541. n. 3. excipit, *Justinianum* aliosque Imperatores in tradendis legibus

gibus ecclesiasticis non ut legum conditores, sed ut custodes & executores sanctorum canonum sese præstitisse. Verum enim vero Cardinalis sua hac exceptione tum Gregorio Magno, Romano Pontifici, Glossæque ad Decret. Dist. LXXXIV. consignatæ, tum sibimet ipsi contradicit. Ille enim Pontifex *Epist.* XI. Libr. VII. Mauritii Augusti legem ecclesiasticam, in §. proxime antecedente a nobis memoratam, diserte vocat *legem ab Imperatore datam.* Ac Glossa ista aperte profitetur, quod amplius DCC. a nativitate Christi annis Imperatores leges de rebus ecclesiasticis TVLERINT. Sibi ipsi vero turpissime contradicit, cum alibi (e. gr. ad ann. 548. n. 5. 6. 8. ad ann. 541. n. 15. 16. 21. ad ann. 565. num. 1. 2. 6. 9.) Justinianum ob traditas leges ecclesiasticas gravissime perstringat, ac speciatim ad ann. 541. num. 15. scribat, Imperatorem illum, *novellam* CXV. (quæ potestatis circa sacra & personas ecclesiasticas ab Imperatore exaratæ manifestum documentum est) *promulgantem, sibi nimium de* ECCLESIASTICIS IURIBUS *arrogasse, canones ipsos conculcasse, penitusque pessumdedisse ecclesiasticam oeconomiam, ac per provinciarum præfectos episcoporum judicia exerceri, & ab ipsis eosdem ad majores præfectos, &, si opus esset, ab iis ad Imperatorem provocare, præter jus fasque voluisse.* Si e-

nim *Iustinianus* in tradendis legibus ecclesiasticis non ut legum conditorem, sed ut custodem & executorem sanctorum canonum sese præstitit, quo jure, qua fronte scribere potuit *Baronius*, Imperatorem, hanc vel illam legem ecclesiasticam promulgantem, sibi nimium de ecclesiasticis juribus arrogasse, canones ipsos conculcasse, ecclesiasticam œconomiam penitus pessumdedisse, ac præter jus fasque observanda quædam suis sanctionibus præcepisse? An Princeps Christianus summus, id agens unice, ut sanctorum canonum custodem & executorem sese exhibeat, hanc vel illam legem ecclesiasticam promulgando sibi nimium de juribus ecclesiasticis arrogat, canones ipsos conculcat, ecclesiasticam œconomiam pessumdat & præter jus fasque suis sanctionibus observanda quædam præcipit? Certe nec ipse *Baronius* cum reliquis curiæ Romanæ assentatoribus hoc asseveraverit, cum ad ann. 528. n. 6. aperte ajat: *Sic igitur cum in his tradendis tum ipse Justinianus, tum etiam alii Imperatores non aliud nisi custodes & executores sanctorum canonum se habuerint, nihil plane est, ut ab ipsis promulgatæ improbari debeant sanctiones.* Multas rationes alias, quibus Justinianus a *Baronii* calumniis & dicteriis vindicatur, in nostra de *Legibus ecclesiasticis* dissertatione, anno 1698. lenæ habita,

bita, Thes. IV. §. X. pag. 40. seqq. adduximus.

§. 11. Sic igitur ipsa nostra thesis opponitur inprimis *Pontificiis*, qui Magistratui omnem potestatem ecclesiasticam denegant, executionem duntaxat decretorum ac mandatorum Cleri eidem relinquentes. Vid. *Bellarminus* Lib. III. de Laicis cap. XVII. Pontificiorum sententiam amplexi hic sunt *Anabaptistæ* quippe qui (ut ex *Bullingero* & *Wigando* refert *Schlüsselburgius* in Catal. Hær. Libr. XII. p. 362.) palam docuerunt, Magistratum nec posse nec debere curare negotia religionis, cum ministeria Magistratus Politici & concionatorum non sint confundenda. Sic & *Quakeri* statuunt, in his, quæ ad religionem attinent, nihil juris habere Magistratum, quantumvis inter Christianos reputandum. Vid. *Franc. Howgill* einige Eröffnung des Buchs der Morgen-Röthe pag. 13. 14. Conferatur *Quakerorum* supplex ad Senatum Hamburgensem libellus, cujus excerpta in Ministerii Hamburgensis Quäcker-Greuel cap. X. §. III. pag 355. deprehenduntur. Quæ *Quakerorum* doctrina opinione illa fanatica nititur, quod *tota religio in cultu interno, per Spiritum immediate illuminantem, dirigentem, trahentem, præstando, consti-*

ſtat, neque actus externos, niſi ab ejusmodi internis motibus proficiſcentes, eo referre liceat.

Theſ. XVIII.

Et quidem de *jure naturæ* atque adeo etiam *divino*, Magiſtratui ſupremo, majeſtate plena pollenti, ea, quam circa ſacra habet, poteſtas competit.

Ille enim Magiſtratus, cum jure naturæ & divino obligatus ſit ad ſalutem & utilitatem reip. ſemper, ubivis, & quocunque modo promovendam, neceſſitas vero finis facultatem moralem uſurpandi media conferat, etiam de jure naturæ & divino habet poteſtatem diſponendi & ordinandi omnia, quæ per ſe faciunt ad reip. ſalutem & utilitatem. Atqui inter hæc religionem non infimum, ſed præcipuum locum obtinere, in præcedentibus oſtenſum eſt.

Theſ. XIX.

Speciatim ad *Proteſtantium* Principes & ſtatus in Romano Imperio poteſtas

ſtas eccleſiaſtica *externa*, eaque tota, quam Papa & epiſcopi Pontificii ſibi ſolis vendicaverant, per Pacem religioſam anno 1555. Auguſtæ in frequentiſſimis & auguſtiſſimis comitiis ſancitam, ac in Capitulationibus Cæſareis & Inſtrumento Pacis confirmatam, pragmatica quadam ſanctione, ac inviolabili & in perpetuum obſervanda conſtitutione in ſe & revera ſic delata fuit, ut epiſcopi Pontificii in Proteſtantium terris nullam amplius poteſtatem eccleſiaſticam revera, & in effectu poſſideant.

§. 1. Ipſe *Carpzovius* in Jurispr. Eccleſ. definit. II. num. 13. & 14. poteſtatem eccleſiaſticam diſtinguit in *internam* & *externam*, & illam quidem in prædicatione Verbi, adminiſtratione Sacramentorum, & poteſtate clavium conſiſtere, ac ſolis eccleſiæ miniſtris relinquendam docet, hanc vero propagationem Religionis, jurisdictionem eccleſiaſticam (externam), curam ac defenſionem Eccleſiæ reſpicere, nec Magiſtratui Politico denegandam ait. Scilicet poteſtas

eccle-

ecclesiastica externa circa res ecclesiæ externas, externumque ecclesiæ ordinem, & gubernationem externam versatur, ut adeo (si complexe & totaliter sumatur) sit complexio omnium & singulorum jurium ecclesiasticorum externorum, quæ itidem circa res ecclesiæ externas, atque circa externum ecclesiæ ordinem & gubernationem externam occupantur.

§. 2. Iura ecclesiastica externa, quæ ad potestatem ecclesiasticam externam pertinent, sunt multa & varia, jus nempe disciplinam ecclesiasticam conservandi, excommunicandi (excommunicatione simpliciter sic dicta, seu excommunicatione majore), visitationes ecclesiasticas instituendi, sumtusque ad eas colligendi, in improbos ecclesiarum & scholarum ministros inquirendi, illosque, ut sese judicio sistant, compellendi, convictos scelerum puniendi, Clericos ab officio & dignitate suspendendi, deponendi & restituendi, jus manifestas & ab ecclesia damnatas hæreses cultusque idololatricos abolendi, &, ut ecclesia ab iis repurgetur, curandi, jus cognoscendi & decidendi causas Clericorum omnes & secularium spirituales, scholas ac templa erigendi & conservandi, scholarum & templorum ministris de honesta sustentatione

one prospiciendi, bona ecclesiastica mobilia & immobilia ordinandi & gubernandi, leges ecclesiasticas ferendi, in gradibus consanguinitatis & affinitatis, circa matrimoniorum contractus solo jure positivo ecclesiastico prohibitis, atque in aliis, quæ lege positiva ecclesiastica determinata sunt, dispensandi &c.

§. 3. Potestas ecclesiastica *interna*, quæ non Politico Magistratui, sed solis ecclesiæ Ministris competit, vulgo apud Protestantes in potestatem internam *ordinis*, & potestatem internam *jurisdictionis* distinguitur, atque illa potestatem Verbum Dei docendi & Sacramenta administrandi continere, hæc vero in potestate clavium (h. e. in potestate remittendi & retinendi peccata) consistere dicitur. Vid. *Chemnitius* in Exam. Concil. Trid. Part. II. de Sacram. Ordinis, & *Ioachimus Hildebrandus* in Exercit. altera de Episcopis §. VII. Vtrum vero potestas Ministros ecclesiæ ordinandi (quam ad potestatem ecclesiasticam internam, cui Magistratus Politicus nequaquam intromittere se debeat, *Carpzovius* in Jurispr. Consist. Defin. X. refert) ad potestatem ecclesiasticam internam ordinis, an ad potestatem ecclesiasticam jurisdictionis spectet,

ſpectet, adhuc diſputari ſolet. Nos eam ad poteſtatem ordinis referendam putamus, ſi poteſtas ordinis eſſe dicatur poteſtas, quæ vi ordinationis absque ulla jurisdictionis ſpecie quibusvis Eccleſiæ miniſtris confertur, aut ordinationi annexa eſt velut potentia actui.

§. 4. Poteſtas Verbum Dei docendi & Sacramenta adminiſtrandi idcirco apud nos (*Zieglero* in not. ad Lancell. Inſtit. Jur. Canon. Libr. I. Tit. IX. §. 9. docente) poteſtas *ordinis* adpellatur, quod vi ordinationis absque ulla jurisdictionis ſpecie quibusvis Eccleſiæ miniſtris demandetur; poteſtas vero remittendi & retinendi peccata ex ea ratione (obſervante eodem ſcriptore) poteſtas jurisdictionis nuncupatur, quod ſpeciem habeat alicujus jurisdictionis, & cum illa quodammodo conveniat (ſeu jurisdictionem ἀ κύρως & analogice ſaltem ſic dictam importet.)

§. 5. Sic igitur poteſtas docendi Verbum & porrigendi Sacramenta ſtricte & κατ' ἐξοχήν vocatur poteſtas ordinis. Si enim poteſtas ordinis generatim appelletur ea poteſtas, quæ vi ordinationis in Miniſtros eccleſiæ competit,

petit, etiam potestas clavium dicenda erit aliqua ordinis potestas.

§. 6. Liquet etiam ex dictis, recte *Zieglerum* l. c. statuere, quod nos ortam ex Papatu & jure Pontificio distinctionem inter potestatem ordinis & jurisdictionis retinere quidem possimus, sed *in alio sensu*. Quod enim ad potestatem ordinis attinet, Pontificia secta per potestatem ordinis intelligit potestatem *Sacramento ordinis* annexam, aut per *Sacramentum ordinis* episcopis collatam, ac Sacramentum ordinis accipit pro solenni & religiosa ministrorum ecclesiæ consecratione, quam alias sacram ordinationem adpellat, ac vere proprieque unum ex septem sanctæ Ecclesiæ Sacramentis esse contendit; atque ad illam ordinis potestatem referre solet non tantum potestatem consecrandi Eucharistiam, & ordinandi Clericos, verum etiam (ut loqui solet) facultatem *Sacramentum confirmationis conferendi, chrisma conficiendi, baptizatorum frontes chrismate signandi, oleum infirmorum, ædes sacras & altaria consecrandi, Abbatibus, Abbatissis, sacris Virginibus benedicendi, tradendi Spiritum S. conversis hæreticis, mittendi epistolas Formatas &c.* omnemque eam potestatem convenire docet Episcopis velut ex divina ordinatione Presbyteros

teros antecellentibus, cum Presbyteris sola potestas Eucharistiam consecrandi conveniat. Conf. *Concil. Trident.* Sess. XXIII. cap. III. cap. IV. & Can. VI. & VII. Ast vero *Protestantes* (1) nec ordinem nec baptizatorum confirmationem pro Sacramento proprie strictequeque dicto habent; (2) cum chrisma conficere, oleumque infirmorum consecrare, & similia pro superstitiosis hominum inventis habeant, nihil tale sub potestate ordinis, quam tribuunt ministris ecclesiæ, comprehendunt; (3) ordinationem ab episcopo Pontificio, qui Presbyteris superior sit, petendam esse negant, imo (4) episcopum & presbyterum non esse gradus jure divino diversos, verum idem officium diversis nominibus significari, indeque ordinationem, a Pastore seu Presbytero in sua Ecclesia factam, jure divino ratam esse docent. vid. *Artic. Smalcald.* de Potestate & Jurisdictione Episcoporum p. m. 552. Et quod attinet ad potestatem *jurisdictionis*, Protestantes quidem potestatem clavium adpellitant potestatem jurisdictionis, sed non intelligunt jurisdictionem proprie sic dictam, quæ ἀυτεξουσιαν judicialem, & potestatem coërcitivam, vimque coactivam importat, sed jurisdictionem in sensu improprio & analogico acceptam, quæ absque ἀυτεξουσίᾳ judiciali & potestate coërcitiva, aut

aut vi humana & coactiva Verbo Divino exercetur. Vid. *Augustana Confessio* Art. ult. p. m. 39. Confer. *Scherzerus* in System. Theol. Loc. XII. §. VIII. Ast verò *Pontificii* potestatem clavium ἀυτεξουσίαν judicialem esse contendunt, & cum potestate Confessionem auricularem exigendi, poenalemq; satisfactionem imponendi, & sic cum potestate aliqua coactiva & cöercitiva conjungunt, atq; adeò in potestatem jurisdictionis propriè dictæ transmutant; prout & ministris Ecclesiæ, his præsertim, quos episcopos vocant, de jure divinô competere ajunt potestatem jurisdictionis propriè dictæ, ad quam spectet Christianum populum gubernare & moderari, & ad æternam coelestemque beatitudinem dirigere. Vid. *Catech. Trid.* de Sacr. Ord. cap. II.

§. 7. Licet verò totam potestatem ecclesiasticam internam soli Clero Pontificii rectè attribuant, contra jus tamen fasque totam potestatem ecclesiasticam externam Papa & Pontificii episcopi sibi vendicarunt, quando hypotheses, ex quibus non potest non iis solis tota potestas ecclesiastica externa, magistratu civili excluso convenire, docuerunt & disseminarunt, Principes verò ex earundem illarum hypothesium, quas imbiberant, & huc usque propugnaverant, necessitate totam potestatem ecclesiasticam externam Clero reliquerunt.

§. 8. *Reverà* autem & *in se* potestatem ecclesiasticam externam ad Protestantium Princi-

pes & ſtatus per pacem religioſam, quæ annò 1555. Auguſtæ ſancita eſt, delatam eſſe, clariſſimè liquet. Illa enim ſuſpenſio, quæ cum in Pacificatione Religioſa, tum in Inſtrumento Pacis Weſtphalicæ decernitur, haud nuda, neq; cum ea, per quam de Jure Canonico Epiſcopus ad interim, ſeu ad tempus à certis actibus Juris epiſcopalis, aut ab omni juris epiſcopalis exercitio ſuſpenditur, ejusdem rationis eſt, verum cum poteſtatis & jurisdictionis eccleſiaſticæ ad ſtatus Evangelicos translatione conjungitur. Ita enim in pacificatione illa, & quidem in ejus §. Und damit ſolcher Fried &c. 15. ſancitur: So ſollen die Kaiſerl. Majeſt. auch Churfürſten, Fürſten und Städte des Heil. Reichs, keinen Stand des Reichs von wegen der Augſpurgiſchen Confeſion und derſelben Lehr, Religion und Glauben halber in der That gewaltiger Weiß überziehen, beſchädigen, vergewaltigen, oder in andere Wege wieder ſein Conſcienz, Wißen und Willen, von dieſer Augſpurgiſchen Confeſions-Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen, und Ceremonien, ſo ſie aufgericht, oder nachmahls aufrichten möchten, in ihren Fürſtenthümern, Landen, und Herrſchafften, tringen &c. Atqui in hiſce verbis ſtatibus Auguſtanæ Confeſſioni addictis jus & poteſtas ordinationes eccleſiaſticas ac ceremonias condendi palàm aſſignatur. Idem quoque manifeſtiſſime adparet ex iſtis

istis, quæ in §. damit auch obberührte &c. 20. continentur, pacificationis verbis: Es soll derselben Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuche, Ordnungen, Ceremonien, und Bestellungen der Ministerien, wie hiebevor nachfolgends ein besonder Articul gesetzt, ihr Gang gelassen, und keine Hindernüß oder Eintrag dadurch beschehen. Namque & hic Statibus Evangelicis facultas leges ecclesiasticas ferendi, ritusque ac ceremonias sanciendi adeo attribuitur, ut pro turbatore pacis religiosæ censeatur, qui ullo eam pacto sufflaminare ausus fuerit.

§. 9. Contra vero Pontificios episcopos nullam amplius in Protestantium terris jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam revera & in effectu possidere, vel unum id abunde edocet, quod suspensio ista, quæ cum in Pacificatione Religiosa, tum in Instrumento Pacis Westphalicæ sancitur, ob pacis perpetuitatem perpetua sit. Dico autem studio: *Revera & in effectu.* Res enim, ut *Antonius Faber* in Tract. *de religione regenda in Rep.* Libr. II. c. I. judicat, *per Imperii decretum ita temperata est, ut non abolita prorsus Episcoporum jurisdictio, sed suspensa potius & retardata* VIDERI DEBEAT *tantisper, quoad integre sit sublatum dissidium.* Atque huc pertinet omnino, quod *Hieronymus Brucknerus*, Consiliarius quondam in aula Gothana excellentissimus, in *not. ad Schützii Manuale Pacif.* p. 177. ita scribit: *Cæterum*

Protestantes contenti re ipsa, hoc est, illimitato exercitio Jurisdictionis Ecclesiasticæ, Romano Catholicis Episcopis, pacis obtinendæ & retinendæ causa, hactenus spem inanem, quod illam aliquando, unione nempe religionum facta, sint recuperaturi, reliquerunt.

§. 10. Nihil igitur evincunt obtinentque *Dillingenses* in Composit. Pacis c. VI. qu. 22. n. 99. & *Guilielmus Ignatius Schützius* in Manuali Pacifico, & quidem in *Additionibus de Jurisdictione Ecclesiastica*, quando aliud esse, inquiunt, *non habere jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam*, & aliud, *eam non exercere*, seu eam esse suspensam, atque hinc contendunt, episcopos Catholicos in Protestantium terris potestatem & jurisdictionem ecclesiasticam adhuc possidere, licet eam ad certum tempus non exerceant.

§. 11. Cæterum potestas ecclesiastica externa non saltem per *tolerantiam, indultum, & privilegium personale*, sed *sanctione pragmatica & inviolabili constitutione* Statibus Evangelicis concessa est. Formulæ enim in Pace Religiosa §. **Und damit solcher Fried** &c. adhibitæ, (ut: **So SOLLEN die Käyserl. Majestät, Wie auch Churfürsten** &c. item: **Alles bey Käyserlichen und Königl. Würden, Fürstlichen Ehren, wahren Worten, und threu des Land-Friedens**) liquido ostendunt, libertatem religionis, & ecclesiasticam potestatem Statibus Evange-

vangelicis religiosa pacificatione concessam, non privilegii duntaxat rationem importare, sed revera datam esse per sanctionem pragmaticam & irrevocabilem constitutionem. Conferatur omnino *Defensio pupillæ Saxonicæ* cap. XII. fol. 51. quippe quæ ex instituto docet, pacem religiosam non simplicem contractum & tolerantiam, sed legem fundamentalem, constitutionem inviolabilem totius Sacri Romani Imperii, & SANCTIONEM PRAGMATICAM esse. Scite inter alia Defensio laudata ibidem ait: **Im Paßauischen Vertrag stehen nur Vertrags- oder Vergleichungs-Wort: Im** Religion-**Frieden aber Befehlichs- und Gesetz-Wort.** Errant vero *Dillingenses* l. c n. 9. seqq. num. 96. seqq. aliique Pontificii, dum statuunt, quod, etsi per pacem religiosam ann. 1555. jurisdictio episcoporum Papalium suo modo suspensa, ac libertas religionis Evangelicis Statibus concessa fuerit, id tamen factum sit solummodo per tolerantiam, indultum, & privilegium personale.

§. 12. Neque data est illa potestas per *contractum revocabilem, ipsoque jure idcirco revocatum*, quod *Protestantes* per nova dogmata, vigore istius pacificationis non concessa, ejus privilegii incapaces, ipsoque indignos se reddiderint. Præterquam enim, quod allegata jam pacificationis Verba non simplicem contractum, sed legem fundamentalem, constitutionem inviolabilem & sanctionem pragmaticam impor-

tant, nullum nominari dogma potest, quod Status Confessioni Augustanæ addicti communi consensu introduxerint. Quando enim Lutherani carnis Christi omnipræsentiam profitentur, & Papam Anti-Christum esse docent, dogmata illa nec nova sunt, nec contra pacificationem. Status enim Evangelici suam de Anti-Christo Romano sententiam jam anno 1530. Augustæ in Confessionis exhibitæ *Apologia* palam significant, quando in Artic. de *Traditionibus humanis in Eccles.* p. 208. diserte scribunt: *Et quid in re manifesta verbis opus est? Si hos humanos cultus defendunt adversarii nostri, tanquam promerentes justificationem, gratiam, remissionem peccatorum, simpliciter constituunt regnum Anti-Christi.* Accedit &, quod uberiores doctrinarum in Augustana Confessione comprehensarum declarationes, aliæque ad dogmata ista illustranda & propugnanda facientes hypotheses in pacificatione sæpius memorata neutiquam sint interdictæ, sed in allegato jam §. **und damit solcher Fried** &c. simpliciter ac sine ulla prorsus exceptione sanciatur, ne quis Imperii status quoad Augustanæ Confessionis religionem, & doctrinam, ceremonias ac constitutiones jam conditas aut posthac condendas turbetur aut oppugnetur. Confer. *Apologia defension. Pupill. Saxon.* fol. 655. Hic vero hallucinantur iterum *Dillingenses*, aliique Pontificii Doctores, quando contendunt, Evangelicos Status libertatem religionis ade-

adeptos esse per contractum revocabilem, jamque revocandum, ipsoque jure idcirco revocatum, quod Status illi per nova dogmata ea, qua potiti fuerint, libertate indignos se reddiderint.

§. 13. Asserui porro in thesi nostra, *totam* potestatem ecclesiasticam externam per pacem religiosam ad Protestantes Principes & status delatam esse. Quod nostrum assertum Per-Illustris Dominus de *Lyncker* in Analectis ad Schwed. Jus Publ. pag. 78. sic enunciat: *Penes Nobiles Immediatos est Jus Sacrorum, licet Superioritatem territorialem non habeant; sed tamen strictum illud est, neque istud ultra porrigere possunt, quam id ipsum in verbis conventionis expressum est, aut vero postmodum usu & observantia non contradicta illis acquiritur. Sed status Imperii Protestantes habent jus Sacrorum OMNIMODVM, quaqua versum porrigi potest; & hoc quidem etiam ex conventione; quæ tamen quoniam cum statibus Imperii inita fuit, qui gaudent summa Libertate & Superioritate Territoriali, ex hinc AMPLISSIMAM EXTENSIONEM recipere potis est.* Quod assertum opponitur scriptoribus Pontificiis, quippe qui (ut *Dillingenses* in Composit. Pacis c. VI. num. 90 seqq. & *Schützius* l. c.) pertendunt, suspensionem jurisdictionis episcoporum Papalium esse *tantum particularem & limitatam, cum jurisdictio ecclesiastica in iis tantum casibus, qui ipsam confessionem concernunt, neutiquam vero in causis matrimo-*

nialibus ac divortii, aliisque similibus causis spiritualibus sive ecclesiasticis, quæ fidem & religionem proprie non attinent, ut in causis Juris Patronatus, Decimarum, commissæ Simoniæ & aliorum excessuum clericalium, *suspensa sit*, adeoque *non adparere, qua ratione in hisce occurrentiis, salva Augustana Confessione, salva itidem pace religiosa, Protestantes Catholicorum Jurisdictioni Ecclesiasticæ Jurique Diœcesano se subducere possint.* Nos vero e contrario primum sic argumentamur: *Quicquid ad ritus ecclesiasticos, ORDINATIONES, ceremonias (vel tum conditas, vel posthac condendas,) nec non ad ministerii constitutionem attinet, illud a Jurisdictione episcoporum Pontificiorum per Pacem Religiosam in Protestantium ecclesiis exceptum est.* Atqui *causæ matrimoniales, divortii, Juris Patronatus Decimarum, Simoniæ commissæ, & aliorum excessuum clericalium ad ritus ecclesiasticos, ORDINATIONES, ceremonias & ministerii constitutionem attinent. Ergo &c.* Minor luce sua radiat. Major ex pacificationis religiosæ §. Damit auch obberührte &c. facile probatur. Ita enim ibidem pacificatio: So soll die geistliche Jurisdiction wieder der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben, Bestellung der Ministerien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, so sie aufgericht, oder aufrichten möchten, nicht exercirt, gebraucht oder geübt werden. Hic vero *Jus diœcesanum*

TOTAM-

TOTAMQVE jurisdictionem ecclesiasticam cum omnibus suis speciebus contra Augustanæ Confessionis Electores, Principes & Status suspendi, *Instrumentum Pacis Westphalicæ* Art. V. §. 46. expresse docet.

§. 14. Tandem in Thesi nostra non dico, potestatem ecclesiasticam externam per pacem religiosam statibus evangelicis *restitutam* esse, sed eam per pacem illam ad status istos *delatam* fuisse assero. Equidem *Scherzerus* in Elucid. Brev. Hülsemann. C. XIX. Thes. XXXI. de jurisdictione episcopali absolute scribit, eam non tantum suspensam esse lege publica Pacis religiosæ, sed, quæ *per spolium allata erat*, vigore & ex statuto dictæ pacis etiam *redditam* esse Ecclesiis Augustanæ Confessionis, provocatque ad *articulos Smalcaldicos*, qui *jurisdictionem*, ajunt, *episcopos tyrannice ad se solos transtuliisse, eaque turpiter abusos esse, nihilque opus esse, propter hanc jurisdictionem obedire episcopis, sed, cum sint justæ causæ, cur non obtemperemus, rectum esse & hanc jurisdictionem reddere piis Pastoribus, & curare ut legitime exerceatur.* Imo ipse B. *Gerhardus* L. de *Mag. Polit.* §. 129. inquit, *jura episcopalia per Passavienſem pacificationem Episcopis Pontificiis velut injustis possessoribus erepta, & Christiano ac pio Magistratui restituta fuisse.* Sic & ex JCtis non solum *Carpzovius* in Jurispr. Consist. Def. X. iisdem *Gerhardi* verbis utitur, sed & *Gabriel Schwederus* in Introd.

ad Jus publ. Part. Spec. Sect. II. c. XII. § 1. diserte scribit, per *pacem Religiosam Ordinibus A. C. addictis Jurisdictionem Ecclesiasticam non tam datam, quam restitutam atque confirmatam dici.* Ast per-illustris Dominus *de Lyncker* in Anal. ad loc. cit. *Schwederi* judicat, *non tam restitutam esse Protestantibus Jurisdictionem Episcopalem in ipsorum territoriis, quam nova conventione acquisitum illis potius esse Jus Sacrorum.* Quod *Lynckerianum* judicium duplici potissimum ratione nititur: Vna, quod superioritas territorialis non simul & semel advenerit statibus, verum successive ex juribus suis accreverit, nuspiam vero in Historiis reperiatur, quod *statibus, qua tales sunt*, jura Sacrorum competierint; altera, quod ex necessitate hypotheseos Pontificiæ huc usque Status Imperii crediderint, se jurisdictionem & potestatem ecclesiasticam usurpare non posse, ac idcirco ex hypothesi isthac jurisdictionem & potestatem illam episcopis reliquerint. Quo spectat omnino, quod Protestantes in Tractatu de Potestate & Jurisdictione Episcoporum, *Articulis Smalealdicis* annexo, pag. 354. 355. scribunt: *Reliqua est Jurisdictio in iis causis, quæ jure Canonico ad forum, ut vocant, Ecclesiasticum pertinent, ac præcipue in causis matrimonialibus. Hæc quoque habent Episcopi HVMANO JVRE, & quidem non admodum veteri, sicut ex Codice & Novellis Justiniani adparet, judicia matrimoniorum tunc fuisse apud Magistratus.*

ſtratus. Illud vero aliud articulorum *Smalcaldicorum* dictum, ad quod *Scherzerus* provocat, de jurisdictione interna, ad clavis exercitium atque ad Miniſtros Eccleſiæ ſpectante, neutiquam vero de jurisdictione & poteſtate eccleſiaſtica externa (de qua h. l. quæſtio eſt) manifeſte loquitur. Namque non tantum *Articuli Smalcaldici* in eodem illo loco inquiunt: *Conſtat, Jurisdictionem illam communem excommunicandi reos manifeſtorum criminum pertinere ad omnes Paſtores: Hanc tyrannice ad ſe ſolos tranſtulerunt;* verum etiam expreſſe dicitur ibidem, *rectum eſſe, hanc Jurisdictionem reddere piis Paſtoribus.* Atqui in *Proteſtantium* Eccleſiis Jurisdictio eccleſiaſtica externa haud data eſt Paſtoribus præciſe ſpectatis, ſed ad Magiſtratum ſecularem pertinet. Ac quod *Schwederianam* attinet rationem, (quæ eo redit, quod Status Auguſtanæ Confeſſionis regimen rerum ſacrarum ſibi in territoriis ſuis jure Imperii civilis tanquam partem ejusdem vindicaverint) reſpondet *Dn. de Eyncker*, nihil abſurdi eſſe, quod quis ſuperioritatem tantum ſecularem habeat, alteri vero in ſacris poteſtas ſeparatim competat.

§. 15. Cauſæ autem juſtiſſimæ ſuppetebant, cur *Proteſtantes* epiſcoporum Pontificiorum jurisdictionem prorſus excuterent, & poteſtatem eccleſiaſticam externam, quam epiſcopi in Papatu huc uſque uſurpaverant, ad magiſtratum civilem ſummum, tanquam ad præcipu-

am

am Ecclesiæ partem, deferri cuperent. Explicant illas causas in *Articulis Smalcaldicis*, ubi in Tract. *de potest. & jurisd. Episcoporum* pag. 253. ajunt: *Cum igitur Episcopi, qui sunt addicti Papæ, defendant impiam doctrinam & impios cultus, nec ordinent pios doctores: Imo adjuvent sævitiam Papæ: præterea jurisdictionem eripuerint Pastoribus, & hanc tantum tyrannice exerceant: postremo cum in causis matrimonialibus multas injustas leges observent: satis multæ & necessariæ causæ sunt, quare Ecclesiæ non agnoscant eos tanquam Episcopos.*

Thes. XX.

Potiti sic per religiosam pacificationem potestate Ecclesiastica externa Status Protestantes, tenere ac exercere dicuntur etiam *episcopalia jura* (externa,) non quod hæc juxta præscriptum Verbi ad episcoporum proprie sic dictorum munus pertineant, nec quod (Status scil.) ea possideant & exerceant sub ratione jurium episcopalium secundum Jus Canonicum sic dictorum, quatenus videlicet supremo circa sacra juri penes Pontificem residenti subordinantur, & non nisi Episcopo legitime & canonice electo, postulato, confirmato, consecrato atque ordinato competere dicun-

cuntur, sed quod possideant exerceantque ea jura, quæ in regno Pontificio Episcopi juxta Canonici Juris dispositionem & praxin receptissimam sibi olim vendicaverunt, & adhuc vendicant.

§. 1. Sane enim jura illa, postquam ad Status Imperii Protestantes per pacem religiosam devoluta sunt, naturam juris circa sacra eminentis ac supremi induerunt, & sine ulla a Papa dependentia, a statibus illis, velut a Pontifice, administrantur.

§. 2. Cæterum de jurium episcopalium natura, distinctione, & exercitio in Théologia Morali, si Deus vitam & vires iudulserit, copiosius disseremus.

Thes. XXI.

Subjectum Magistratus Politici (h. e. persona, quæ potestatem gubernandæ civitatis gerit) salva & illæsa conscientia potest esse Christianus, etiam is, qui ad pleniorem perfectionem perductus est.

§. 1. Homines Christianos illæsa conscientia (seu absque periculo jacturæ fidei, ac salutis animæ) magistratum politicum (abstractive sumtum,) seu potestatem gubernandæ civitatis gerere posse, tribus nunc argumentis demonstramus. *Primo* quippe sic argumentamur: *Quicquid qua tale bonum est, ac Deo placet, id Christiano homine, etiam ad pleniorem perfectionem per-*

perducto, indignum non est. Atqui τὸ magistratum politicum gerere, ejusque obire functiones, qua tales, bonum est. Deoque placet. Ergo magistratum politicum gerere, ejusque obire functiones Christiano homine, etiam ad pleniorem perfectionem perducto, indignum non est. Major propositio extra omnem dubitationis aleam posita est. Minor liquet ex Rom. XIII. 2. ubi potestas civilis seu magistratus politicus aperte vocatur ordinatio Dei, suscipere autem ac gerere id, quod Deus ordinavit, qua tale est bonum, Deoque placet. Secundo concludimus hoc modo: *Quicquid est id, per quod homines sunt Dei ministri in bonum & commodum aliorum hominum, id utique Christiano homini, etiam ad pleniorem perfectionem perducto, licitum, eoque dignissimum est. Atqui τὸ gerere magistratum, ejusque subire functiones, est id, per quod homines sunt Dei ministri in bonum & commodum aliorum hominum. Ergo τὸ gerere magistratum, ejusque subire functiones Christiano homini licitum, eoque dignissimum est.* Major propositio ex ipsis terminis evidens est. Minoris autem veritas manifeste ad paret ex Rom. III. 4. 6. ubi is, qui potestate civili pollet, expresse vocatur λειτουργὸς καὶ διάκονος homini in bonum. Tertio argumentamur hunc in modum: *Quicquid est id, per quod homines vicem Dei in terris gerunt, eiusque loco judicium in terris exercent, illud homine Christiano ad pleniorem perfectionem perducto*

ducto indignum non est. Atqui tò gerere magistratum, eiusque functiones obire est id, per quod homines vicem Dei in terris gerunt, eiusque loco judicium in his terris exercent. Ergo tò gerere magistratum, ejusque functiones obire, homine Christiano ad pleniorem perfectionem perducto indignum non est. Major manifesta est, quia Dei vicem in terris gerere, eiusque loco justitiam in terris administrare bonum quid est, & Christiano homine, etiam eo, qui ad pleniorem perfectionem perductus est, prorsus dignum. Minor ex eo patet, quod homines potestate civili eminente pollentes *Exod.* XXII. 28. ideo, quia Dei vicem in terris gerunt, & quasi Dei terrestres sunt, אלהים vocentur, & quando *Deuter. I*, 17. judicium, quod judices in terris exercent, *judicium Dei* dicitur, loco Dei in his terris judicium exercere perhibeantur.

§. 2. Thesin nostram hucusque demonstratam inculcat ipsa *Confessio Augustana*, quando *Art.* XVI. indiscriminatim dicit, quod *Christianis liceat gerere Magistratus.*

§. 3. Eadem nostra thesis opposita est *Anabaptistis*, *Socinianis recentioribus*, *Weigelio*, *novellis Prophetis*, *Pontificiis* (saltem *Religiosi*, quem vocant, *status* patronis ac præconibus) & *Quakeris.*

§. 4. Anabaptistæ in Colloquio Franckenthalensi Actione XXIV. super art. V. num. 4. pag. 489. interprete *Rauffio* dixerunt, se profiteri qui-

quidem, *quod Magistratus sit Dei ordinatio, quod autem homo Christianus munere illo fungi possit, & mediante gladio vindictam exercere, postulare se, ut probetur, se enim id non credere.* Sic & *Transsylvani* Anabaptistæ in Antithesibus Christi veri & falsi, ann. 1568. editis, anti th. VII. asseruerunt, *Christum falsum habere in sua Ecclesia Reges, Principes, Magistratus, gladios, Christum vero nihil tale in Ecclesia pati posse.* *Hinc Anabaptistæ* hoc nomine ab *Augustana Confessione l. c.* damnantur, quod *officium magistratus Christianis interdicant.* Et *Formulæ Concordiæ Epitome*, ejusque *Solida Declaratio* Art. XII. inter illos *Anabaptistarum* errores, qui in Politia sint intolerabiles, refert, quod statuant illi, *Magistratus officium non esse in Novo Testamento genus vitæ, homine pio & Christiano dignum, hominemque Christianum salva & illæsa conscientia officio magistratus fungi non posse.*

§. 5. *Weigelius* quoque Part. II. Postill. pag. 155. diserte dixit, Magistratum non convenire naturæ N. T. **Obrigkeit haben sey nicht was Neu Testamentisch.** Monent etiam Theologi *Lubecenses, Hamburgenses & Lüneburgenses* **im Ausführl. Bericht**, Motiv. XIV. § 1003. seqq. p. 604. seqq. cæteros *Prophetas novellos* fingere & persuadere aliis velle, quod officium Magistratus in Ecclesia & secundum voluntatem Christi locum non habeat.

§. 6. Re-

§. 6. Recentiores *Socinianos*, inprimis *Lud. Wolzogenium* & *Dan. Brenium* in N. T. Magistratui locum non concedere, ex ipsorum scriptis *Ioh. Conr. Durrius* Disp. XIII. contra Socinian. cap. XII. §. 10. ostendit.

§. 7. *Pontificii* illi, qui *Religiosi*, quem vocant, *status* patroni ac præcones sunt, hoc ipso refragantur thesi nostræ, quod, licet Magistratus munus Christianis non prorsus illicitum esse fateantur, illud tamen *cum perfectione Evangelica* consistere posse negant. Atque in hos doctores invehitur *Augustana Confessio*, quando Art. XVI. *illos damnat, qui Evangelicam perfectionem non collocant in Timore Dei & Fide, sed in deserendis civilibus officiis.*

§. 8. *Quakeri* tandem Christianos illos, qui ad purum, patientem & tolerantem Spiritum venerunt, a Magistratus officio abstinere sentiunt. vid. *Roberti Barclai* Apologia Thes. XV. §. 15. pag. 370.

§. 9. Cæterum *Anabaptistæ Transsylvani* in Antithesibus Christi veri & falsi ineptissime docuerunt, *Christum verum Magistratus & gladios in ecclesia pati non posse.* Quod enim in Christiana Ecclesia necessarium est, id Christus omnino in sua Ecclesia pati potest. At vero Magistratus & gladios in Christiana Rep. & Ecclesia etiamnum necessarios esse, ex eo statim adparet, quod Ecclesia militans hisce in terris nullibi sit a malis segregata, sed ubique improbos & malos

admixtos habeat, atque adeo in Christiana Rep. & Ecclesia requiratur ministeri justitiæ, qui gladium sibi a Deo traditum gerat, eoque, ne bonos opprimant, & publicam tranquillitatem turbent, admixtos facinorosos puniat.

Thes. XXII.

FINIS Magistratus politici absolute sic dictus, seu Finis CVJVS (h. e. id, propter quod efficiendum & consequendum a Deo & natura ordinatur Magistratus politicus) est tum salus publica tum gloria Dei.

§. 1. Salutem publicam, seu commodum & felicitatem subditorum universim sumtorum, esse Magistratus politici finem, manifestum prorsus est ex *Rom. XIII, 4.* ubi docet Apostolus, Magistratum (concretive spectatum) esse ministrum Dei, *bonis in bonum*, malis autem ultorem ad iram.

§. 2. Quod si igitur Magistratus ex voluntate Dei ad salutem publicam ordinatur, sane Magistratus suam potestatem, & subditi originem & conservationem Magistratus Deo ad ipsius gloriam debent, atque adeo finis Magistratus gloria Dei est.

§. 3. Diversa autem ratione Magistratus *summus* & Magistratus *subordinatus* ad salutem publicam ordinatus est: Summus quidem ita, ut eam ubique, ac sine ulla restrictione promovere debeat; subordinatus autem eo pacto, ut illam pro-

promovent in assignatis sibi a Magistratu supremo limitibus pro certa negotiorum atque objectorum ratione.

§. 4. Nostra Thesis opponitur itidem *Anabaptistis*, quippe qui Magistratum civilem non esse a DEO docent, aut, quando claris Scripturæ dictis convincuntur, fatentur tandem, Magistratum esse a DEO, non quod per se bonus sit, sed in hominum malum, & eo modo, quo Nebucadnezar a Deo missus, ejusque minister ad puniendos Israelitas dicitur.

§. 5. Hic *Anabaptistarum* error nihil præsidii invenit in eo, quod a Regibus & Principibus Christiani sæpe variis calamitatibus malisque vexati fuerint. Hoc enim magistratui non per se (seu ex institutione & intentione diuina,) sed per accidens adscribendum, cum Magistratus per se intendere debeat totius Reip. & singulorum ejus membrorum commodum ac salutem.

Thes. XXIII.

Finis CVI magistratus (h. e. subjectum, cujus bono a DEO ordinatus est magistratus) sunt subditi universim sumti.

§. 1. Omnium enim subditorum bono constitutus est Magistratus, & salutem, quam is querit subditis universis, primario quærere debet. Hinc in *Politicis* Resp. rectæ per hoc distinguuntur a prolapsis, quod in illis Magistratus summus subditorum universum sumtorum salu-

tem primario, in his autem secundario saltem intendat.

§. 2. Per subditos autem intelligimus omnes, qui Civili potestate subsunt, sive sint Laici, sive *Clerici*.

§. 3. Clericos quoque subditos esse Magistratus Politici, patet (1.) quia Paulus Rom. XIII. expresse dicit: *Omnis anima subdita sit potestatibus* supereminentibus; (2.) quia Paulus etiam Magistratui se subjecit, Act. XXV. 10. (3.) Christus ipse se subjecit Magistratui Matth. XVII. 27. (4.) Imperatores quoque Christiani legibus suis subjecerunt Clericos, ut ex Codice & Novellis passim constat.

LOCVS XIIX.
De
STATV DOMESTICO.

Thes. I.

In præsenti de statu domestico seu oeconomico tractatu de tribus societatibus simplicibus, *nuptiali* nimirum, *herili* atque *paterna*, differimus, quia societates illæ ad constituendum statum istum, tanquam tertium in Ecclesia contentum statum & ordinem, concurrunt.

§. 1. Patet hinc, de tribus illis societatibus alia

alia sub ratione in Theologia, quam in Politica, agi. Quippe in Theologia disseritur de iis, ut concurrunt ad constituendam Ecclesiam, in Politica vero, quatenus civitatis materia sunt, & ad constituendam intrinsece civitatem concurrunt.

§. 2. Tres autem illæ societates vocantur *simplices*, non *absolute*, quasi videlicet omnem plane realem compositionem refugiant, sed *secundum quid & in certo genere*, quia nimirum non componuntur ex aliis societatibus, sed tantum ex certis quibusdam personis.

Thes. II.

Primo autem omnium de *nuptiali* societate hic exponendum, quia illa societas reliquarum societatum seminarium & causa est.

Thes. III.

Societas nuptialis dicitur uno nomine *conjugium*, itemque *matrimonium*: Conjugium quidem a communi *jugo*, quod conjuges subeunt; matrimonium vero a fine suo primario, quod scilicet eam ob causam foemina nubere debeat, ut mater fiat.

Thes. IV.

Conjugii abstractive spectati (h. e. absolute, in se & in sua natura considerati)

causa efficiens est Deus, & quidem per hoc, quod (1) hominibus instinctum naturalem ad ineundum conjugium dedit, (2) hominum cordibus leges naturales statum matrimonii dirigentes implantavit, (3) matrimonium solenniter instituit.

Thes. V.

Conjugii concretive spectati causæ efficientes sunt (1) Deus, (2) personæ ipsæ, quæ nuptiis copulantur, (3) conjugum parentes, in quorum potestate adhuc sunt conjuges, (4) suo modo benedictio sacerdotalis.

§. 1. Deus conjugii concretiue consideratæ (h. e. conjugii, ut inter has vel illas in individuo personas contrahitur, spectati) causa efficiens est per hoc, quod (1) his vel illis in individuo personis instinctum naturalem ad ineundum matrimonium indidit, (2) influxum generalem ad contrahendum matrimonium impertitur, (3) influxu speciali corda contrahentium flectit, vel saltem occasionem ad contrahendum suggerit.

§. 2. Personas, quæ nuptiis copulantur, matrimonii sui causam efficientem esse, ex eo liquet, quod ad matrimonium inire sit contractus, cujusvis vero contractus causa efficiens sint personæ contrahentes.

§. 3.

§. 3. Matrimonii, quod ineunt Conjuges sub potestate parentum adhuc viventes, causam efficientem esse parentes, ex eo manifeste adparet, quod illi in matrimonium istud perveram & realem actionem, nempe per consensum suum, influant, quicquid vero in effectum per veram & realem actionem influit, illud sit effectus producti causa efficiens.

§. 4. Sacerdotalis benedictio in tantum est matrimonii causa efficiens, in quantum non quidem ad illud contrahendum, attamen hodie juxta leges & constitutiones ecclesiasticas consummandum concurrit.

§. 5. Non, inquam, ad matrimonium *contrahendum* concurrit & requiritur sacerdotalis benedictio. Matrimonium enim maris & fœminæ mutuo, & eorum, in quorum potestate ipsi sunt, consensu ita contrahitur, ut liberi & parentes junctim sumti adæquatam & completam conjugii contrahendi causam efficientem constituant.

§. 6. Concurrit vero, uti jam §. 4. dictum est, sacerdotalis copulatio ad matrimonium *juxta leges & constitutiones ecclesiasticas consummandum*. Vt enim juxta monitum Pauli I. *Cor.* XIV, 40. omnia decenter & ordine fierent, constitutum est ab ecclesia, ut in conspectu ejus conjuges, prævia consensus mutui repetione, ab ordinario Ecclesiæ ministro Dei nomine & loco

conjungantur, & benedictione sacra conjugio solenniter initientur.

§. 7. Quamvis autem sacerdotalis copulatio sub iis formalitatibus, quibus in Ecclesia Christiana adhibetur, juris saltem positivi ecclesiastici sit, non tamen constitutio illa ecclesiastica Scripturarum fundamento destituitur. Ipse enim Deus in statu integritatis primos conjuges copulavit certa adhibita formula, quando dixit: *Idcirco adhærebit vir uxori suæ, & erunt in carnem unam.* Et extant exempla Scripturæ Veteris Testamenti, quod Sancti Patriarchæ etiam novellis conjugibus benedicere, seu Dei benedictionem apprecari, & eosdem benedictione sacra quasi initiari consueverint.

Thes. VI.

Conjugum, ut sui matrimonii causa efficiens sunt, causalitas est consensus de mutua corporum traditione, & quidem consensus liber, ac per externos actus, aut per signa externa manifestatus, & quidem si personæ contrahentes in parentum, vel eorum, qui loco parentum sunt, potestate vivant, consensus liber, per signa externa declaratus, & cum parentum, vel eorum, qui loco parentum sunt, consensu conjunctus.

§. I.

§. 1. Quando mutuus ille conjugum consensus dicitur causalitas conjugum, ut sui matrimonii causa efficiens sunt, nihil aliud significatur, quam consensum illum esse rationem formalem, per quam conjuges actu in esse causæ efficientis conjugii valide contracti constituuntur.

§. 2. Id ipsum, quod mutuus conjugum consensus sit causalitas conjugum, ut sunt sui matrimonii causa efficiens, subinnuit illa ipsa *Vlpiani* regula: *Nuptias non concubitus, sed consensus facit.* Sensus enim illius regulæ est, *marem & fœminam actu & revera causam efficientem conjugii esse per consensum.* Id ipsum docent *Chemnitius* part. III. Locor. pag. 520. *Gerhardus* in L. de Conjug. §. 56. *Menzerus* in tract. de Conjug. pag 125. quando consensum causam efficientem conjugii adpellitant. Intelligunt enim causam efficientem QVA, & quidem causalitatem.

§. 3. Errant vero, quotquot consensum *formam* aut *causam sine qua non* conjugii esse asseverant. Tollitur enim non raro in conjugibus consensus, ipsum vero conjugium eodem modo manet. Ast sublata forma quomodo res esse poterit? Et consensum causam sine qua non conjugii profiteri æque absonum est, ac si quis ædificationem respectu ædificii, illuminationem respectu luminis in aere, aut calefactionem respectu caloris in aqua producti causam sine qua non

esse dixerit. Eius autem sententiæ, quod consensus conjugii forma sit, patroni nihil evincunt quando (ut *Carpzovius* in Jurispr. Consist. defin. XXVII. perhibet) urgent, quod, sicut a forma pendet esse rei, ita a consensu pendeat esse matrimonii. Nam etiam a causa efficiente, eiusque causalitate, itemque a causa materiali esse rei pendet.

§. Neque illi *Scholastici* accurate loquuntur, qui docent, quod consensus importet cum formæ tum materiæ habitudinem ad conjugium. Idem enim respectu eiusdem non potest esse materia & forma.

§. 5. Has tamen de terminorum technicorum usu disceptationes magni momenti vel præjudicii non esse, *Carpzovius* l. c. arbitratur, sufficere ratus, si consensus (liber & per actus externos, aut per signa declaratus) necessario ad conjugium requiri dicatur.

§ 6. Illi autem libero consensui obstat vis metusque, quibus promissio ab alterutra parte extorquetur, itemque ignorantia aut error personæ, vel circumstantiæ, finem conjugii primarium impedientes. Ac licet consensus in internis actibus (nempe in maris actu volendi, & in fœminæ volendi actu, ut ad unam rem, mutuam videlicet corporum traditionem terminantur) formaliter consistat, solos tamen internos actus ad contrahendum matrimonium haud sufficere, B. *Musæus* in Thes. de Conjug. §. 20. præclare docet. Quo pertinet, quod *Hugo Gro-*

Grotius Libr II. de Jur. Bell. & Pac. C. IV. § 3. ait: *Juris effectus, qui ab animo pendent, non possunt tamen ad solum animi actum consequi, nisi is actus signis quibusdam indicatus sit, quia nudis animi actibus efficientiam juris tribuere non erat congruum naturæ humanæ, quæ nisi ex signis actus cognoscere non potest.*

§. 7. Neque vero mutuus maris & fœminæ consensus matrimonium validum efficit, si parentum consensus absit, sed ille, qui absque consensu initus est, qualiscunque contractus, parentibus contradicentibus dirimi jure potest. Nam (1) in omni contractu ad valide contrahendum requiritur, ut contrahentes sint sui juris, vel si in aliorum potestate sint, suum etiam consensum impertiant illi, quorum in potestate sunt. Ergo & in conjugii contractu, si contrahentes non sunt sui juris, ad valide contrahendum requiritur consensus eorum, in quorum potestate sunt, parentum scilicet, vel eorum, qui loco parentum sunt. (2) Scripturæ jus nuptum dandi filias ubique parentibus vendicant. Videatur inter alia *Deuter.* VI, 3. 1. *Cor.* VII, 3. & seqq. (3) Virgo compressa a quopiam, patre ejus refragante, matrimonio jungi non potest stupratori, ut ut stuprata in matrimonium consentiat, *Exod.* XXII, 16. & 17. Quemadmodum autem dissensus paternus impedire potest conjugium in casu stupri, utut stuprata & stuprator in matrimonium consentiant; ita & extra casum stupri ini-

initum cor jugium reddere potest irritum; Neque enim plus requiritur ad impediendum vel irritum reddendum conjugium extra casum stupri absque parentum consensu initum, quam in casu stupri.

§. 8. Dissentiunt hic a nobis *Pontificii*, distinguentes inter contractum conjugii *licite*, & inter contractum conjugii valide initum. Contendunt quippe, liberos non posse quidem absque parentum consensu *licite* contrahere matrimonium, cum vi quarti præcepti teneantur parentes honorare, & honoris atque potestatis causa illorum consensum, conjugium jam inituri, requirere, ut, si contra faciant, omnino peccent; posse tamen eos *valide* inire contractum conjugii insciis parentibus, vel absque parentum consensu. Hinc *Bellarminus* Libr. I. de Sacram. matrimon. C. XIX. hancce inculcat propositionem: *Filiorum consensus, etsi solus sit, ad matrimonium firmum ac ratum sufficit, nec potest a parentibus vel Magistratu eiusmodi matrimonium irritari.* Quam propositionem dicit esse contra Erasmum & Lutheranos, ac comprobare conatur (1.) exemplis Esaui, Jacobi, Tobiæ, (2.) autoritate Juris Canonici, (3.) quibusdam Ambrosii dictis, (4.) ea ratione, quod in ejusmodi conjugio nihil eorum desit, quæ ad essentiam matrimonii pertinent. Sed in nostris olim prælectionibus publicis *Anti-Pontificiis*, quas in Jenensi academia adornabamus, illam a *Bellarmino* prolatam probationem ex instituto confutavimus. *Thes.*

Thes. VII.

Ille maris & fœminæ in futurum matrimonium consensus ante benedictionem sacerdotalem ex usu loquendi *Sponsalia* constituere dicitur: Et personæ mutuo consentientes tantisper sponsi & sponsæ appellatione indigitantur, dum accedente benedictione sacerdotali matrimonium consummetur.

§. 1. Sponsalia a *spondendo*, seu sponte promittendo dicuntur, quod *sponsione*, seu spontanea liberaque promissione utrinque data & accepta constituantur.

§. 2. Distingui solent sponsalia in Sponsalia de *præsenti*, & in Sponsalia de *futuro*.

§. 3. Sponsalia de *præsenti* ex usu loquendi sunt promissio conjugalis, quæ verbis de præsenti peragitur: ut cum quis dicit fœminæ: Ego accipio te in uxorem, vel ex nunc mihi eris uxor, vel do & promitto tibi fidem conjugalem, & hæc promissionem datam acceptat, suamque vicissim fidem promittit.

§. 4. Sponsalia de *futuro* ex usu loquendi vocantur promissio conjugalis, quæ fit verbis de futuro: ut cum quis dicit fœminæ: *Ducam te hoc vel illo tempore in uxorem*; & hæc promissionem isthanc acceptat, suumque consensum reciproce verbis de futuro testatur.

§. 5.

§. 5. Sponsalia de futuro plerumque *conditionata* sunt, h. e. conditionem aliquam, alterutra ex parte, priusquam consummentur, implendam, annexam habent; Qualia sunt, si quis v. g. promittat puellæ, se ducturum eam in uxorem, si studiorum cursum absolverit, si functionem sua eruditione dignam nactus fuerit, si ex peregrinatione salvus & incolumis redierit, &c.

§. 6. Sponsalia de præsenti, & sponsalia de futuro præter illas formalitates, quod diversis verbis (nempe verbis de præsenti & verbis de futuro) peragantur, in hoc quoque differunt, quod illa absolute obligent, sintque absolute ipse contractus matrimonialis, hæc vero non habeant rationem matrimonialis contractus, nisi ex eventu & accedente novo consensu, qui per verba de præsenti exprimatur, & speciatim, quæ conditionem habent expressam, non obligent, nisi conditione impleta.

§. 7. Explicavi hactenus sponsalia de futuro *exusu loquendi* specialiter sic dicta. Si enim Sponsalia de futuro dicantur promissiones de matrimonio per benedictionem sacerdotalem deinceps seu in futurum consummando, omnia sponsalia in nostris ecclesiis sunt sponsalia de futuro, atque adeo distinctio inter sponsalia de præsenti, & inter sponsalia de futuro locum non habet. De lege enim communi omnes promissiones conjugales fiunt in ordine & respectu ad futuram benedictionem sacerdotalem, cum ma-

tri-

trimonium per copulam carnalem consummare de lege ecclesiastica non liceat, nisi interventu benedictionis sacerdotalis.

Thes. IX.

MATERIA conjugii sunt personæ illæ, quæ matrimonio junguntur: Requiritur autem ex parte illarum personarum, ut (1) sint mas unus & una foemina, (2) ut sint per naturam habiles ad reddendum debitum conjugale (3) ne eas nimia consanguinitatis aut affinitatis propinquitas conjungi prohibeat.

§. 1. Quemadmodum cujusvis societatis materia sunt personæ illæ, ex quibus, velut membris, societas constat: ita societatis conjugalis materia recte dicuntur esse ipsi conjuges.

§. 2. Illi autem asserto: *Personas, quæ copulantur conjugio, esse materiam matrimonii*, minime obstat, quod eaedem illæ personæ ad matrimonium, quod ineunt, causæ efficientis rationem habeant. Nec enim repugnat, personas, quae matrimonio junguntur, pro diverso respectu esse & causam efficientem & materialem conjugii: causam efficientem quidem, si considerentur, ut contrahunt de sui in unam societatem conjunctione; materia autem, si spectentur ut partes vinculo conjugali in unam societatem conjungendæ.

§. 3.

§. 3. Ex parte personarum, quæ sunt materia societatis nuptialis, requiritur, ut sint *mas & fœmina*. Discrimen enim sexuum in illius societatis personis ejusdem societatis finis cum primarius, tum secundarius exigit. Vid. *Iac. Thomasii* Philos. Pract. Lit. XXIV.

§. 4. Conjunctionem vero *plurium fœminarum* cum uno mare, seu simultaneam, ut vocant, polygamiam, non solum Scriptura Sacra cum Veteris tum Novi Testamenti prohibet, verum etiam naturalis ratio dissuadet.

§. 5. Prohibet, inquam, simultaneam polygamiam Scriptura Sacra Veteris Testamenti. Illa enim polygamia primævæ conjugii institutioni, quæ legis divinæ vim & rationem habet, repugnat, ut Christus ipse Matth. XIX §. 6. subinnuit. Quam in rem ita argumentamur: *Quicquid non est duorum tantum, sed plurium in unam carnem conjunctio, illud primævæ conjugii in paradiso factæ institutioni contrariatur. Atqui polygamia simultanea non est duorum tantum, sed plurimum in unam carnem conjunctio. Ergo polygamia simultanea primævæ conjugii in paradiso factæ institutioni contrariatur.* Minor ex se manifesta est. Major inprimis patet ex primævæ conjugii institutionis repetione, & uberiori declaratione a Christo *Matth. XIX, §.* facta. Licet enim vox *duo Gen. II.* non extet explicite, Christus tamen eam ibidem implicite & quoad rem ipsam contineri, *Matth. XIX, §.* significat, quando

do primævam institutionem repetens, & a Pharisaicis corruptelis sua interpretatione purgans, vocabulum בשר diserte inserit, docetque, creatorem in rerum primordio hæc elocutum esse: *Propterea deseret homo patrem & matrem, & agglutinabitur uxori suæ, & erunt ei בשר in carnem unam.* Atque Salvatorem *Matth. XIX, 5.* vocem בשר accipere exclusive, ut tum unius fœminæ cum pluribus maribus, tum unius maris cum pluribus fœminis conjunctionem excludat, contextus edocet. Christus enim ostendit in sequentibus, initio ac vi divinæ institutionis non licuisse uxorem aliam ducere, uxore priori temere & injuste dimissa, atque hujus rei ea redditur ratio, quod maritus, qui uxorem dimisit injuste, dimissæ devinctus adhuc sit conjugali vinculo. Cur autem vir, qui dimissæ adhuc vinculo conjugali alligatus aliam ducit, contra primævam conjugii institutionem agat, ejus nulla alia ratio dari potest, quam quod vi institutionis illius conjugium sit inter duos tantum.

§. 6. Prohibet quoque *Novi Testamenti* Scriptura simultaneam polygamiam. Paulus enim *1. Cor. VII, 4.* expresse docet, ut uxor proprii corporis potestatem non habet, sed maritus, ita nec maritum proprii corporis jus habere, sed uxorem. Quod si autem vi conjugii semel initi maritus non habet potestatem sui corporis, sed uxor, sequitur omnino, quod ipse non habeat jus ac potestatem, præter uxorem, quam modo duxit,

aliam ducendi: Faceret enim per alteras nuptias corporis sui potestatem alteri uxori, cum tamen corporis sui potestatem non amplius habeat.

§ 7. Eandem polygamiam *recta ratio* disuadet, cum naturali rationi non conveniat procreatio sobolis ex vaga libidine, aut immoderatus usus rei genialis, aut ea conjunctio, quæ amori & paci conjugali obstat. Atque huc pertinent, quæ *Pufendorffius* Libr. VI. de Jure Nat. & Gent. c. 1. §. 19. scribit: *Id sane patet optimum, & maxime decorum, simulque ad quietem domesticam accommodatissimum esse, unum una vivere contentum, atque hoc matrimonii genus sine dubio perfectissimum habendum, cujus leges non minus marito, quam uxori sanctissime observandæ.* Quare etiam apud *Plautum* in *Phormione* polygamia pro insigni conjugii corruptela habetur. Cum enim Chremes uxorem aleret Athenis, aliamque sibi jungere vellet in Lemno, nomine immutato Stilphonem se appellare cogebatur, a parasito Phormione de polygamia tanquam gravi crimine accusatus. Et *Eurypides* in *Andromache* inquit: *Nunquam geminos lectos laudabo mortalium, neque liberos, qui habent diversas matres, litem ædium & tristes dolores.*

§. 8. Liquet autem ex hactenus dictis, nos non damnare tantum errorem personati Sinceri de *Wahrenberg*, merito a D. *Menzero* im kurtzen Bericht / gravissime reprehensi, qui polygamiam neque in Veteri, neque in Novo Testamen-

mento prohibitam esse deliravit, sed rejicimus etiam *Socinianorum*, iisque adstipulantis *Hugonis Grotii* sententiam, quæ statuit, quod *polygamia simultanea in Novo demum Testamento vetita sit, adeoque ante promulgatam Christi legem nullatenus fuerit peccatum & nefas, cum ubi lex non est, ibi nec sit legis transgressio seu peccatum.* vid. hic *Grotius* Lib. II. de Jur. B. & P. c. V. *Christophorus Osiorodus* Instit. cap. XXIV. fol. 591. *Wolzogenius* Tom. I. Opp. fol. 334. *Smalcius* contra Franz. Disp. IX.

§. 9. Requirimus *porro* in nostra thesi ad personas matrimonio copulandas, ut sint *habiles ad reddendum debitum conjugale.* Namque personæ ad matrimonium aptitudo æstimanda est ex fine eius principali, qui est sobolis procreatio.

§. 10. Eunuchi ergo & castrati ad matrimonium admittendi non sunt, docente *Carpzovio* in Jurispr. Consist. Libr. II. def. 16. n. 1. Quod si enim id fiat, non solum matrimonii finis principalis exspirat, sed & conjugum cohabitatio pruritum potius in alterius sexus persona accendit, non autem ustionis flammas restinguit.

§. 11. Hermaphrodito vero, seu androgyno, si in eo sexu, quem pro ratione conjugis nuptiæ requirunt, prævaleat, conjugium non plane interdicendum, *Cypreus* de *Sponsi.* C. IX. §. 13. n. 46. *Gerhardus* in L. de Conjug. §. 285. *Carpzovius* in Iurispr. Consist. Libr. I. t. I. defi-

nit. 16. n. 4. existimant. Quanquam judicet ibidem *Carpzovius*, conjugium Hermaphrodito dissuadendum magis, quam indulgendum, cum altera pars facile decipi, atque in adulterii peccatum prolabi possit.

§. 12. Interim *senum* conjugia, quæ ad mutuum vitæ adjutorium rationabiliter ineuntur, non in universum damnanda esse, *Bajerus* in Compendio Theol. Posit. P. III. Cap. XV. non male docet. Sunt quidem, qui contra senum matrimonia præsertim cum juvenculis ineunda disputant, quos inter sunt *Erasmus* in Libr. de Christ. matrim. *Cypræus* l. c. §. 8. *Besoldus* Libr. 1. Polit. C. X. §. 3 attamen *Carpzovius* l. c. def. XIII. ea dissuadenda, non autem omnino prohibenda, multominus jam contracta dissolvenda esse statuit.

§. 13. Vltimo requirit thesis nostra ad personas nuptiis copulandas, ut *ipsarum conjunctioni nimia consanguinitatis & affinitatis propinquitas non obstet.*

§. 14. Ad æstimandam vero personarum, nuptiis copulandarum, propinquitatem observanda est secundum lineas, *rectam* scilicet (eamque pro diversitate rationis nunc ascendentem, nunc descendentem) & *transversam* seu collateralem, graduum computatio.

§. 15. Cum autem alia sit ratio computandi gradus secundum jus civile seu Cæsareum, alia secundum Jus Canonicum, atque prioris generis

ratio

ratio computandi ad causas successionum & adeundæ hæreditatis pertineat, in matrimonialibus ratio computandi Canonica per Saxonicas terras & Imperium recepta est. Vid. *Carpzovius* in jurispr. Consist. Libr. II. t. 5. def. 15. n. 14.

§. 16. Quibus regulis ratio computandi gradus Canonica comprehendatur, & qui gradus consanguinitatis & affinitatis in linea cum recta, tum transversa, vel divino vel humano jure prohibeantur, ex Theologis B. *Bajerus* l. c. a §. XVI. ad §. XXIX. ex ICtis vero magni nominis Vir, *Lüderus Menkenius in Compendiaria Theoria & Praxi computationis graduum* copiose ac præclare docuit. Hinc tota illa opera supersedentes allegamus hic potius, quod observat Theologus munerum & meritorum gloria quam maxime conspicuus, *Albertus Christianus Ludwig*, sapientia & pietate maximi Principis, Serenissimi ac Potentissimi Saxoniæ ducis FRIDERICI Confessionarius, Concionator aulicus primarius, & Consiliarius ecclesiasticus ac proto-synedrialis longe celeberrimus, doctissimi & eloquentissimi Patris, interriti quondam in aula Saxo-Cizensi concionatoris primarii, inter coelites jam triumphantis Theologi, cujus mortem cujusvis ordinis pii Lutherani hodieque vehementer lugent, filius optimus. Is quippe in sua de *Societate Nuptiali* exercitatione, quam jam anno 1687. in Academia Ienensi, & cathedra quidem philosophica, cum summo eruditissimi

cujusque applausu ventilabat, Thes. XLII. & XLIII. ita disserit: *Extenderunt Protestantium Ecclesiæ prohibitionem matrimonii in lineis collateralibus ultra gradus in Nomothesia divina expressos, non quasi propter adjacentem imperfectionem correctio quædam legibus divinis adhibenda fuerit, sed ut vallum ac sepimentum aliquod divinæ prohibitioni adderent, hominesque a nuptiis jure divino ac naturali prohibitis arcerent. Pontificum vero lex, qua in sexto gradu lineæ collateralis æqualis nuptias prohibuerunt, dudum est abrogata. Radix enim definitionis fundatur in avaritia. Habent enim Pontifices in gradibus jure suo positivo prohibitis dispensandi potestatem; cum autem nisi certo pretio dispensatione emta, non dispensent, frequentiores occurrunt casus, in quibus Pontificum dispensatione opus est.* Nos insuper ex laudatissima Jurisprudentia *Carpzovii* Consistoriali, & ejus quidem Libr. II. defin. XCIX. hic annotamus, nuptiarum in gradibus jure divino prohibitis initarum alias prorsus dissolvendas, alias inflicta arbitraria pœna esse tolerandas: dirimendas nempe eas, quæ ita sunt abominabiles, ut conjuges in iis perseverare nefas sit, quibusve Deus *Lev. XX.* capitis supplicium expresse constituit, v. gr. nuptias consanguineorum & affinium in linea recta, itemque consanguineorum in gradu primo lineæ collateralis æqualis; illas vero, quibus jam contractis Nomothesia divina capitis supplicium non constituit, in-

inflicta arbitraria pœna tolerari posse. Quanquam observandum hic probe sit, nuptias in gradibus jure divino prohibitis initas prioris generis non proprie, sed *æquivoce* saltem nuptias seu conjugia vocari. Conjugium enim proprie dictum (uti mox ostendetur) formaliter importat conjugale & indissolubile duarum personarum vinculum, talis vero copula in istis nuptiis locum non invenit. Monendum & hic est, tolerantiam, qua nuptiæ quædam, in gradu divinis legibus prohibito contractæ & consummatæ, ab Ecclesia aut Magistratu tolerantur, proprie loquendo non esse *dispensationem* in illis divinis legibus. Vt enim rationes alias in *Philosophia* nostra *Morali*, ejusque parte III. ac speciatim in tractatu de *Legis mutatione* adductas nunc taceamus, certe dispensatio nonnisi legislatoris actio est, seu nemo, nisi qui legem tulit, in lege dispensare valet.

Thes. X.

FORMA seu *ratio formalis* conjugii (h. e. id, per quod aliqua maris & fœminæ conjunctio in esse conjugii intrinsece constituitur, quove posito ponitur, & sublato tollitur conjugium) est mutua maris & fœminæ ad fidem conjugalem, & præstanda invicem officia conjugalia obligatio, ex utriusque consensu seu ex mutua promis-

sione proveniens. Quæ obligatio dicitur vulgo *vinculum conjugale*, estque quoad rem mutua maris & fœminæ habitudo, qua mas illam fœminam ut maritus suam uxorem, vicissim fœmina hunc virum ut uxor suum maritum respicit, utrique ex consensu mutuo se respiciunt tanquam ii, quos fidem & cætera officia conjugalia sibi invicem præstare oportet.

§. 1. Obligationem illam ex *utriusque conjugis consensu*, seu ex promissione mutua oriri, evidentissimum est. Mas enim, quando promittit fœminæ conjugium, vi promissionis obligat se ad præstandam ipsi fidem conjugalem, & omnia, quæ boni mariti sunt, officia: Et quando fœmina mari vicissim promittit conjugium, vi promissionis obligat se ad fidem conjugalem, & omnia, quæ bonæ uxoris sunt, officia præstanda.

§. 2. Eandem illam obligationem recte vocari *formam* seu *rationem formalem* conjugii, negotio facili jam demonstramus: Quippe de ea sola dici potest veritate salva, quod ipsa posita ponatur, & sublata tollatur conjugium. Certe veritate illæsa asseri nequit, sublato *consensu* tolli matrimonium. Fieri enim potest, ut, postquam semel in matrimonium consenserunt conjuges, & etiam aliquandiu cohabitarunt, consensus cesset, conjugio nihil ominus manente. Nec vero

vero de conjugali cohabitatione, aut ullo *alio conjugali actu* dicere licet, quod ipso sublato matrimonium tollatur. Evenit enim non raro, ut conjugalis cohabitatio & cæteri actus conjugales omnes cessent, conjugio itidem manente.

Thes. XI.

Officia vero, ad quæ obligantur conjuges, alia sunt utrisque *communia*, ut mutuus & sincerus amor *Eph. V, 28. 29. 1. Cor. VII, 10. 33. 34.* fides conjugalis (qua sibi invicem ita addicti sunt, ut patrem & matrem suam relinquant, & sibi mutuo adhæreant) *Gen. II, 24. Matth. XIX, 5. 6.* conjunctio corporum (in consuetudine conjugali, & debita, ut Paulo *1. Cor. VII, 3.* dicitur, benevolentia consistens,) mutuum consortium & adjutorium cum in secundis tum in adversis rebus *Gen. II, 18.* unio bonorum, certe ratione usus, & ad sublevandam alterius indigentiam *Eph. V, 29.* alia sunt alterutri *propria, marito* quidem, alimenta & alia ad vitam sustentandam necessaria conjugi, tanquam corpori suo, procurare *Eph. V, 29.* eam protegere *Gen. XXXII, 13. seqq. 1. Sam.* XXX, *3. seqq.* & consiliis monitisque regere *Eph.* V, *23.* uxori autem,

venerari maritum *1. Pet.* III, *6.* ejusque imperata facere *Eph.* V, *22. 24. Coloss.* III, *18. 1. Pet.* III, *5. 6.* ac rem a marito foris acquisitam domi custodire *Proverb.* XXXI, *10. seqq.*

Thes. XII.

Liquet igitur ex conjugum officiis jam commemoratis, in nuptiali societate imperium aliquod locum invenire.

Thes. XIII.

Imperium autem illud acquiritur marito ex mutuo utriusque conjugis consensu Deo & natura sic volente, sic jubente.

§. 1. Ex *Dei voluntate* solum maritum in societate conjugali potitum esse imperio, non tantum ex primæva conjugii institutione, quæ *Gen.* II. describitur, sed & ex Eph. V, 23. ubi maritus diserte vocatur uxoris caput, liquidissime constat.

§. 2. Quod imperium connubiale natura sic volente sic jubente competat soli marito, *Grotius* Lib. II. de I. B. & P. c. V. §. 8. hocce modo demonstrat: *Consociatio maxime naturalis in conjugio adparet, sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus uxoris caput.* Illa quippe sexus differentia in eo consistit, quod maritus corporis præstantia ingeniique dotibus uxorem longe superet. Atqui secundum naturam per-

persona melior imperat deteriori. Equidem corporis robore animique donis uxor quandoque antecellit virum, tamen quoties id accidit, παρὰ φύσιν fieri docet *Aristoteles* Libr. I. Politic. C. VII. Ac licet uxoribus quoque sua in maritos jura competant, ut jus exigendi debitum conjugale, jus deposcendi huius vitæ necessaria, jus medicamenta, defensionem, informationem, consilium postulandi, eorum tamen jurium neutrum arguit aliquod uxoris imperium in maritum. Imperium enim in se continet jus coercendi, huiusmodi autem jus & potestatem nullum ex istis juribus importat.

§. 3. Errant igitur *Ioh. Frider. Hornius* Libr. I. Polit. Architect. c. I. §. 6. & *Henricus Henniges* in Comment. ad Grot. pag. 435. quando *Aristotelis* & *Grotii*, potestatem maritalem a naturæ instituto derivantium, sententiam lacessunt, contendentes quippe, tum demum Adamo in uxorem imperium a Deo concessum esse, cum hæc sua culpa excidisset pristina eminentia. Namque etiam in innocentiæ statu locum habuit imperium maritale, ut ut nulla ibi *coercitione actuali* opus fuerit, cum uti imperans maritus omne suum regimen ibi ex amore recti instituebat, ita pavens uxor non metu pœnæ, sed tantum amore justi obsequium præstaret.

§. 3. Ex *consensu* vero, quo mas & fœmina in conjugium consentiunt, quove fœmina marito volenti sponte se subiicit, imperium maritale

ritale ac connubiale proxime oritur. Sane enim citra interveniens pactum conjugale mas in foemellam imperium non acquirit, quia alias quilibet mas in quamlibet fœmellam ob naturalem corporis animique præstantiam imperio polleret: At pacti conjugalis essentiale requisitum est consensus.

Thes. XIV.

Idem illud imperium est moralis marito competens facultas uxorem naturæ rationali & voluntati diuinæ convenienter in matrimonii finem dirigendi, seu est facultas moralis uxori in rebus conjugii & familiæ præscribendi, quid & quando ei sit agendum, ipsamque, si pudore ac liberalitate regi detrectet, coercendi ac puniendi.

Thes. XV.

Maritale igitur imperium plura jura in sua formali ratione includit: nempe (1) jus in corpus uxoris, (2) jus injungendi uxori, ut maritum & familiam maritalem sequatur, si is domicilium mutare, vel alio migrare velit, aut si ipsa sit alibi, quam in domo mariti, (3) jus rescindendi vota & juramenta uxoris, contra aut præter suum consensum in his, quæ maritalis sunt juris,

ris, (in rebus scil. conjugii & familiæ) facta, &c.

§. 1. Jura illa, quæ thesis nostra recenset, competere marito, & in eiusdem imperio includi in Theologia nostra. Morali liquido edocebimus.

§. 2. Ius illud, quod maritus in corpus uxoris obtinet (h. e. jus exigendi ab uxore, ut marito, & quidem soli, corporis sui copiam faciat) ad analogiam *juris in re* appellari potest jus *in persona*. Neque enim uxor marito suo ita debet corpus suum, aut corporis sui usum, uti is debet pecuniam, qui debet ex aliqua stipulatione: Hæc enim pecunia non creditoris, sed debitoris est, corpus vero uxoris est mariti. Vid. *Zieglerus* in not. ad Grot. Libr. II. de I. B.& P. cap.V. Jus igitur mariti, quod in corpus uxoris habet, fortius est, quam jus utendi alieno horto, aut aliena vacca ad certum finem: quod statuit *Paulus Laymannus* in Theol. Mor. Libr. V. tract. 10. part II. c. 1. §. 1

§. 3. Non autem assertionem nostram, quæ mariti jus in corpus uxoris, Imperii connubialis partem esse ait, destruere valebis, si dixeris forte, quod, si connubiale imperium jus in corpus uxoris includat, etiam uxori, quippe quæ itidem jus in corpus mariti habet, imperium illud adscribendum sit. Ius enim, quod maritus in corpus uxoris habet, seorsim, & sine aliis juribus maritalibus spectatum, non est imperium maritale, neq

nec in se & præcise est pars illius imperii, sed quatenus connotat potestatem coercendi, & ea quasi vestitur: Ast jus coercendi maritum non competit in uxorem, cum inferior sit marito, inferiori autem ut tali jus coercendi haud conveniat.

§. 4. *Ius rescindendi juramenta & vota uxoris* nihil aliud est, quam facultas moralis dissensu suo efficiendi, ut actus ille, quo juramentum aut votum se præstitisse uxor putat, non habeat rationem juramenti aut voti proprie dicti, cujus scilicet effectus internus est obligatio jurantis aut votum præstantis. Illud autem jus thesis nostra singulari studio restringit ad juramenta & vota in *rebus conjugii & familiæ* facta. Maritus enim vi sui imperii efficere nequit, ut uxoris jusjurandum aut votum, quatenus vere obligatorium est, non sit implendum: Istius enim juramenti aut voti impletio est jurisnaturalis & divini, contra quod mariti autoritas & regimen nihil valet. Quare si uxor de bonis suis aliquid voto destinaverit Sacris, votum illud vi sui imperii rescindere nequit: Nec enim in isthoc actu & negotio uxor a marito dependet.

Thes. XVI.

Imperium autem maritale non est absolutum, sed certis quibusdam limitibus circumscriptum: Neque enim jus duro servisque apto modo uxorem coercendi, neque ipsum jus vitæ ac necis in uxorem ul-

ullo in casu, neque jus rescindendi contractum uxoris in propria causa absque consensu mariti celebratum, qui mulieri est utilis, quoque ea suis commodis consuluit, nec jus uxorem pro lubitu repudiandi & dimittendi, nec jus suspendendi uxorem ad tempus quoddam a thoro, aiia, quam nuptiis novis sibi maritus adjungit, super inducta, importat.

§. 1. Thesis hæc in morali Theologia plenius tractabitur.

§. 2. Ipsam hanc thesin opposuimus *Hornio* & *Hennigi*, qui l. cit. non tantum duriores uxorem coercendi modos probant, sed & ipsum jus vitæ ac necis in uxorem marito extra remp. constituto deferunt. Rationes eorum in *Morali Theologia* expendentue.

Thes. XVII.

Conjugii FINIS absolute sic dictus, seu Finis CVIVS (h. e. id; cujus afficiendi aut consequendi gratia initur matrimonium) vel ex peculiari vitio intenditur ab his vel illis hominibus societatem nuptialem ineuntibus, v. g. gloria, voluptates, opes &c. vel intenditur a Deo & natura.

Thes. XVIII.

Qui intenditur a Deo & natura ratio-

na-

nali qua tali, vel est finis per se, vel est finis per accidens Finis per se iterum est vel generalis vel specialis. Generalis est gloria Dei; specialis vero est tum sobolis procreatio, ex qua nunc oritur familiæ propagatio, & Ecclesiæ, reique publicæ conservatio, tum mutuum adjutorium Finis conjugii per accidens & accessorius (qui scilicet ex accidente protoplastorum lapsu & peccaminoso hominis statu demum factus est finis) est fuga scortationis, & remedium contra libidines.

Thes. XIX.

Finis CVI matrimonii (h. e. illi, quorum bono ordinatum est conjugium, & quibus id inire licitum est) sunt homines utriusque sexus naturaliter habiles ad matrimonium, tum Laici, tum Chetici seu Ecclesiastici, licet hilusacro ministerio constituantur.

§. 1. Personis Ecclesiasticis, in sacro ministerio constitutis, matrimonii ingrediendi licentiam relinquendam esse, in Anti-Pontificiis, & iis, quas ad Confessionem Augustanam adornavimus olim, prælectionibus ratione varia demonstratum pedimus. Nunc illud saltem urgemus argumentum quod etiam ex parte illarum perso-

na-

narum causæ istæ, quæ juste movent ad conjugium ineundum, inclinatio nempe naturalis ad procreandam sobolem & ad mutuum adjutorium, itemque concupiscentia ordinata sub ratione mali movens, locum habeant. Argumentamur videlicet hunc in modum: *In quoscunque cadunt causæ ad matrimonium ineundum juste ac legitime moventes, illis licitum est inire matrimonium. Atqui in personas ecclesiasticas, in sacro ministerio constitutas, cadunt causæ ad matrimonium ineundum juste ac legitime moventes. Ergo personis ecclesiasticis, in sacro ministerio constitutis, licitum est inire matrimonium.*

§. 2. Controversia hic Protestantibus intercedit cum *Pontificiis*, quippe qui in Concil. Trid. Sess. XXIV Can. IX. de Matrim. *clericos, in sacris ordinibus constitutos, matrimonium contrahere posse negant*, & affirmantes *anathemate* feriunt. Eorum argumenta ex nostratibus cumprimis *Georgius Calixtus* & *Henricus Müllerus* in doctissimis suis de *Conjugio Clericorum* tractatibus solidissime confutant.

Thes. XX.

Peculiaris *affectio* matrimonii est *indissolubilitas*, quæ in eo consistit, quod verum matrimonium cum vi naturæ & objecti contractus matrimonialis, tum vi legis divinæ, ejus etiam, quæ jam in primordio rerum promulgata erat, perpetuo duret,

quamdiu ambo conjuges superstites sunt, & ne mutuo quidem conjugum dissensu in se & ratione suæ formæ solvi rescindique queat.

§. 1. Loquor in thesi de conjugio *in se* ac ratione *suæ formæ* spectato. Quamvis enim conjuges quandoque quoad thorum & mensam separentur, & sic conjugium quoad actuale officium & cohabitationem conjugalem dissolvatur, id circo tamen ipsa matrimonii forma, quæ in mutua maris & fœminæ obligatione, seu in vinculo conjugali consistit, non destruitur, sed ipsum illud vinculum manet, ad tempus saltem cohabitatione & officio conjugali suspenso.

§. 2. Assero autem de conjugio sub ea ratione considerato, quod vi *naturæ & objecti* contractus matrimonialis sit indissolubile. Ille enim contractus sua intrinseca natura est contractus de perpetuo vitæ consortio, ut adeo eius objectum sit perpetua & ad mortem usque duratura cohabitatio. Vnde vi naturæ & objecti contractus matrimonialis conjuges contrahentes tantisper manent conjuges, & ad officia conjugalia obligantur, dum in vivis sunt.

§. 3. Dico secundo in thesi, matrimonium verum vi *legis divinæ* perpetuo durare, & ne mutuo quidem conjugum dissensu dissolvi ac rescindi posse. Id quod abunde patet ex *Matth. XIX, 6.* ubi Christus ait: *Quod igitur Deus conjunxit, homo*

homo ne separet. Hæc enim Salvatoris verba legem esse, & imperandi vim habere, liquidissime constat, ipseque *Grotius* Libr. II. de J. B. & P. c. V. §. 9. confitetur.

§. 4. Ipsius etiam *in rerum primordio promulgatæ legis divinæ* vi matrimonium indissolubile esse, invicto hoc argumento comprobamus: *Quicquid primævæ conjugii institutioni repugnat, id adversatur legi divinæ in rerum primordio promulgatæ. Atqui temeraria matrimonii veri & validi dissolutio primævæ conjugii institutioni repugnat. Ergo temeraria matrimonii veri & validi dissolutio legi divinæ in rerum primordio promulgatæ adversatur.* Majoris propositionis veritas inde elucet, quod omnis divina institutio sua natura importet præceptum seu legem de specificatione actus, (h. e. præceptum de re vel actione instituta non aliter, quam instituta est, agenda vel ineunda) nec relinquat hominibus eam libertatem, ut ipsum actum sic vel aliter suscipere liceat. Minor liquet ex *Gen. II.* ubi divinam conjugii institutionem extare, manifestissimum est, ipseque *Grotius* profitetur, quando Libr. II. de J. B. & P. cap. V. §. 9. docet, *arctæ amicitiæ conjugalis institutionem Gen. II. contineri*, ac paulo post inquit: *Christus, quod Deus institutione conjunxerat, id separari vetuit ab homine.* Quod enim institutio illa indissolubile vinculum conjugale exigat, tribus probatur rationibus. Quippe (1) quando in institu-

tione illa Christus ait: *Et adhærebit uxori suæ*, hoc ipso arctissimam firmissimamque mariti cum uxore conjunctionem significat. Id quod septuaginta interpretes, verbum *adhærere* per τὸ προσκολλᾶσθαι reddentes, subinnuunt, ipseque docet Spiritus Sanctus, quando *Matth. XIX, 5.* in describenda primævæ institutionis repetitione & uberiori declaratione a Salvatore facta eodem vocabulo Græco utitur: Namque τὸ προσκολλᾶσθαι proprie idem est quod agglutinari seu glutine conjungi, ac per metaphoram est arctissime & tenacissime alicui adhærere, sicut eorum, quæ glutine conjuncta sunt, unum alteri adhæret non facile disjungendum. vid. *Mus.* in Thes. de Conjug. §. 33. (2) Vi primævæ institutionis vinculum conjugale arctius fortiusque est ipso illo, quo parentes & liberi junguntur, nexu. Sicut vero hæc copula indissolubilis est, permanens quippe, quamdiu parentes & liberi superstites sunt; ita conjugale quoque vinculum indissolubile censendum est. (3) Salvator ipse, quando *Matth. XIX.* productis primævæ institutionis verbis subjungit: *Quod ergo Deus conjungit, homo ne separet*, ostendit diserte, vi illius institutionis maritum & uxorem nexu ita indissolubili inter se conjunctos esse, ut divellere eos nemini hominum liceat.

§. 5. Dissentimus igitur a *Grotio*, qui l. c. contendit, *repudium ante Evangelii promulgationem nec naturali nec divina lege fuisse prohibitum, &*

ex

ex divina tam arctæ amicitiæ institutione apparere tantum, Deo gratissimum esse, ut perpetua sit ea conjunctio, non autem inde evinci, a Deo tunc imperatum, ne qua de causa fœdus illud solveretur, adeoque Veteris Testamenti temporibus repudium nullatenus fuisse peccatum ac nefas, cum, ubi lex non est, ibi non sit legis transgressio. Quæ sententia præterquam quod ipsi Christo, qui *Matth. XIX, 6.* conclusionem certam tanquam aliquam legem, ex primæva conjugii institutione, velut ex principio certo & lege, deducit, adversetur, ea quoque falsa nititur hypothesi, quasi Salvator præcepta moralia plane nova fidelibus inculcaverit.

Thes. XXI.

Non tamen verum & validum matrimonium absolute, sed secundum quid, & eo modo, quod non facile levique de causa solvi possit, indissolubile est. Namque in casu duplici, uno *adulterii*, altero *malitiosæ desertionis*, omnino dissolvi potest.

§. 1. Nempe si alterutra pars violata fide conjugali adulteretur, pars innocens potest jure petere vinculi conjugalis dissolutionem, & facta dissolutione novum matrimonium inire. Et, si pars una alteram malitiose deserat, tunc parti desertæ, quæ ad cohabitandum parata erat, licentia ingrediendi matrimonium relinquitur, priori conjugali vinculo soluto.

§. 2. Hic autem annotandum est omni studio, ad desertionem malitiosam requiri, ut quis sine consensu conjugis, sine justa aut honesta causa discesserit, nec vel privatis admonitionibus, vel publicis citationibus locum concedat, nec revertendi animum habeat, ullamve reditus aut reconciliationis spem de se relinquat. Ex quo intelligitur confestim, non statim conjugem post suum ab altera parte discessum desertionis malitiosæ argui posse, sed ad hoc, ut quis desertor malitiosus præsumatur, certum temporis spatium requiri. Cum autem difficile & periculosum sit, certum temporis spatium hic definire, respiciendæ ac expendendæ sunt circumstantiæ, pro quarum diversitate nunc longius, nunc brevius tempus determinari debet; prout e. gr. si deserta uxor immorigera, ebrietati dedita, & rixosa sit, suisque crebris altercationibus maritum ad discedendum moverit, longius temporis intervallum constituere oportet, quam ubi deserta conjux virtute omnigena sexui suo conveniente, ornata est. Hinc in responsis Theologicis & juridicis modo decennium, modo novennium, modo septennium, aut sexennium, aut triennium determinatur.

§. 3. Quod in *casu adulterii* matrimonium dissolvi possit, ipse Christus *Matth.* XIX, 9. haud obscure significat, ubi inquit: *Quisquis repudiaverit uxorem, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, adulterium committit.* Hæc enim excepti-

va

va propositio duo indicat: Vnum, quod, qui repudiat uxorem non mœchantem, & ducit aliam, adulterium committat; alterum quod, qui repudiat uxorem adulteram, ducitque aliam, non adulteretur. Atqui hinc recte infertur, quod in casu adulterii uxorem dimittere, & sic soluto vinculo matrimoniali aliam sibi matrimonio jungere liceat.

§. 4. Quod *in casu malitiosæ desertionis* matrimonium dissolvi possit, dilucide testatur Apostolus I. *Cor.* VII. 15. ubi scribit: *Si incredulus discedit* (h. e. uxorem fidelem malitiose deserit) *discedat. Non est servituti subjectus frater aut soror* (h. e. pars fidelis deserta soluta est vinculo matrimoniali.)

§. 5. Dum igitur matrimonium verum in se & quoad ipsum vinculum propter adulterium dissolvi posse asserimus, adversamur omnino *Pontificiis*, quippe qui *in casu adulterii, utrumque conjugem, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, mœchariqueeum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit*, in *Concil. Trid. Sess.* XXIV. Can. V. & VII. tam confidenter statuunt, ut, *si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ita docuit & docet, eum anathema esse* jubeant. Quam Pontificiorum sententiam ex Protestantium Theologorum choro *Gerhardus* in Loc. de Conjug §. 363. seqq. & *Höpf-*

nerus in Disp. Select. VII. de Matrimon. contra Bellarm. §. 82. seqq. p. 216. seq. exquisite examinarunt.

Thes. XXII.

Quando igitur verum & validum matrimonium vel in casu adulterii, vel in casu malitiosæ desertionis, in se & quoad suam formam dissolvitur, divortium fit proprie ac stricte dictum. Hoc quippe nihil aliud est, quam veri & validi matrimonii in se & formaliter (h.e. quoad ipsum vinculum conjugale) spectati rescissio, quæ fit utroque conjuge superstite.

§. 1. Tres nempe conditiones ad divortium proprie ac stricte dictum requiruntur: I. ut divellantur & separentur personæ, quæ antea verum & validum matrimonium inierant: II. ut *ipsum conjugale vinculum* rumpatur, seu mutua ad præstanda officia conjugalia obligatio cesset: III. ut vinculum conjugale dissolvatur inter *utrumque conjugem adhuc superstitem.*

§. 2. Primo, inquam, ad divortium proprie dictum requiritur, ut separentur *personæ, quæ verum & validum matrimonium antea inierant.* Quando enim separantur personæ illegitime conjunctæ (ut, quando separantur personæ, quæ in gradibus consanguinitatis jure naturæ prohibitis nuptias celebrarunt, aut ob personæ errorem,

rem, aut ob vim minasve adhibitas, aut ob impotentiam alterutrius conjugis utrinque non consenserunt libere,) istiusmodi separatio proprie loquendo non est divortium (quippe quod est rati, legitimi & validi conjugii dissolutio,) sed declaratio duntaxat, quod inter personas illas, quæ hactenus fuerunt conjunctæ, nunquam matrimonium verum & validum intercesserit.

§ 3. Requiritur secundo ad divortium proprie dictum, ut ipsum *conjugale vinculum rumpatur*. Quando enim conjuges v. gr. propter inimicitias graviores, & incorrigibiles, & cum discrimine vitæ alterutrius conjugis conjunctas, quoad thorum & mensam tantum separantur, hæcce separatio non est divortium proprie dictum, sed suspensio duntaxat actuum cohabitationis & officii conjugalis: Tunc enim non ipsum conjugale vinculum revera solvitur, cum neutri conjugi aliud inire matrimonium liceat, imo quandoque maritus uxori alimenta suppeditare teneatur.

§. 4. Requiritur tertio ad divortium proprie dictum, ut conjugale vinculum inter *utrumque conjugem superstitem* dissolvatur. Quamvis enim moriente alterutro conjuge conjugale vinculum revera solvatur, hæc tamen dissolutio ex usu loquendi divortium haud appellatur.

Thes. XXIII.

Divortium autem proprie ac stricte dictum duabus tantum de causis contingit, nempe (1) ob adulterium, (2) ob malitiosam desertionem, & ea, quæ malitiosæ desertioni æquiparantur, atque adeo ad illam referuntur, nempe ob pertinacem debiti conjugalis denegationem, & incorrigibilem plane sævitiam.

§. 1. Pertinax debiti conjugalis denegatio refertur ad malitiosam desertionem, quia sicut malitiosus desertor debitum conjugale nec præstat, nec præstare posthac intendit, ita id ipsum de eo, qui debitum conjugale pertinaciter denegat, dicendum est.

§. 2. Sic & sævitia plane incorrigibilis ad malitiosam desertionem refertur, quia sicut malitiosus desertor uxori non cohabitat, nec cohabitandi animum habet, ita is, cujus erga uxorem sævitia plane incorrigibilis est, sævitia sua incorrigibili eam perpetuo a se & cohabitatione repellit.

§. 3. Loquor in thesi non nisi de divortio *proprie stricteque* dicto. Si enim divortii vox in ea latitudine, ut etiam conjunctionum illicitarum, vel quæ ex defectu requisitæ cuiusdam conditionis ipso jure valida conjugia non sunt, dissolutiones, itemque separationem quoad thorum & men-

& mensam sub se contineat, divortii plures, quam duæ, constituendæ sunt causæ, sicut etiam a veteribus quibusdam plures fuerunt constitutæ.

§. 4. Cæterum ipsa nostra thesis exinde patet, quod Scriptura Sacra duas tantum, per quas matrimoniale vinculum dissolvatur, causas assignet.

§. 5. Quamobrem hic quoque dissentimus a *Pontificiis*, qui per *solennem religionis professionem alterius conjugum matrimonium ratum*, jamque contractum *dirimi* Concil. Trid. Sess. XXIV. can. VI. docent, &, si quis id negaverit, *anathema* denunciant.

Thes. XXIV.

Ex conjugio, societate inter simplices prima, de qua hactenus copiose disseruimus, oritur altera, quæ est inter *parentes & liberos*, & tertia, quæ est inter *Dominos & servos*. Conjuges enim ut liberorum procreandorum causa ineunt matrimonium, ita per illorum procreationem constituuntur parentes, atque hinc nascitur naturaliter societas, quæ *paterna* appellari solet. Et quia conjuges sæpius neque rem familiarem satis curare, neque liberorum educatione recte fungi possunt absque servorum

vorum & ancillarum ministerio, tertia hinc provenit simplex societas, quæ est inter Dominum & servum, heram & ancillam, quæ *herilis* vocari consuevit. Atque tres illæ societates, junctim sumptæ, complent demum oeconomiam, seu domum & familiam.

Thes. XXV.

Quemadmodum autem duæ posteriores societates in se mere naturales sunt, ita potissimum Philosophiæ Practicæ explicandæ relinquuntur. In Theologia Morali autem, quæ fidelium parentum & liberorum, Dominorum & servorum munia Deus in Verbo suo præscribat, expendendum venit.

LOCVS XIX.
DE
NOVISSIMIS.

Thes. I.

AD tertiam Theologiæ Revelatæ partem, quæ principia & media consequendæ beatitudinis tradit, referimus tandem tractatum de NOVISSIMIS, *Morte* scili-

scilicet *temporali*, *Resurrectione mortuorum*, *Judicio extremo*, & *Consummatione seculi*. Hæc quippe Novissima annumerari possunt consequendæ beatitudinis Mediis, non quidem stricte dictis (h. e. iis mediis, quæ ita propter finem eliguntur, ut etiam consequendi finis causa proprie loquendo existant), sed mediis in significatu *latiori* acceptis, quo nempe medium dicitur, quicquid quoquo modo est propter finem, licet non sit ejus causa proprie dicta, sed sit saltem nuda conditio ex parte subjecti requisita, vel habeat se tantum ut id, quod removet impediens vel cum fine connexum sit, & ejus consecutionem ordine præcedat. vid. *Musæ.* Introd. pag. 200.

Thes. II.

Loco autem ultimo de *Novissimis* agimus, quia tandem homini per Christum redempto, baptizato, per Verbum ad Deum converso, Ecclesiæ inserto, per fidem justificato, & pro ratione status, in quo a Deo collocatus est, vitæ sanctimoniam sectanti expectanda restant *Mors*, *Resurrectio a mortuis*, *Iudicium extremum & consummatio mundi.*

Thes.

Thes. III.

Novissimorum nomine hic ea veniunt, quæ consecutionem beatitudinis completæ ita antecedunt, ut simul sint ultima vel respectu hominum *singulorum*, vel respectu *universorum* & mundi totius.

§. 1. Mors scilicet temporalis consecutionem completæ beatitudinis ita antecedit, ut sit ultimum quid respectu hominum singulorum, Resurrectio autem, judicium extremum, & Conflagratio mundi sic antecedunt adeptionem beatitudinis completæ, ut sint ultima respectu hominum universorum totiusque mundi.

§. 2. Mors consecutionem beatitudinis completæ antecedit, sive beatitudo hominis completa denotet præcise adeptionem & fruitionem Dei tanquam summi boni, cum intuitiva ejus cognitione, & ardentissimo erga ipsum amore, & ineffabili gaudio conjunctam, sive præter illam Dei adeptionem & fruitionem etiam animæ beatæ cum corpore reunionem & corporis glorificationem includere dicatur: Reliqua vero Novissima saltem beatitudinem hominis completam posteriori modo sumtam antecedunt.

§. 3. Novissima, cum ad consequendæ beatitudinis media hic referantur, in eo stricto accipiuntur significatu, ut beatitudini hominis, velut ejus antecedentia, contradistinguantur. Alias enim si τὰ ἔσχατα seu Novissima in significatu latiori

latiori dicantur ea, quæ sub finem sive vitæ cujusque, sive seculi hujus eventura sunt, ipsa quoque piorum beatitudo cum æterna impiorum damnatione ad ea pertinet.

Thes. IV.

Mortis consideratio merito primum sibi locum vendicat, quia Novissimorum primum est.

Thes. V.

Cum vocabulum *Mors* aut *mori* varie accipiatur in sacris literis, nempe (1) pro morte spirituali vel fidelium vel infidelium, (2) generatim pro renunciatione, qua quis rei, cui addictus fuit, renunciat, (3) pro damnatione æterna, (4) pro cujusvis generis calamitatibus, (5) pro morte temporali; hoc loco ultimum significatum obtinet.

§. 1. Mors spiritualis *fidelium* est renunciatio, qua fideles peccato renunciant, nullumque amplius cum eo commercium habere volunt: De qua morte loquitur Paulus *Rom. V*, 2. ubi ait: *Qui mortui sumus peccato, quomodo amplius vivemus in illo?*

§. 2. Mors spiritualis *infidelium* est omnimoda virium spiritualium (h. e. virium credendi sancteque vivendi) carentia; itemque peccatum quodvis, per quod homo a Deo alienatur,

tur, & mancipium Satanæ est: De qua morte sermo est *Eph. II, 5.* ubi homines (irregeniti) *in peccatis mortui* dicuntur, & *1. Tim. V, 6.* ubi vidua, quæ in deliciis vivit, vivens *mortua* esse perhibetur.

§. 3. *Mori* alicui rei idem est, quod ei renunciare, *Rom. V, 2.*

§. 4. *Varii generis calamitates* vox mortis designat *Exod. X, 17.* ubi Pharao graves illas, quibus Ægyptiorum natio vexabatur, afflictiones mortem appellitat.

§. 5. *Damnationem æternam* mortis vocabulum significat Ioh. VIII, 51. quando Christus inquit: *Si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in æternum.*

Thes. VI.

Mors temporalis vulgo vocatur *mors corporis*, quia est privatio aut destructio illius vitæ, qua ipsum quoque corpus per animam vivere dicitur, seu quia in eo consistit, quod corpori (non animæ) vita adimitur, aut corpus (non autem anima) vivere desinit.

Thes. VII.

Mors temporalis interdum denotat *actum* moriendi, (das sterben,) interdum *statum* (das todt seyn.)

Thes.

Thes. VIII.

Mors temporalis, ut actum notat, formaliter consistit non tantum in actu, quo anima & corpus dissolvuntur, sed etiam in actu, quo anima a corpore realiter separatur.

§. 1. Quod mors pro actu sumta in sua formali ratione includat actum, quo naturale animæ & corporis organici vinculum scinditur, nemo negat, qui immortalitatem animæ credit. Quod autem mors isthoc modo accepta formaliter importet realem animæ a corpore separationem, inficiati sunt veteres Theologi *Tubingenses*, quippe qui mortem in sola animæ & corporis dissolutione, non autem in animæ a corpore separatione constituerunt, atque hinc animam Christi in triduo mortis a corpore discessisse negarunt. vid. B. *Thummius* in παπεωσιγραφία fol. 47.

§. 2. Nos e contrario, quod mors pro actu sumta includat formaliter actum, quo anima a corpore avellitur, argumentis variis comprobamus. Quippe (1) Mors 2. *Pet. I, 14.* diserte dicitur ἀπόθεσις τοῦ σκηνώματος (h. e. *depositio habitaculi,*) hæc autem ἀπόθεσις fit per actum, quo anima a corpore revera divellitur. (2) Quando mors Christi pro actu sumta *Matth. XXVII, 50. Joh. XIX, 30.* describitur, Christus exspirasse, & Spiritum emisisse perhibetur, exspirare autem, seu spiritum emittere realem spiritus seu animæ

a corpore separationem importat. Argumentum ipsum in forma huc redit: *Quicquid est quædam animæ ex corpore emissio, illud est realis animæ a corpore separatio. Atqui τὸ mori* (seu mors pro actu sumta) *est quædam animæ ex corpore emissio. Ergo τὸ mori* (seu mors pro actu sumta) *est realis animæ a corpore separatio.* Minor ex locis Scripturæ jam citatis probatur. Majoris autem veritas ex eo liquet, quod anima, simulatque ex corpore emittitur, a corpore realiter separetur. (3.) Si revivisçere est reditus ad corpus, sequitur, quod mori sit animæ a corpore discessus, atque adeo realis a corpore separatio. Antecedens ex *1. Reg. XVII, 21. Act. XX, 10. Luc. VIII, 5.* manifestum est. Consequentia inde patet, quod mori & revivisçere sint opposita, contrariorum vero contraria sit ratio.

Thes. IX.

Mors temporalis, pro statu sumta, formaliter & in se est privatio vitæ naturalis, quam corpus aliquandiu habuit.

§. 1. Dico primo, quod mors sit *privatio* vitæ. Quo ipso significatur, mortem esse absentiam vitæ ex subjecto capaci. Vti enim negatio pura est absentia formæ ex subjecto incapaci, ita privatio est absentia formæ ex subjecto capaci. Vnde lapis proprie non vocatur mortuus, sed non-vivens, æque ut non dicitur cœcus, sed non-videns.

§. 2.

§. 2. Dico secundo, quod mors sit privatio vitæ *naturalis*. Vitæ enim spiritualis privatio non est mors temporalis seu corporis, sed mors spiritualis.

§. 3. Dico tertio, quod mors sit privatio illius vitæ, quam corpus *aliquandiu habuit*. Quibus verbis subinnuo, mortem temporalem non esse privationem physicam (h. e. privationem, quæ formam antecedit in subjecto,) sed logicam (quæ formam in subjecto sequitur.) Hinc sanguinea illa, ex qua fœtus in utero formatur, massa, antequam vitam accipit, proprie non dicitur mortua, sed vitam non habere censetur.

§. 4. Nostra assertio, quæ mortem, pro statu sumtam, formaliter & in se vitæ privationem esse ait, vel inde patet, quod vitæ directe & ediametro opponatur, non in alio certe, quam privativo oppositionis genere, quo quædam sibi opponuntur ut forma positiva, & formæ illius privatio, ac proinde, uti vita est forma positiva, ita mors sit formæ positivæ, seu vitæ privatio. Hinc etiam in vulgari usu loquendi τὸ *mortuum esse hominem*, & *vitam non habere hominem* idem sunt, & æquipollent.

§. 5. Nostram vero sententiam, quæ mortem temporalem, pro statu sumtam, in se & formaliter privationem esse ait, haud destrues, si dixeris forte, quod, sicut vita naturalis formaliter in unione corporis & animæ consistit, ita mors, pro statu accepta, in dissolutione ac separatione ani-

mæ & corporis, ut hæc ſtatum dicit, poſita ſit. Vti enim unio animæ & corporis, per quam anima corpus actuat & informat, non eſt ipſa ratio formalis vitæ, ſed ejus antecedens & cauſa proxima, unde ipſa immediate reſultat; ita & animæ ac corporis diſſolutio ac ſeparatio non eſt mortis forma, ſed antecedens & cauſa proxima, unde mors proxime & immediate provenit. Neque vero eandem noſtram ſententiam convelles, ſi objeceris porro, mortem, pro ſtatu ſumtam, non eſſe privationem, ſed poſitivum quid, cum mortui *peregrinari a corpore*, antea vero, cum viverent, *in corpore velut domi & in tabernaculo* fuiſſe dicantur *2. Cor. V, 4. 6. & 8.* Diſtinguendum enim probe eſt inter mortem pro ſtatu ſumtam, & inter ſtatum animæ poſt mortem pro actu acceptam & in morte pro ſtatu ſumtam. Certe ipſa mors, pro ſtatu ſumta, non eſt quædam a corpore peregrinatio, ſed hæc peregrinatio pertinet ad ſtatum, qui animæ in morte pro ſtatu ſumta, & poſt mortem pro actu acceptam competit. Alias enim non corpus mortuum, ſed animam mortuam dici oporteret, quia homo ſecundum animam a corpore peregrinatur.

§. 6. Cum igitur mors, ut ſtatum dicit, formaliter & in ſe ſit mera privatio vitæ, definitio illa, qua B. *Hutterus* in Compend. Theol. Loc. XXIX. Qu. I. ex Heerbrando & Hunnio per *diſſolutionem unionis naturalis, qua corpus ab anima ſeparatur*, definit, aut eſt eſſentialis definitio mortis

pro

pro actu sumtæ, aut si est definitio mortis pro statu acceptæ, est definitio causalis (h. e. definitio, quæ præcise causam, qua posita ponitur affectio, & propter quam affectio competit subjecto, exprimit, & quidem causam illam de affectione in casu recto prædicat), eum in modum se habens, quo v. g. se habet eclipseos solaris definitio, quæ eclipsin illam dicit esse interpositionem Lunæ inter solem & visum nostrum, & definitio eclipseos Lunæ, quod hæcce eclipsis sit diametralis interpositio terræ inter solem & lunam, asserens.

§. 7. Cæterum ex hactenus dictis liquido constat, B. *Bajerum* in Compend. Theol. Posit. Part. I. cap. IIX. §. II. not. (d) minus accurate scribere, ubi ait: *Dissolutio animæ & corporis ipsa mortis forma aut ratio formalis non est; sed ab ea differt, ut antecedens a consequente. Quamvis enim non sit infrequens mortem nomine* ἀναλύσεως *aut verbo* ἀναλῦσαι *describi, v. g. II. Tim. IV, 6. Phil. I. 23. non tamen illa formalis appellatio est.* Namque II. *Tim.* IV, 6. & *Phil. I, 23.* sermo est de actu moriendi: ast appellatio illa, qua mors ab Apostolo appellatur ἀνάλυσις, & verbo ἀναλῦσαι describitur, etsi non sit formalis appellatio mortis pro statu sumtæ, est tamen formalis appellatio actus moriendi. Accedit, quod ἀνάλυσις 2 *Tim.* IV, 6. non sit idem ac dissolutio, sed idem denotet quod reversio, neque τὸ ἀναλῦσαι *Phil.* I. 23. idem sit ac dissolvi, sed idem notet ac *reverti.* Certe enim apud Græcos verbum ἀναλύειν non est idem

quod dissolvere, sed proprie dicitur de viatoribus, qui rebus feliciter confectis eo revertuntur, unde sunt egressi, & sic viam ante calcatam quasi retexunt. Quippe apud *Athenæum* Libr. I. memorantur οἱ ἀπὸ τῶν δείπνων ἀναλύοντες. Et *Eustratius* Prolegom. in Post. ait: ὁ γὰρ ἐκ τῆς πατρίδος ἀποδημήσας εἶτα ὑποστρέφων ὅθεν ἐξελήλυθεν, ἀναλύειν λέγεται, i. e. *Qui peregre abest, & rursum revertitur, unde discessit*, ἀναλύειν dicitur. Atque in hoc significatu beata mors vere est ἀνάλυσις, & beate mori est aliquod ἀναλῦσαι. Qui enim beatam mortem oppetunt, illi revertuntur ad Deum, Patrem suum, & in patriam cœlestem. Quo spectat omnino, quod Salomo *Eccles.* XII, 7. inquit, *pulverem* seu corpus hominis *in terram reverti, quemadmodum fuerit, Spiritum vero reversurum ad Deum, qui dedit illum.*

§. 8. Ex iis itidem, quæ jam observavimus, constat, approbandum minime esse, quod B. *Bajerus* l. c. §. XIV. not. (d) docet, fidelium mortem *Phil. I, 23.* dissolutionem (ἀπόλυσιν) appellari. Nec enim mors ibi *dissolutio*, sed *reversio* ab Apostolo vocatur. Nec vero ἀπολύσεως nomine, sed verbo ἀναλῦσαι mortem Paulus ibi describit: ast significationem aliam nomen ἀπολύσεως, aliam verbum ἀναλῦσαι habet, cum illud *dissolutionem* significet, hoc vero idem sit quod *reverti*:

Thes. X.

Sicut alias ex usu loquendi causæ privationis efficientes dicuntur, quæ sunt cau-

sæ

sæ efficientes alicujus effectus, quem necessario consequitur aut comitatur privatio: ita mortis pro statu sumtæ, quippe quæ in se & formaliter est privatio, causæ efficientes ex usu loquendi dicuntur, quæ sunt causæ efficientes alicujus vel aliquorum effectuum, quos in homine necessario consequitur aut comitatur mors pro statu accepta.

Thes. XI.

Quemadmodum vero causæ efficientes effectuum illorum, quos necessario consequitur aut comitatur hominis mors pro statu sumta, sunt duplicis generis, ut aliæ sint morales, aliæ physicæ: ita etiam ipsius mortis pro statu acceptæ causa efficiens recte constituitur alia moralis, alia physica.

Thes. XII.

Inter mortis pro statu sumtæ, & quidem *abstractive* consideratæ (seu præcise & in se, qualis est sua natura, & ut primum in genus humanum introducta est, spectatæ) causas efficientes morales primum locum obtinet diabolus, qui, cum lapsus protoplastorum, & peccati ad totum ge-

nus humanum a protoplastis propagati causa efficiens moralis esset, mortis pro statu acceptæ, quæ in protoplastis eorumque posteris lapsum & peccatum necessario consecuta est, causa efficiens moralis extitit.

§. 1. De causis mortis *concretive* spectatæ (seu consideratæ, ut in particulari huic vel illi homini infertur) inferius disseretur.

§. 2. Diabolum fuisse causam efficientem mortis, ut primum in humanum genus introductæ, Christus haud obscure docet *Ioh. VIII*, 44. ubi Diabolum dicit esse *homicidam ab initio*. Quamvis enim diabolus etiam homicida sit & vocetur, quod homines ad cædem sollicitet ac stimulet, heic tamen potissimum videtur Christus Diabolum adpellare *homicidam ab initio*, quod hominem statim post lapsum in mortem dederit, atque adeo moraliter loquendo interfecerit. Id ipsum, quod diabolus fuerit mortis causa efficiens, subinnuit Apostolus, quando Ebr. II, 14. scribit, *diabolum habere mortis imperium*. Satanas enim mortis imperium habere dicitur, quod suis tentationibus & sollicitationibus hominem devicerit, ac per hoc morti fecerit obnoxium, perinde ut victor tyrannus captivos morti destinat.

§. 3. Diabolum fuisse causam efficientem lapsus protoplastorum, & peccati per generationem

onem a protoplastis in omnem posteritatem propagati, ex *Gen.* III, 1. seqq. luculente adparet. Ibi enim memorat Moses, Diabolum suasione sua Evam ad peccatum induxisse, atque hanc seductam pellexisse Adamum ad peccati societatem. Postquam igitur Protoplasti in peccatum prolapsi erant, non poterat non tota posteritas peccato obnoxia reddi. *Quicquid enim de carne natum est, caro est*, Ioh. III, 5.

§. 4. Quod mors in protoplastis lapsum necessario consecuta sit, ex severa comminatione divinæ legi *Gen.* II, 17. adjecta liquidissime constat. Et quod in tota protoplastorum posteritate ex peccato mors necessario proveniat, patet, quia non tantum Rom. VI, ult. mors *peccati stipendium* dicitur, sed & Rom V, 12. 14. mors *per peccatum ad omnes homines pervasisse* fertur.

§. 5. Liquet nunc clarissime, Diabolum fuisse mortis causam efficientem *moralem*, h. e. causam efficientem mediatam per intentionem. Is enim cum mortem ipsam, tum peccatum, ex quo mors originem traxit, directe intendit, & utriusque effectus vera causa extitit mediantibus ac intervenientibus protoplastis.

Thes. XIII.

Locum a diabolo proximum inter mortis causas efficientes morales sortiuntur *Protoplasti*, quippe qui, cum per peccatum su-

um Deum ut justum Judicem moverent, ut immortalitatis donum subtraheret, quo ablato moriendi necessitas secuta est, ipsius mortis causa efficiens, & quidem *moralis*, recte dicuntur.

§. 1. Protoplastos lapsu suo movisse Deum, ut immortalitatis donum hominibus subtraheret, & sic eos subjiceret morti, docet vel illa ipsa comminatio, qua Deus *Gen. II, 17.* primo homini dicebat: *Quocunque die comederis* (de fructu arboris vetitæ) *morte morieris* (h. e. quacunque die legem meam de non comedendo arboris illius fructu fueris transgressus, subtraham immortalitatis donum, moriendique necessitatem infligam.

§. 2. Peccatum igitur, seu lapsus est protoplastorum, ut causæ efficientis mortis, *causalitas*, seu peccatum est ratio formalis, per quam protoplasti actu fuerunt mortis causa efficiens. Id quod ipse *Hutterus* noster in *Compend. Theol.* Loc. XXIX. Qu. II. subinnuit, ubi *mortis causam primariam* peccatum esse inquit. Sensus enim est, quod protoplasti per lapsum suum veræ mortis causa actu extiterint.

§. 3. Protoplasti autem eo ipso, quod Deum ad auferendum immortalitatis donum, & sic ad homines morti subjiciendos moverunt, fuere mortis causa efficiens *moralis*, h. e. causa efficiens mediata per intentionem. Mortem enim sibi & toti

toti posteritati attraxerunt interventu Dei tanquam justi Judicis, qui donum immortalitatis in peccati pœnam subtraxit, quo ablato secuta demum est moriendi necessitas. Ac licet suam & posterorum mortem non intenderint directe, eam tamen indirecte intenderunt, quatenus in lapsum, ex quo mortem secuturam esse nosse debebant, directa intentione ferebantur: Atqui ad causam efficientem moralem sufficere intentionem effectus indirectam, ex *Metaphysicorum* præceptis dudum constitit.

Thes. XIV.

Deus etiam certo modo mortis causa efficiens dici potest, non quidem quod delectetur hominis morte, vel ad peccatum, per quod mors introducta est, hominem instigaverit, aut ullo modo ut causa concurrerit, vel quod nulla habita ratione alicujus causæ in homine occurrentis in ipso rerum primordio, ut homines morerentur, instituerit, sed quod homini immortalitatis donum ob peccatum justo judicio subtraxerit, & sic tanquam justus judex & peccatorum vindex severus homini mortem ut malum pœnæ ob antegressum malum culpæ inflixerit.

§. 1. Deum mortis causam efficientem esse, ex *Psalmo XC. v. 3. & 7.* liquet, ubi Deus *homines mori jubere, & furor Dei nos consumere* (h. e. Deus justissima sua ira, seu justitia sua ultrice commotus hominibus moriendi necessitatem inflixisse) dicitur. Id ipsum etiam ex eo patet, quod Deus homini mortem tanquam malum pœnæ irroget, omnis autem pœnæ causa efficiens dicatur is, qui punit.

§. 2. *Non delectatur Deus hominis morte*, cum tanquam autor vitæ conservatione ac vita hominum delectetur. Confer. *Sap. I, 13. c. II, 23.*

§. 3. Neque Deus hominem ad peccatum, mortis causam, instigavit, aut ulla ratione ad illud per modum causæ concurrit. Nec enim Deus iniquitatem vult, *Psalm. V, 5.* sed potius peccatum severissime interdixit *Gen. II, 17.*

§. 4. Nec vero Deus in ipso rerum primordio, ut homines morerentur, instituit. Is enim homines primos ἐν ἀθανασίᾳ condidit, cum *Gen. II, 17.* clarissimis verbis significet, tum demum eos morituros esse, ubi divinam legem transgressi fuerint.

§. 5. Deus autem *per hoc*, quod *immortalitatis donum hominibus subtraxit*, illius effectus, quem mors necessario consecuta est, atque adeo ipsius etiam mortis vera causa efficiens fuit. Quemadmodum enim donum immortalitatis in eo consistebat, quod qualitates elementares seu primæ, licet ex se contrariæ, nihilominus accuratis-

ratissima harmonia ita temperatæ essent, ut passioni, quæ ad interitum tenderet, locum non darent; ita subtracto illo dono ex qualitatum istarum paulatim in se invicem agentium pugna humidi radicalis absumtio, calidique nativi extinctio, quam non potest non corporis & animæ dissolutio, tanquam proxima & adæquata mortis (pro statu acceptæ) causa consequi, orta fuit.

§. 6. Ex jam dictis facile intelligitur, Deum esse mortis causam efficientem *moralem*, h. e, causam efficientem mediatam per intentionem. Namque non solum mortem hominis infligere intendit ac voluit (non quidem voluntate antecedente, h. e. præcise ex se, & ex nativa sua inclinatione, sed voluntate consequente, h. e. habita ratione alicujus causæ ac circumstantiæ in hominibus deprehensæ) cum quicquid agit extra se, id non casu & fortuito, sed ex intentione agat; verum etiam mediante ac interveniente causa efficiente physica, humidi nempe radicalis absumtione & calidi nativi extinctione (quæ subtracto immortalitatis dono ex qualitatibus primis, ut paulatim in se invicem agentibus, provenit,) dissolutionis animæ & corporis, quam mors pro statu sumta necessario consequitur, vera & realis causa efficiens extitit.

Thes. XV.

Mortis pro statu acceptæ, si abstractive (h. e. in se & ut primum in humanum genus

genus introducta est) consideretur, causa efficiens physica est humidi radicalis absumtio, & calidi innati extinctio.

Illa enim absumtio & extinctio est causa efficiens physica dissolutionis, qua animæ & corporis unio destruitur, atque hanc destructionem mors pro statu sumta, seu privatio vitæ necessario consequitur: Ast quicquid est causa efficiens physica effectus illius realis, quem privatio necessario consequitur, id quoque causa efficiens physica ipsius privationis ex usu loquendi dicitur.

Thes. XVI.

Mortis, quatenus, qualis sua natura est, & prout primum in genus humanum introducta fuit, consideratur, *causa impulsiva* ex parte Diaboli (h. e. illud, quod Satanam impulit, ut directe vellet ac intenderet hominum mortem, eamque actu in humanum genus inveheret) erat cum Satanæ invidia aut odium ex invidia natum, tum ipsum beneficium immortalitatis hominibus a Deo concessum.

§. 1. Nam vi invidiæ aut odii ex invidia orti insigne immortalitatis donum homini divinitus datum Satanas æquo animo intueri non poterat, atque hinc invidia illa aut odio isthoc concitatus homi-

homini tantum donum auferre quoquo modo studebat. Id quod *Liber Sapientiæ* cap. II, v. 24. docet, ubi invidia diaboli mortem intrasse in mundum testatur.

§. 2. Sic & cum Satanas immortalitatis donum, quo primi homines refulgebant, æquo animo intueri non posset, donum illud sub ratione mali (seu rei alicujus, quæ Satanæ molesta ac disconveniens erat) impellebat ipsum, ut hominum mortem intenderet, eamque tandem latrocinali fraude in protoplastos a se in peccatum præcipitatos, totamque eorum posterioritatem inveheret.

Thes. XVII.

Mortis in se, & ut primum humano generi immissa fuit, spectatæ *causa impulsiva ex parte Dei* (h. e. id, quod Deum impulit, ut mortem hominibus infligere vellet, ipsoque actu infligeret) erat cum justitia divina vindicativa, tum protoplastorum lapsus.

§. 1. *Iustitiam divinam vindicativam* ad illum effectum impulisse Deum, justissimum judicem, constat manifeste ex *Psalm.* XC, v. 7. ubi *ira Dei* (seu justitia divina ultrix) *nos consumere* perhibetur. Nam justitia Dei per hoc homines consumit, quod Deum movet, ut eos morti subjiciat.

§. 2.

§. 2. Sic & peccatum, cum Deum, tanquam justissimum judicem & severissimum peccatorum vindicem, gravissime offenderet, sub ratione mali (seu rei Sanctissimo Numini quam maxime disconvenientis) eundem impulit, ut homines morti tanquam malo pœnæ subjiceret.

Thes. XVIII.

Mortis abstractive consideratæ *causa impulsiva ex parte protoplastorum* (h. e. id, quod protoplastos impulit, ut mortem indirecte intenderent, & lapsu suo mortem sibi suæque posteritati attraherent) fuit seductio ac persuasio Satanica.

§. 1. Illa enim impulit protoplastos, ut non tantum actum comedendi de fructu arboris vetitæ directe, adeoque mortem ipsam, quæ ex actu illo secuta est, indirecte intenderent, sed & reapse de fructu isthoc comederent, atque hoc comedendi actu sibi suæque posteritati mortem accerserent.

§. 2. Dissentimus hic a B. *Bajero*, qui in *Compend. Theol. Posit.* Part. I. cap. IIX. Thes. VII. not. (f) scribit: *Ex parte ipsorum protoplastorum causam impulsivam non damus: quia illi mortem directe non intenderunt.* Aliquam enim mortis causam impulsivam ex parte ipsorum protoplastorum fuisse, duplici evincimus argumento. Quippe (1) protoplastos fuisse causam efficien-

cientem mortis, ex præcedentibus liquet. Atqui omne agens, cognoscendi potentia & appetitu præditum, causa impulsiva ad agendum, seu causandum effectum a cognitione distinctum impellitur ac commovetur. (2) Quicquid causam efficientem movet ad causandum effectum antecedentem, id quoque eandem efficientem causam movet ad causandum effectum consequentem, qui ex effectu antecedente necessario sequitur. Atqui seductio ac persuasio Satanica protoplastos (tanquam causam efficientem mortis) movit ad causandum effectum antecedentem (nempe ad lapsum). Ergo seductio ac persuasio Satanica movit protoplastos ad causandum effectum consequentem, qui ex effectu antecedente necessario secutus est (nempe ad mortem ex lapsu necessario secutam.)

§. 3. Ratio, quam ad suam firmandam opinionem *Bajerus* adducit, nullius est momenti. Sufficit enim ad causam impulsivam, si sub ratione boni aut mali causam efficientem ad indirectam effectus intentionem moveat.

Thes. XIX.

Mortis per se & quoad suam originem spectatæ FINIS (h. e. illud, propter quod est mors, per se ac ratione suæ naturæ considerata, aut propter quod acquirendum mors primum humano generi immissa

fuit) duplex est. Alius quippe finis est ex parte Satanæ, alius ex parte Dei, hoc est, alium finem intendit Satanas, cum seductione sua mortem introduceret, alium intendit Deus, cum ex justo judicio mortem humano generi immitteret. Finis ex parte diaboli est expletio odii erga Deum & homines: ex parte Dei vero est peccatorum vindicatio, ac proinde etiam divinæ justitiæ declaratio.

§. 1. Quod ad finem a Satana intentum attinet, certe Spiritus ille malignus, uti odio inexplebili erga Deum tanta gratia homines complectentem, & erga homines tanto beneficio divinitus ornatos flagrabat, ita facinore illo, quo homines ex inæstimabili immortalitatis decore deturbatos in mortis præcipitium abripuit, odium illud quoquo modo explere sategit.

§. 2. Quemadmodum judex justus pœnam delinquentibus infligit, non ad explendam libidinem, sed ad vindicandum delictum, & justitiæ suæ ultricis, quam adversus flagitiosos homines ad terrendos eos aliosque ejusdem furfuris mortales exercere studet, specimina expromenda: ita Deus, quando ut judex justus mortis pœnam hominibus peccatoribus irrogavit, hoc fecit ad ulciscendum peccatum, suæque justitiæ infinitæ vim demonstrandam.

Thes.

Thes. XX.

Subjectum mortis (h. e. homines, qui necessitate quadam naturæ sunt mortales) sunt homines omnes, cum primi post lapsum, tum ab his per carnalem generationem descendentes.

§. 1. Apostolus enim in *Adamo omnes mori* 1. *Cor.* XV, 22. asserit: Et *Rom. V, 12. mortem in omnes homines transiisse* inquit.

§. 2. Quando in thesi nostra dicimus, omnes homines a protoplastis *per carnalem generationem* descendentes necessitate naturæ mortales esse, hoc ipso significamus, Christum, qui conceptus est ἐκ πνεύματος ἁγίου, licet revera mortuus sit, non tamen necessitate quadam naturæ, sed sua liberrima voluntate ac dispensatione voluntaria pro alienis peccatis mortem subiisse. Id quod probatur ex *Joh.* X, 18. ubi ipse Salvator ait: *Nemo tollit animam a me, sed ego tollo eam a me ipso.* Id ipsum exinde liquet, quod, qui ex necessitate naturæ mortales sunt, necesitatem hanc (uti Apostolus *Rom. V, 12.* testatur) immediate vi proprii peccati habeant, Christus vero ab omni prorsus peccato, cum originali, tum actuali, immunis sit.

§. 3. Impegit igitur ex Pontificiis immane quantum *Salmero*, quando comment. ad 1. *Cor.* XV, scripsit: „*Quis ausit ullum hominem a communi mortis debito excipere, si nec Christus, nec*

Beata Virgo, nec Iohannes Baptista, nec Apostoli ab eo excepti fuerunt?

Thes. XXI.

Illa tamen mortalitas non in omnibus ab Adamo per carnalem generationem descendentibus in actum deducitur. Quamvis enim Enoch & Elias necessitate quadam naturæ mortales fuerint, omnesque illi, quos extremus dies vivos deprehendet, eadem illa necessitate mortales sint, tamen ex dispensatione peculiari ac speciali privilegio nec illi (Enoch & Elias) mortem proprie dictam subiere, nec hi (quos scil. extremus dies vivos deprehendet) mortem proprie dictam subibunt.

§. 1. Quod ad *Enochum* attinet, diserte in *Ebr.* XI, 5. dicitur *translatus* fuisse, *ne videret mortem.* Quod ipsum *Gen.* V. indicat Moses, qui postquam de Enocho prædicasset, quod *ambulaverit cum Deo continenter* (h. e. Deum perseveranti fide & constanti cordis integritate coluerit,) subjungit tandem: *Et non ipse* (i. e. non amplius visus est & apparuit,) *quia Deus eum tulit* (seu transtulit, assumsit, ad re recepit.)

§. 2. Quod ad Eliam spectat, expresse 2. *Reg. II, 2. currus igneus & equi ignei separationem fecisse* dicuntur *inter Elisam & Eliam*, atque hic *turbine in coelum ascendisse* fertur.

§. 3.

§. 3. Ac licet de hominibus illis, quos novissimus dies vivos deprehendet, Apostolus 1. *Cor.* XX, 51. testetur, ipsos tunc immutatum iri, hæc tamen immutatio non erit mors proprie dicta, seu ipsam mortis formalem rationem non habebit. Quæ enim immutatio morti opponitur, illa non est mors proprie dicta. Atqui immutatio, hominibus illis, quos dies mundi extremus vivos deprehendet, contingens, in dicto Apostoli jam citato morti opponitur. Sic quippe totus locus Apostolicus se habet: *Ecce vobis mysterium dico: Non omnes quidem obdormiemus: omnes autem immutabimur, in momento, in ictu oculi, in novissima tuba.* Cujus dicti genuinus sensus huc redit; *Ecce! narro vobis rem arcanam, & quam ratio hominis sibi relicta sine revelatione divina nunquam assequi potuisset. Nimirum licet omnes illi, qui sunt mortui, in fine mundi & sub adventum Christi ad judicium revera resuscitandi sint, non tamen omnes, qui alias ex necessitate naturæ mortales sunt, vere morientur: Illi quippe, quos dies mundi extremus vivos deprehendet, non morientur proprie loquendo, sed loco mortis proprie dictæ peculiarem, inusitatam, & subitaneam immutationem sustinebunt.* Cæterum vulgata versio locum illum male sic reddidit: *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur* (scilicet, ut versio illa putat, ad gloriam.) Nostra enim lectio in Græcis codicibus reperitur, eamque *Hieronymus*, *Chry-*

Soſtomus, *Theophylactus*, & alii amplectuntur.

§. 4. Hic igitur hallucinati ſunt Hebræi quidam, qui (ceu *Pareus & Bonfrerius* ad *Gen.* cap. V. annotant) Henochum jam olim mortuum, & morte præmatura, ſed ſine ullo dolore, a Deo ſublatum eſſe, eo videlicet modo ac ſenſu, quo Ionas c. IV. v. 3. exoptabat, ut Deus animam ſuam tolleret. Erravit hic porro *Balthaſar Clavaſſius*, Ieſuita, qui vulgata, quam modo taxavimus, lectione deceptus ſtatuit, illos quoque actu morituros eſſe, qui ſub ipſum adventum Chriſti ad judicium ſuperſtites erunt.

Theſ. XXII.

Quanquam negandum non ſit, non ſolum homines illos, quos dies mundi extremus vivos deprehendet, aliquid morti ἀνάλογον ſubituros eſſe, ſed & Henochum atque Eliam immutationem morti analogam ſuſtinuiſſe.

§. 1. Nam verba Dei *Gen. II. 17.* conſignata: *Morte morieris*, absque omni exceptione prolata ſunt.

§. 2. Noſtræ vero theſi (quod ad Henochum & Eliam attinet,) minime obſtat, quod illos mortuos non eſſe Scriptura perhibeat. Namque etiam illos homines, quos extremus mundi dies vivos deprehendet, non morituros, & tamen immutandos eſſe, Apoſtolus teſtatur.

§. 3.

§. 3. Illa autem immutatio, quam experti sunt Henochus & Elias, & cui homines in fine mundi superstites subjicientur, consistit in mutatione quadam inusitata & peculiari, qua citra animæ & corporis dissolutionem, & citra passionem dolorosam alicujus rei adversæ, quæ solutioni animæ & corporis sit similis, ex statu mortalitatis ad statum immortalitatis homines in instanti transferuntur.

Thes. XXIII.

Mortis pro statu & concretive acceptæ (h. e. privationis vitæ, ut huic vel illi homini in individuo & in particulari accidit) causa efficiens est vel physica, vel moralis. Physica est, quæ est causa efficiens physica dissolutionis animæ & corporis in hoc vel illo certo ac determinato subjecto; Moralis autem est, quæ dissolutionis illius causa efficiens moralis existit in hoc vel illo subjecto determinato.

Thes. XXIV.

Solutionis animæ & corporis, quæ huic vel illi in individuo & in particulari homini contingit, causa efficiens physica est vel naturalis, vel præternaturalis, vel violenta.

Thes. XXV.

Naturalis causa dissolutionis animæ & corporis est causa eius intra hominem occurrens, quæ ex communi corruptæ naturæ necessitate proxime oritur. Cujusmodi causa est unica, nimirum humidi radicalis absumtio & calidi nativi extinctio, quatenus ex qualitatibus primis seu elementaribus paulatim in se invicem agentibus provenit.

Dico notanter: *Quatenus ex qualitatibus primis paulatim in se invicem agentibus proxime provenit.* Nam humidi radicalis absumtio & calidi innati extinctio, quatenus immediate non ex internecina & diuturna qualitatum primarum (quæ sunt calidum & frigidum, humidum & siccum) inter se pugna, sed ex morbis vehementioribus (e. g. febribus, hydrope, phtisi, peste, &c.) provenit, pertinet ad causas solutionis animæ ac corporis præternaturales: ac quatenus a re externa, corpori, vel parti corporis nobiliori vim lethalem inferente, proxime oritur, ad causas solutionis illius violentas spectat.

Thes. XXVI.

Præternaturalis causa (stricte dicta, quæ scil. causæ efficienti violentæ contradistinguitur) solutionis animæ & corporis est

est causa ejus intra hominem occurrens, quæ neque ex communi necessitate naturæ, neque a re externa corpori vel parti corporis nobiliori vim lethalem inferente, sed aliunde (v. g. a vitio diætæ, in victu, aere, somno & vigiliis, motu & quiete, vel etiam in adfectibus admisso) proxime oritur. Qualis causa est morbus vehementior, quippe quo humidum radicale absumitur, & calidum nativum extinguitur; itemque ipsa illa absumtio, cum calidi nativi extinctione conjuncta, ut ex morbo quodam vehementiori ortum habet.

Thes. XXVII.

Violenta causa efficiens physica dissolutionis corporis & animæ est vel res quædam externa (e. g. venenum, gladius, ignis, aqua) quæ corpori vel parti corporis nobiliori, aut ad vitam simpliciter necessariæ vim ejusmodi infert, qua nutritii sanguinis & spirituum generatio ac distributio impeditur aut tollitur; vel interna homini radicalis humidi consumtio, & calidi nativi extinctio, quatenus ab ejusmodi re externa proficiscitur.

Ad illustrandam hancce thesin observandum hic est, quod, postquam nutritii sanguinis & spirituum animalium generatio ac distributio impedita aut sublata est, humidi radicalis absumtio, calidique nativi extinctio, ac porro animæ & corporis dissolutio sequatur.

Thes. XXVIII.

Causa efficiens moralis dissolutionis animæ & corporis in hoc vel illo certo ac determinato subjecto valde variat, eamque aliquando morientes ipsi, aliquando homines alii, ac spiritus boni aut mali, nonnunquam homines morientes & alii, forte & spiritus simul constituunt. Vid. hic omnino B. *Bajerus* in Comp. Theol. Posit. P. I. Cap. IIX. §. XIII.

Thes. XXIX.

Hinc & pro differentia agentium moralium, hominum ac spirituum, major *causæ impulsivæ* varietas hic occurrit, quam ut omnes motivorum classes compendio proponi distincte possint. Vid. & hic B. *Bajerus* l. c. not. (g)

Thes. XXX.

Mortis *concretive*, ac ratione certorum subjectorum, videlicet credentium & per fidem

fidem justificatorum, spectatæ FINIS non est peccatorum vindicatio, sed morientium a calamitatibus & miseriis liberatio, itemque ad meliorem vitam promotio.

§. 1. Mortis credentium finem esse eorum a calamitatibus ac miseriis liberationem, subinnuit Apostolus *Rom. VII, 24.* ubi ait: *Quis me eripiet ex corpore mortis?* Quippe mens ejus est, sese optare magnopere, ut anima sua a corpore mortali, in quo imperiosus tyrannus (habitualis nimirum inclinatio ad mala, hominem reddens captivum legi peccati, seu hominem necessitati peccandi subjiciens) sedem fixit, liberetur. Atque ob eam rationem, quod mortis credentium finis sit liberatio eorum a calamitatibus & miseriis, Scriptura Sacra piorum mortem vocat somnum *Matth.* IX, *24. Joh.* XI, *11.* & requiem a laboribus *Apoc.* XIV, *13.*

§. 2. Mortis credentium finem esse etiam promotionem ad vitam meliorem, clarissime Salvator *Joh. V, 24.* edocet. Id ipsum vel inde patet, quod mors illa *2. Tim. IV, 6.* vocetur ἀνάλυσις h. e. *reversio* (nempe ad Patrem cœlestem, Deum, & ad cœlestem patriam.)

§. 3. Cum igitur finis mortis ex parte credentium sit tum liberatio a calamitatibus & miseriis, tum promotio ad vitam meliorem, Apostolus non solum omnibus votis mortem expetit, *Cupio*, in-

inquiens, ἀναλῦσαι, & esse cum Christo, sed & eam appellitat *lucrum*, ibid. v. 21.

§. 4. Quod si autem mortis credentium finis est cum liberatio a calamitatibus & miseriis, tum promotio ad meliorem vitam, sane mortis illius finis non potest esse peccatorum vindicatio: Hæc enim provenit ab irato Deo, liberatio autem a miseriis, itemque promotio ad meliorem vitam ex Dei gratia oritur.

Thes. XXXII.

Quamvis igitur mors per se, & qualis est sua natura, in omnibus Adami posteris, naturaliter genitis, etiam in infantibus, morbis & morti obnoxiis, sit pœna peccati proprii, & quidem his, qui pereunt, pœna omnium terribilissima, non solum, quod sua natura destructionem vitæ importet, sed etiam quod janua & transitus sit ad mortem seu damnationem æternam; non tamen respectu credentium, qui fide in Christum Deo Patri reconciliati sunt, *pœnæ rationem* habet.

§. 1. Mortem per se, & qualis est sua natura, in omnibus Adami posteris esse pœnam peccati in iis deprehensi, inde cumprimis liquet, quod Apostolus *Rom. VI.* v. ult. mortem indiscriminatim vocat ὀψώνια τῆς ἁμαρτίας. Illic quippe peccator comparatur militi, peccatum militis

tis labori, mors stipendio militari. Videlicet uti miles labore suo acquirit stipendium, quod ipsi jure debetur: ita peccator peccato suo, satis quandoque laborioso, mortem temporalem & æternam, tanquam aliquod salarium, peccato jure debitum, meretur. Mors autem non ὀψώνιον in singulari, sed ὀψώνια in plurali, dicitur, quo significetur, uno mortis vocabulo multas variasque mortis species contineri. Vid *Meisnerus* in *Consider. Theol. Photin.* p. 675.

§. 2. Mortem, quando in se spectatur, pœnam peccati esse in posteris Adami, Protestantes pridem docuerunt. Quippe *Apologia Augustanæ Confessionis* ad Art. II, p. 58. contendit, *mortem & alia corporalia mala proprie esse pœnas peccati originalis.* Conf. B. Lutheri Catech. Major p. 532. & Declar. Solid. Form. Conc. p. 641. num. IV.

§. 3. Mortem autem respectu credentium pœnæ rationem habere, inde (1) probamus, quod pœnæ proprie dictæ finis sit delicti vindicatio, finis vero mortis credentium non sit peccatorum vindicatio, sed liberatio a calamitatibus & miseriis, nec non evectio ad vitam meliorem. (2) Ad evincendum illud nostrum assertum ita argumentamur: *Quicquid est beneficium, illud non est pœna* (cum pœna proprie loquendo sit malum passionis, quod infligitur ob malum actionis.) *Atqui mors fidelium est beneficium*, (quia est medium ad glorificationem ducens.) *Ergo*

mors

mors fidelium non est pœna. (3) Ad constabiliendam eandem nostram assertionem heic commemoramus, per Christi satisfactionem fide apprehensam credentibus peccata a Deo gratis condonari, peccatis vero condonatis pœnæ peccatorum etiam ut remittantur, necesse esse, inter quas cum mors sit, hanc quoque quoad esse pœnæ ratione credentium sublatam esse oportere.

§. 4. Thesin nostram hucusque demonstratam opposuimus ex parte Pelagianis, Socinianis & Quakeris. *Pelagiani* enim & *Sociniani*, cum negarent peccatum originale, negarunt quoque, mortem in se spectatam habere rationem pœnæ respectu peccati, quod sit in singulis. Sic & *Quakeri* docent, mortem naturalem, licet sit consequens lapsus protoplastorum, non tamen, si in se spectetur, in posteris Adami esse pœnam peccati, quod sit in singulis. *Barclajus* namque in Apolog. Thes. IV. §. V. pag. 61. concedit quidem, mortem naturalem esse lapsus consequens quoddam, inficiatur autem, quod ea *necessario inferat iniquitatem in omnibus, qui morti naturali obnoxii sunt.* Hinc &, quando Apostolus mortem ad omnes homines eo, quod omnes peccaverint, pervasisse *Rom. V*, 12. ait, Barclajus per mortem non intelligit mortem naturalem, sed pravum illud semen, malum substantiale, inde ab Adamo in omnes derivatum. Consimili ratione ante editam a *Barclajo* Apologiam *William Caton* contra Hamburgensium

Quã-

Quäcker-Greuel pag. 69. inficiatus est, naturalem mortem posse dici stipendium peccati.

§. 5. Nostram quoque thesin alia ex parte opposuimus *Pontificiis*, qui mortem pro pœna proprie dicta habent, non tantum respectu impiorum, sed & ratione credentium & piorum, quibus peccatum remissum est. Vid. Bellarm. Lib. IV. de Pœnit. cap. II. p. m. 328. 329.

Thes. XXXII.

Nullo autem modo ac respectu finis mortis est deletio reliquiarum peccati.

§. 1. Nec enim humanis passionibus, sed acerbissimæ solius Christi morti debetur hæc laus, quod peccata deleat. Id quod ex nostratibus prolixe ostendit B. *Brochmandus* Tom. II. System. L. de Bapt. cap. VI. Qu. V. p. m. 429.

§. 2. Errant igitur gravissime *Pontificii*, qui *mortem violentam pro Christo susceptam, quæ dicitur martyrium, sine dubio omnes peccatorum reliquias purgare* docent.) Vid. *Bellarminus* Lib. II. de Purg. cap. IX. p. m. 129.

Thes. XXXIII.

Neque ullo modo ac respectu finis & effectus mortis est satisfactio pro peccatis.

§. 1. Blasphemum enim est in passionem & mortem Christi, si quis dixerit, finem & effectum hominis nudi esse satisfactionem pro peccatis.

tis. Vid. *Wolffgangus Platzius* in Luco succiso Err. Pontif. Loc. LXXXIX. p. 547. 548.

§. 2. Impingunt hinc itidem *Pontificii*, qui statuunt, *mortis naturalis*, imo *violentæ* quoque (e. g. latronis aut adulteri) *patienter susceptæ & toleratæ* effectum finemque esse satisfactionem pro peccatis. Atque hoc ex Pontificiis publice quondam tradidit Doctor Käysersberger in Serm. von Eigenschafften des Dorffmeyers/ fol. 126. ac perhibet laudatus *Platzius* l. c. pag. 545. 546. 547. quod ejus concionem omnium fere in Germania Ecclesiarum pulpita tunc rexerint.

Thes. XXXIV.

Postquam mors, ut actum moriendi dicit, facta est (h. e. vinculum corporis & animæ naturale est disruptum, & anima a corpore realiter separata,) atque adeo mors pro statu sumta ingruit, anima hominis non perinde, ut corpus, corrumpitur, sed superstes manet.

§. 1. Animæ humanæ immortalitas (vi cujus ipsa reapse non annihilatur, licet per absolutam Dei potentiam annihilari possit) non solum ex sacris literis, verum etiam ex principiis naturæ manifeste probatur.

§. 2. Quando humana ratio, sibi relicta, illam animæ immortalitatem demonstrat, tunc primo omnium ostendit, animam hominis ratio-

tione intrinsecæ suæ naturæ incorruptibilem esse (h. e. per naturam seu essentiam suam ita comparatam, ut nulli destructioni per causas naturales factæ obnoxia sit aut obnoxia esse possit,) ac deinceps probat, animam hominis nec per absolutam Dei potentiam reapse destrui.

§. 3. Animam humanam intrinseca sua natura incorruptibilem esse, ratio humana hocce comprobat argumento: *Quicquid sua natura est immateriale, illud etiam sua natura est incorruptibile. Atqui anima hominis sua natura est immaterialis. Ergo anima hominis sua natura est incorruptibilis.* Major inde patet, quod nulla substantia, nisi materialis & corporea, per causas naturales destrui queat. Minor ex eo liquet, quod anima hominis edat etiam operationes prorsus spirituales, (h. e. operationes, quæ a nulla plane materia dependent, seu quæ per nullum organon corporeum ac materiale producuntur,) quales autem sunt operationes, talem quoque causam esse necesse sit, cum effectus suam causam, vel sphæram activitatis causæ suæ non excedat. Animam vero humanam fungi etiam operationibus quibusdam prorsus spiritualibus, evidens est ex operationum quarundam, quas ipsa elicit, objecto. Illa enim anima non solum res singulares, verum etiam universales cognoscit, nec tantum res materiales, sed & immateriales cognoscit & appetit, ejusmodi vero cognitio & appetitio non potest non esse immateria-

terialis ac spiritualis, cum actio materialis, seu actio ab instrumento materiali ac corporeo dependens, non nisi circa res singulares ac materiales versetur. Nec vero minorem prolati argumenti propositionem subvertes, si regesseris, animam hominis in omni cognitione elicienda dependere a materia, cum sine phantasmatibus, quippe quæ sunt species rerum sensibiles ac materiales, nihil intelligere possit. Quamvis enim anima humana, quamdiu in corpore est, nihil possit (ut ipse *Aristoteles* Lib. III. de Anim. text. 30. & 39. docet) intellectu suo percipere sine antegressis phantasmatibus, ex quibus desumit species intelligibiles, ad intelligendum necessario requisitas, inde tamen colligi nequit, eam ad producendam rerum universalium & immaterialium cognitionem corporeo ac materiali instrumento uti. Certe enim in eliciendo illo cognitionis actu non indiget phantasmate, tanquam aliquo organo, sed se supra phantasmata elevat.

§. 4. Animam hominis nec *per absolutam Dei potentiam reapse destrui*, ratio humana ex eo docet, quod, si Deus eam vim animæ nostræ inferret, supervacaneus foret omnis Numinis cultus, vana foret omnis religio, omnis justitia & honestas, atque eorum, qui deliciarum & voluptatum studio dediti sunt, conditio melior foret, quam complurium hominum, temperantiam, sobrietatem, justitiam & pietatem consectantium,

tium, hoc vero sanctitas & justitia Dei minime permittat.

§. 5. Cum igitur vel ipsa naturali ratione judice anima humana incorruptibilis sit, illam immortalitatem antiquissimi gentilium Philosophi, cumprimis *Plato* in Phædon. & *Aristoteles* Libr. I. de Anim. t. 65. & 66. Lib. II. text. 21. & Lib. III. text. 4. 6. 7. perspectam cognitamque habuerunt. Memoratu certe dignum est, quod *Aristoteles* Lib. I. de Anim. f. 65. ait, intellectum ἐ φθείρεσθαι (non corrumpi), & f. 66. τὸν νῦν θειότερόν τι, καὶ ἀπαθὲς εἶναι (h. e. *mentem divinum quid, & passionis expertem esse*). Quid? quod *Barbari* jam olim (uti eruditissimus *Calixtus* in Tract. de *immortal. animæ* ex vetustis Historicorum monumentis commonstrat) animam hominis incorruptibilem esse agnoverint, & de statu, in quo anima post hanc vitam degit, fuerint soliciti.

§ 6. Ex Scripturis Sacris argumenta plurima, doctrinam de animæ immortalitate evincentia, depromuntur. Videlicet (α) sic argumentamur: *Quicquid post mortem revertitur ad Deum, illud post mortem superstes manet* (quia rei non existentis nulla sunt accidentia.) *Atqui anima hominis post mortem revertitur ad Deum* (cum testante Salomone *Eccles. XII, 7. pulvis*, h. e. corpus humanum ex pulvere formatum, *in terram revertatur* h. e. corrumpatur, *Spiritus* vero, i. e. anima hominis intelligens, *redeat ad Deum, qui dedit illum.*) *Ergo &c.* (β) Conclu-

dimus hunc in modum: *Quæcunque hominis pars corpori ratione corruptibilitatis* (seu per hoc, quod non æque, ut corpus, corruptibilis sit) *opponitur, ea est incorruptibilis* (ut vel ex terminis evidens est.) *Atqui anima est ea hominis pars, quæ corpori ratione corruptibilitatis opponitur* (nempe *Matth. X, 28.* ubi Christus dicit, eos, qui *corpus occidunt, animam occidere non posse.*) *Ergo &c.* (γ) Tale nectimus argumentum: *Si Christus fidelibus* (*Luc. XXIII, 13.*) *promittit, ipsos statim post mortem secum futuros esse in paradiso, sequitur, fidelium animas statim post mortem cum Christo in paradiso esse, atque adeo superstites manere.* Cum enim fideles non quoad corpus post mortem statim cum Christo in paradiso sint, seu cœlesti gaudio perfruantur, ipsos secundum alteram partem substantialem, animam nimirum, statim post mortem cum Christo in paradiso esse, adeoque & quoad animam post mortem superstites manere oportet. (δ) Ita argumentamur: *Si infideles statim post mortem* (uti patet ex parabola Christi de Lazaro & divite epulone) *in inferno cruciantur, sequitur, infidelium animas statim post mortem infernalibus pœnis cruciari, atque adeo post mortem superstites manere.* Cum enim infideles non quoad corpus post mortem statim in inferno excrucientur, ipsos secundum animam in inferno dolores & cruciatus experiri, adeoque quoad animam post mortem superesse necesse est.

§. 7. The-

§. 7. Thesis nostra opponitur (1) veteribus Philosophis, *Critiæ* & *Empedocli*, qui (ut *Lactantius* in Lib. de Opif. Dei c. XVI. refert) animam hominis dixerunt esse *cordi suffusum sanguinem*, atque adeo non potuerunt non statuere, quod anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumto, extinguatur; (2) Varroni, qui (ut itidem l. c. *Lactantius* perhibet) animam docuit esse *aerem conceptum ore, defervefactum in pulmone, tepefactum in corde, diffusum in corpus*, ac proinde non potuit non asserere, quod corrupto ore, pulmone, corde, ac corpore, ipsa anima esse desinat; (3) *Sadducæis*, de quibus *Iosephus* Lib. XVIII. antiqu. c. II. narrat, quod crediderint animam hominis nihil esse aliud, quam *naturale temperamentum elementarum, quod cum corpore intereat, non essentiam spiritualem, quæ a corpore separata post mortem existere possit*; (4) *Arabicorum* hæresi, *Augustino* lib. de Hær. c. 83. notatæ, quæ animam humanam cum corpore mori atque dissolvi, & in fine seculi utrumque resurgere dixit; (5) *Anabaptistis*, qui in thesibus ann. 1568 Cracoviæ impressis & per Poloniam vulgatis, & quidem thesi decima scribunt: *Negamus, aliquam animam post mortem manere*; (6) ipsi *Socino*, qui epist. V. ad *Volkel.* se ignorare fatetur, quid de animæ humanæ immortalitate statuendum sit.

Thes. XXXV.

Anima autem post mortem super-

ſtes certas exercet operationes, & quidem eas, quæ formaliter ad intellectum & voluntatem pertinent, nempe *intellectionem* (h. e. actionem cognoſcendi immaterialem,) & *volitionem*, (h. e. actionem appetendi immaterialem.)

§. 1. Animas fidelium poſt mortem ſuperſtites reapſe operari, probamus hoc argumento: *Quæcunque animæ poſt mortem melioris ſunt conditionis, quam ante mortem, illæ poſt mortem operationibus certis funguntur, non autem ſine omni vita & actu inertes jacent. Atqui animæ fidelium poſt mortem melioris ſunt conditionis, quam ante mortem. Ergo animæ fidelium poſt mortem certis operationibus funguntur, non autem ſine omni vita & actu inertes jacent.* Minor confirmatur ex *Philipp. I, 23.* ubi Apoſtolus ait: *Cupio reverti, & eſſe cum Chriſto: id enim multo longeque melius eſt* (ſcilicet quam in carne vivere, & ſic a Chriſto abeſſe.) Major ex ſe patet. Nec enim animæ ſtertor, (ſeu ceſſatio animæ ab omni functione,) melior eſt functionibus ejus in corpore (e. gr. fide in Chriſtum, amore erga Deum & proximum, labore prædicationis Evangelicæ;) ſed hæ potius operationes otioſo illo ſtertore longe præſtantiores ſunt. Bene *Cicero Lib. IV. de Finibus* inquit: *Si quispiam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum ſexaginta vixerit,*

rit, reliquos dormiat, ne ſues quidem id velint.

§. 2. Infidelium & impiorum animas poſt mortem ſuperſtites exercere actiones, ex eo adparet luculente, quod epulo Lazarum in ſinu Abrahæ videre, fratrumque in hac vita degentium recordari, nec non triſtitia affici, ac proinde aliquid averſari, in parabola de divite & Lazaro perhibeatur.

§. 3. Quod ſi anima hominis poſt mortem ſuperſtes certis fungitur operationibus, ſane non alias, quam eas, quæ formaliter ad intellectum & voluntatem pertinent, edit. Nec enim alias potentias, quam mere ſpirituales (intellectum ſcilicet, ac voluntatem) anima a corpore ſeparata retinet. Certe materiales animæ humanæ facultates, utpote in eſſe & operari ab organis materialibus dependentes, nimirum vegetativæ ac ſenſitivæ potentiæ, in ipſa animæ a corpore ſeparatione pereunt. Vnde anima a corpore avulſa non pollet virtute generandi aut nutritiva, non pollet facultate viſiva aut ſenſitiva alia: Nec enim audit, nec videt, nec odorem percipit, nec guſtu ac tactu gaudet, ſed ab his operationibus prorſus immunis eſt.

§. 4. Contra aſſertionem noſtram, qua anima hominis poſt mortem actum cognoſcendi & intelligendi elicere dicitur, illud proferri ſolet argumentum: *Si anima hominis poſt mortem*

rem ſpeciebus intelligibilibus omnino caret, ſequitur, quod poſt mortem nihil intelligat. Antecedens inde probatur, quod anima hominis ſpecies rerum intelligibiles accipiat ex phantasmatibus, phantasmata vero omnia, tanquam ſpecies materiales, in cerebro mortuo prorſus extinguantur. Conſequentia vero inde conſtabilitur, quod intellectus humanus per accedentes ſpecies intelligibiles demum ad ipſas res cognoſcendas in actu primo ſufficiens, inque ratione principii completi conſtituatur, ut adeo ſpecies intelligibiles una cum intellectu humano principium intellectionis humanæ completum abſolvant. Quod argumentum adeo plauſibile *Marco Antonio de Dominis* viſum eſt, ut *Lib. V. de Rep. cap. VIII.* judicet, *Ariſtotelicos* non poſſe non ſtatuere, quod animæ poſt mortem ſine omni vita & ſenſu jaceant, nihilque agant. Sed reſpondetur negando cum antecedens, tum conſequentiam argumenti: Conſequentiam quidem, quod ſaltem pro ſtatu hujus vitæ intellectio ſine ſpeciebus intelligibilibus elici nequeat; Antecedens autem, quia (1) anima hominis intelligens, poſt mortem ſuperſtes, illas ſpecies intelligibiles retinet, quas, cum in corpore adhuc commoraretur, ex phantasmatibus acceptas in ſe recepit; (2) negari nequit, quod Deus novas quasdam ſpecies intelligibiles intellectui animæ poſt mortem ſuperſtitis ſine phantasmatum interventu infundat.

Nec

Nec vero antecedens argumenti solide probatur, quando anima hominis species rerum intelligibiles ex phantasmatibus accipere dicitur. Phantasmata enim, licet ad primam specierum intelligibilium naturalem adeptionem requirantur, non tamen in quocunque animæ humanæ statu necessaria sunt ad specierum illarum, quæ naturaliter acceptæ fuerunt, retentionem ac conservationem. Accedit, quod assertum illud, quo anima hominis species rerum intelligibiles ex phantasmatibus accipere dicitur, non nisi de adeptione specierum intelligibilium *naturali*, quæ animæ in corpore adhuc habitanti contingit, intelligendum sit.

Thes. XXXVI.

Licet igitur anima hominis post mortem superstes certas exerceat operationes, atque intellectionem & volitionem eliciat, non tamen asserendum, operationem intellectualem, quam anima hominis post mortem edit, includere notitiam, qua singulorum hominum res atque actiones, quæ post ipsius a corpore separationem contigerunt, præsertim preces cultusque varios ad se directos distincte ac determinate cognoscat. Unde sanctorum coelitum invocatio, qua auxilium petitur ab

iis, *inutilis* est, & inconsulta. Quanquam &, si preces religiosæ ad sanctos demortuos dirigantur, invocatio eorum sit impia & *idololatrica*.

§. 1. Quod operatio intellectualis, quam anima hominis post mortem superstes elicit, eam, de qua thesis nostra loquitur, notitiam haud includat, argumento duplici nunc comprobamus. Quippe (I) Abraham nescit nos, & Israel nescit nos *Esa. LXIII, 8.* (II) Si defunctorum fidelium & sanctorum animæ cognoscerent singulorum hominum in his terris viventium diversas preces, quæ ad ipsas diriguntur, aut cognoscerent eas per se & ex se (h. e. ex vi perfectissimæ suæ ac immediatæ scientiæ,) aut ex vi visionis Dei beatificæ (sive, ut loqvuntur *Pontificii*, in speculo Trinitatis,) aut ex revelatione divina, aut ex revelatione angelorum. Sed neutrum horum salva veritate asseri potest. Non primum, quia alias coelites sanctos oporteret esse omniscios, ut corda hominum scrutari, totque hominum per orbem dispersorum diversas preces distincte ac simul intelligere possent. Non secundum, quia ex vi visionis DEI beatificæ tantum ea cognoscuntur, quæ in DEO sunt formaliter, preces vero ad sanctos coeli incolas fusæ, variique cultus iis exhibiti, minime in Deo actu sunt & formaliter. Nec tertium, quia (I) citra revelationem in Verbo revela-

velationem divinam comminiſci temerarium & ridiculum eſt; (2) Deus eſſet prius adorandus, ut ſanctis revelare velit, quod ego preces ad ipſos ſim fuſurus, ut apud Deum pro me intercedant, quo ille me exaudire velit; quæ certe ineptiſſimæ, & de chriſtiano homine ſana ratione prædito ne cogitandæ quidem ambages forent. Neque tandem quartum, quia probari nequit, angelos ſingulorum hominnm preces intelligere.

§. 2. Ad ſecundum noſtrum jam prolatum argumentum regerunt *Pontificii*, in eo inſufficientem haberi partium enumerationem, cum (uti *Walenburchii* Motiv. IV. Erneſt. Haſſ. Landgr. cap. XIIX. p. 255. opinantur) *angeli* pariter & *ſancti* homines in *coelo* regnantes *cognoſcant hominum* in terris degentium *preces per VOLVNTATEM* precantium *ad ipſos directas*, prout *angelus angelo loqui poſſit per directionem voluntatis*, ſeu hoc ipſo, *quod cogitationem ſuam velit alteri angelo eſſe notam, cogitationem ſuam alteri Angelo aperiat & innoteſcere faciat.* Aſt vero miſeris & infirmis in hac terra conſtitutis mortalibus, eorumque voluntati in angelorum ſanctorumque coelitum intellectum poteſtas adeo abſoluta, & ab omni locorum intervallo abſtracta non competit, ut, ſimul ac aliquis in hac terra oberrans homo vult ſuos conceptus ſuasque preces ab angelis & coelitibus ſanctis percipi, angeli coelitesque eos conceptus illasque preces intelligant. Eam quoque ſententiam, quæ

quæ angelum angelo per directionem voluntatis loqui posse statuit, nulla ratione comprobari posse, superius in Loco de *Angel.* pag. 760. seq. ostensum est. Hinc suæ exceptionis vanitatem haud obscure confitentur *Walenburchii*, quando tandem l. c. p. 286. monent, *non esse scrupulose inquirendum de modo scientiæ, postquam constat de certitudine auxilii.*

§. 3. Quod si igitur coelites sancti diversas preces in his terris ad se directas non percipiunt, ipsorum certe invocatio inutilis est, & inconsulta.

§. 4. Sic & luculentissime patet, invocationem sanctorum impiam esse ac idololatricam, si religiosæ preces (quas quatuor actibus internis, & uno externo constare, in Parte I. Loc. de *Ang.* pag. 821. sqq. monuimus) ad ipsos dirigantur. *Quicunque* enim *cultus religiosus exhibetur iis, qui natura non sunt Dii, ille est impius prorsus, & idololatricus* (uti liquet ex *Gal. IV, 8.* ubi significatur, gentiles ideo fuisse idololatras, quod servierint iis, qui natura non sunt Dii.) *Atqui cultus religiosus, qui defunctis sanctis defertur, exhibetur iis, qui natura non sunt Dii* (ut per se manifestum est.) *Ergo cultus religiosus, qui defunctis sanctis defertur, est impius prorsus & idololatricus.* Excipiunt hic *Pontificii*, majorem hujus argumenti nostri propositionem non esse absolute veram, sed tantum, si ita limitetur: *Quicunque cultus religiosus, qui est*

λατρεία, *exhibetur iis, qui natura non sunt Dii, ille est impius prorsus & idololatricus*; at religiosum cultum, quo quis prosequitur demortuos sanctos, non λατρείαν esse, sed meram δουλείαν. Verum enim vero tota hæc exceptio nititur cultus religiosi in *latriam, duliam*, & *hyperduliam* distinctione, quam tamen non solum sine fundamento confingi, sed & adeo intricatam & observatu difficilem esse, ut ne ab eruditis quidem ad usum transferri, & in praxi recte adhiberi queat, in prima hujus Systematis Parte, Loc. IV. de *Angel.* pag. 823 seqq. demonstratum dedimus.

§. 4. Quamvis igitur sanctorum coelitum invocationem prorsus improbent *Protestantes*, non tamen omnem plane honorem cultumque ipsis denegant. Postquam enim *Augustana Confessio* in art. XXI. dixerat: *De cultu sanctorum docent* (Ecclesiæ nostræ) *quod memoria sanctorum proponi potest, ut imitemur fidem eorum, & bona opera juxta vocationem*; ejusdem *Apologia* p. 253. diserte scribit: *Confessio nostra probat honores sanctorum. Nam hic triplex honos probandus est. Primus est gratiarum actio. Secundus cultus est confirmatio fidei nostræ. Tertius honos est imitatio, primum fidei, deinde coeterarum virtutum, quas imitari pro sua quisque vocatione debet.*

§. 5. Constat proinde satis superque, ingens hic inter *Protestantes* & *Pontificios* dissidium de-

pre-

prehendi. Quando enim *Protestantes* contendunt, sanctorum invocationem inutilem esse, ac certa ratione impiam & idololatricam, e contrario Patres *Tridentini* Sess. XXV. in *Decret. pecul.* de *Invocatione Sanctorum* &c. Synodali auctoritate præcipiunt, ut doceatur, & *fideles diligenter instruantur*, VTILE esse, *suppliciter invocare sanctos cum Christo regnantes, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus JEsum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere: illos vero, qui negant, sanctos æterna felicitate in coelo fruentes, invocandos esse, aut eorum invocationem esse IDOLOLATRIAM, vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honori unius Mediatoris Dei & hominum JEsu Christi, vel stultum esse in coelo regnantibus voce vel mente supplicare: impie sentire.* Atque his prorsus consimilia *Catechismus Tridentinus* de I. Præc. Decal. cap III. p. 324. *Censores Augustanæ Confessionis* apud Andr. Fabr. in Harm. Aug. Confess. art. XXI. *Gregorius de Valentia* Lib. I. de Idolol. cap. IV. & Lib. II, cap. VI. tradunt. Speciatim Jesuita *Becanus* contra Protestantes, qui demortuos sanctos singulorum hominum preces ad se directas intelligere negant, Lib. I. *Manual.* cap. VII. §. 20. p. m. 195. ita scribit: *Cum Sancti in coelo sint amici Dei, & magis cum illo conjuncti, quam cum in terra essent, lex amicitiæ requirit, ut Deus manifestet illis orationes*

nes

nes nostras, quæ ad illos diriguntur. Et paulo post: *Sancti in coelo clare & intuitive vident divinam essentiam, in qua, tanquam in vivo speculo, creaturæ omnes repræsentantur. Sicut ergo is, qui speculum corporeum intuetur, clare & distincte videt, quæ in illo apparent: ita Sancti, qui essentiam divinam intuentur, clare & distincte vident creaturas in illa apparentes.*

Thes. XXXVII.

Fidelium autem animæ statim, postquam ex corporibus sunt egressæ, ad παράδεισον beatorum, in quo una cum angelis & toto electorum choro beatitudinis essentialis participes fiunt, transferuntur; prout infidelium animæ statim, ex quo a corporibus sunt separatæ, detruduntur in infernum, suamque damnationem subeunt.

§. 1. Beatitudo essentialis in cognitione Dei intuitiva, actibusque & perfectionibus, quæ cum cognitione illa conjunguntur (nempe amore erga Deum indesinenti & ardentissimo, atque ineffabili gaudio) consistit.

§. 2. Fidelium animas statim post suum ex corpore discessum ad beatorum παράδεισον pervenire, Christus *Luc. XXIII, 43.* manifeste significat, ubi latronem conversum hocce erigit solatio: *Mecum hodie eris in paradiso.* Idipsum Paulus *Phil I, 23.* indicat, quando ἀναλῦσαι, & cum Christo esse discupit.

§. 3. Fi-

§. 3. Fidelium animas statim post sui a corpore separationem ad beatitudinem essentialem evehi, liquet inprimis ex *Apoc. XIV, 13.* ubi illi, *qui in Domino moriuntur*, ἀπάρτι (statim) *beati esse*, *& a laboribus suis quiescere* perhibentur. Quomodo enim beati esse possunt, qui essentiali beatitudine carent, seu visione Dei beatifica, actibusque & perfectionibus, quæ cum illa Dei cognitione conjunguntur, destituti sunt? Quo accedit, quod, quando Christus *Joh. V, 24.* ait, credentes in ipsum *transire de morte in vitam*, hoc ipso significet, fideles morientes statim post mortem participes vitæ æternæ seu essentialis beatitudinis reddi.

§. 4. Infidelium animas statim post hominis in hac vita excessum detrudi in infernum, seu in πῶ damnatorum, vel inde patet, quod fidelium animæ statim post mortem in πῶ beatorum transportentur: Oppositorum enim similis ratio est. Id ipsum liquet exemplo divitis epulonis, cujus anima statim post mortem in locum tormentorum, seu in infernum abjecta fuit, *Luc. XVI.*

§. 5. Infidelium animas mox inde a morte damnationem suam subire, itidem ex eo manifestum est, quod fidelium animæ statim, postquam a corporibus sunt separatæ, essentialem beatitudinem consequantur: Oppositorum enim similis ratio est. Docet quoque Salvatoris parabola de Lazaro & divite, statim post mortem infidelium & impiorum animas esse in inferno, ibique

ibique igne & flammis cruciari, ac sentire Deum adversus se ut vindicem peccatorum implacabilem: Atqui hoc est subiisse damnationem.

Thes. XXXVIII.

Quod si fidelium animæ statim post mortem ad πῦ beatorum, in quo essentialis beatitudinis participes redduntur, perveniunt, atque infidelium animæ statim postquam a corporibus sunt separatæ, in infernum detruduntur, suamque damnationem subeunt, statuendus sane non est locus inter coelum & infernum intermedius, in quo separatæ quædam animæ detineantur, neque credendus aliquis status inter beatitudinem & damnationem intermedius, in quo separatæ quædam animæ vivant.

§. 1. Hic igitur *Pontificii* immane quantum impingunt, dum post mortem, præter coelum atque infernum, plura animarum separatarum abdita receptacula, ac, præter beatitudinem atque damnationem, plures status, in quibus animæ illæ poenam aliquam (vel damni tantum, vel damni & sensus simul, eamque vel temporariam vel perpetuam) tolerent, esse contendunt. vid. *Catech. Trid.* in Symb. Apost. art. V. p. m. 52. Confer. *Bellarminus* Lib. II. de Purgat. cap. VI. Videlicet tria receptaculi animarum separata-

rum genera præter coelum & infernum statuunt: Purgatorium, Limbum Patrum, Limbum puerorum.

§. 2. *Purgatorium* docent esse *locum, intra terram constitutum, in quo piorum animæ, (quæ in gratia Dei quidem ex hac vita decedunt, sed tamen habent reatum aliquem, vel culpæ venialis, vel poenæ temporalis, peccato mortali debitæ,) ad definitum tempus, igne cruciatæ, expientur, ut eis in æternam patriam ingressus patere possit, in quam nihil coinquinatum ingrediatur.* Vid. Jesuita *Gregorius* de *Valentia* T. IV. Disp. XI. Qv. I. P. I. §. 4. p. 2299. Atque de hujus doctrinæ veritate diligenter & sæpe parocho differendum sanciunt. Vid. *Concilium Trident.* Sess. ult. Decr. pecul. de Purgat. & *Catechismus Trident.* in Symb. Apost. art. V. p. 52. 53.

§. 3. *Limbum Patrum* ajunt esse *aliquem sinum intra terram, a coelo & inferno distinctum, in quo animæ sanctorum ante Christi adventum exceptæ fuerunt, & beata redemtionis spe sustentatæ quietam habitationem habuerint, poenam autem temporalem damni, i. e. carentiam visionis beatificæ usque ad adventum Christi, toleraverint, ac forte ex hac dilatione aliquem animi dolorem perceperint.* Vid. *Thomas* III. Q. LII. art. II. ad 2. & *Becanus* Tom. V. Opusc. I. Q. II. n. 3. p. 523. Confer. *Catech. Trident.* in Symb. Apost. art. V. p. 53.

§. 4. *Lim-*

§ 4. *Limbum puerorum* inquiunt esse *receptaculum subterraneum, a coelo & inferno distinctum, in quod pueri in originali peccato absque baptismo morientes descendunt.* Vid. *Gregorius* de *Valentia* Tom. V. Disp. XI. Q. I. p. I. §. 3. pag. 2299.

§ 4. Cæterum illa animarum receptacula, quæ præter coelum & infernum *Pontificii* comminiscuntur, *Protestantes* strenue ac vehementer depugnarunt. Nempe *purgatorium, & quicquid ei solennitatis, cultus & quæstus adhæret, meram Diaboli larvam esse*, in Articul. Smalcald. Part. II. art. II. p. 307. 308. asseruere. Hinc & *Höpfnerus* in Disputatione de *Purgatorio*, quæ est VI. inter Dispp. Select. pag. 170. seqq. *Scherzerus* in disputatione peculiari, qua *purgatorium exustum* repræsentat, *Gesenius* in Disp. de *Purg. Coppingius* in Animadversionibus in Mülmannum Jesuitam, *Matth. Sutlivius* in Libro adversus Bellarmini de Purgatorio Disputationem, invicto validissimorum argumentorum robore Purgatorium impugnarunt. Sic & Limbum Patrum, Limbumque puerorum mera esse commenta, *Gerhardus* L. de Morte §. 169. seqq. §. 172. & *Dannhauerus* in Hodom. Spir. Papæi, Phant. XII. rationibus liquidissimis demonstrarunt.

§. 5. Speciatim *purgatorii* existentiam ex Scriptura Sacra nullo idoneo fundamento comprobari posse, ipsi Doctores quidam in Papatu confessi sunt. Namque *Johannes Fischerus*,

Roffensis episcopus, (de quo ipse *Sixtus Senensis* in Bibliotheca Sancta Lib. IV. p. 332. testatur, quod *eruditionis copia, pietatis sinceritate, & animi constantia cuique ex Sanctissimis & acerrimis ecclesiæ propugnatoribus merito comparandus sit, quodque cum profanas Henrici VIII. Anglorum Regis nuptias summa animi & verborum constantia reprehendisset, triumphalem martyrii coronam a crudelissimo tyranno susceperit*) in Artic. XVIII. contra Lutherum profitetur, non posse purgatorii existentiam ex Scripturis Sacris probari. Idipsum *Petrus a Soto* Assert. Catholic. fol. 83. 85. concedit. Et Jesuita *Cottonus* (ut *Thuanus* ad ann. 1604. refert) Diabolum in obsesso quondam scisitatus est, ex quo loco purgatorium commodissime probari possit. Conferatur hic B. *Gerhardi* Confessio Catholica Lib. II. part. II. art. IX.

Thes. XXXIX.

Mortem sequetur RESVRRECTIO MORTVORVM, quæ secundum in Novissimis locum obtinet.

Latinum vocabulum *Resurrectio* (mortuorum) vi derivationis notat *iteratam quandam stationem eorum, qui per mortem cecidere.* Sic & græca vox ἀνάστασις (νεκρῶν) vi etymi significat *stationem mortuorum iteratam*, cum deflectatur ex ἀνὰ, quod idem est ac πάλιν (h. e. iterum, vicissim, rursus,) & ex voce στάσις, quæ stationem designat.

Thes.

Thes. XL.

Resurrectio mortuorum *Matth.* XIX, 28. παλιγγενεσία (regeneratio) vocatur, quod sit quasi nova corporum reviviscentium generatio.

Thes. XLI.

Resurrectionis mortuorum *veritatem, & futuram existentiam* Scriptura passim locorum ita perspicue docet, ut, qui eam in dubium vocare aut negare velit, Christiani nomen meriturus non sit. Videantur inter alia *Job.* cap. IX. v. 25. *Esa.* cap. XXVI. v. 19. *Dan.* cap. XII. v. 2. *Joh.* V. v. 28. Cap. XI. v. 23. *Act.* cap. XXIV. v. 15. I. *Cor.* XV. v. 12. seqq. I. *Thess.* IV. v. 16.

Thes. XLII.

Cæterum futura mortuorum resurrectio non æque, ut immortalitas animæ, ex principiis naturæ & rationis certo cognosci potest, licet naturali rationi in se & abstractive spectatæ non repugnet.

§. 1. Futuram mortuorum resurrectionem ex principiis naturæ & rationis certo cognosci non posse, manifestum est. Illa enim resurrectio ex libera DEI voluntate pendet, cum Deus potuisset, si voluisset, mortuorum corpora in morte relinquere, solis animabus, velut spiritibus immor-

talibus, alteri vitæ reservatis; Ea vero, quæ ex libera DEI voluntate pendent, reapse aliquando futura, ratio ex suo lumine certo cognoscere nequit, sed unice ex revelatione divina supernaturali patescit.

§. 2. Neque tamen futura mortuorum resurrectio principiis rationis rectæ ac sibi relictæ adversatur, sed iis potius consentanea est. Nam (1.) principia rectæ rationis sunt: *Deum esse, Deum esse justum scelerum vindicem, & benignissimum bonorum operum remuneratorem, Animam humanam post mortem corporis supereſſe, Dari quoque status diversos, bonorum & malorum, post mortem;* hisce vero principiis consentaneum omnino est, corpora, velut bene- aut male factorum organa, ad præmiorum vel pœnarum consortium resuscitari. (2.) Intellectus naturalis solidam & invictam rationem haud invenit, cur non divina omnipotentia, qua cœlum & terra, & quæcunque in illis deprehenduntur, ex nihilo producta sunt, possint etiam hominum in cineres conversa corpora reproduci, & cum animabus adhuc superstitibus rursus uniri.

Thes. XLIII.

FORMA (seu ratio formalis) resurrectionis mortuorum in eo consistit, quod corpus, per mortem destructum, ex materia, in quam conversum fuit, vicissim prodibit, atque ita animæ, quæ vel separata

rata ad ipsum naturalem habitudinem, & propensionem retinet, redunietur.

Thes. XLIV.

Causa efficiens resurrectionis mortuorum erit Deus Trinunus, & Christus θεάνθρωπος (seu Christus secundum divinam pariter & humanam naturam.)

§. 1. Deum fore causam efficientem resurrectionis mortuorum, ex eo luculentissime adparet, quod *Ezech.* XXXVII. 12. aperire tumulos, *Hoseæ* XIII. 14. vivificare mortuos, *Rom.* IV. 17. suscitare mortuos perhibeatur. Id ipsum ex ipsa futuræ resurrectionis certitudine, quam in thesi præcedente ex liquidissimis sacrarum literarum dictis demonstravimus, patescit. Efficere enim, ut corpora demortua resurgant, requirit potentiam & virtutem infinitam, quæ in solum Deum cadit.

§. 2. Omnes *tres divinitatis personas* resurrectionis mortuorum causam efficientem esse, ex eo probatur, quod resurrectio illa sit opus Dei ad extra, opera vero Dei ad extra sint indivisa.

§. 3. Ex eo autem, quod Deus Trinunus resurrectionis mortuorum causa efficiens est, necessario consequitur, Christum quoque qua Deus est, resurrectionis illius causam efficientem esse.

§. 4. Christum etiam qua hominem, seu secundum humanam naturam universalis mor-

tuorum resurrectionis causam efficientem fore, probamus ex *Ioh.* XXI, 27. ubi *judicandi potestas* Christo, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί, data esse perhibetur. Ibi enim particula ὅτι non reduplicative sive causaliter, sed specificative, sumitur, h. e. non indicat causam, propter quam Christo potestas judicandi competit; (Nec enim humana Christi natura est causa, cur Christo tanta potestas communicata sit;) sed exprimit saltem naturam, secundum quam Christo illa communicatio contigit: ut adeo sensus sit, Christo secundum eam naturam, qua filius hominis seu homo est, potestatem judicii exercendi communicatam esse. Nunc igitur ita argumentamur: *Cuicunque secundum humanam naturam data est potestas judicii universalis faciendi, illi quoque secundum humanam naturam competit potestas omnes mortuos resuscitandi* (cum sine præcedente resurrectione mortuorum universali omnes homines in judicium sisti non possint.) *Atqui Christo secundum humanam naturam data est potestas judicii universalis faciendi* (juxta *Joh. V, 27.*) Ergo &c.

Thes. XLV.

Quod si igitur Deus Trinunus resurrectionis causa efficiens est, sane non alia, quam *principalis* esse potest.

Cum enim sit simpliciter independens, virtute propria suaque autoritate, &, cum infinitæ

nitæ potentiæ sit, virtute sufficiente, ac producendo effectui proportionata supernaturale resurrectionis opus efficit.

Thes. XLVI.

Nullo autem modo Angeli & Apostoli universalis mortuorum resurrectionis, in entitate sua spectatæ, causa efficiens erunt.

§. 1. Angeli equidem respectu quarundam circumstantiarum in ordine ad universalem mortuorum resurrectionem causa efficiens ministerialis erunt, quatenus homines e morte resuscitatos colligent, collectos in classes suas distribuent, piosque ab impiis segregabunt, illis ad dextram, his ad sinistram Christi collocatis, ipsius tamen resurrectionis causa efficiens ministerialis non erunt, cum mortuos plane non sint resuscitaturi.

§. 2. Ac licet Apostoli jam olim mortuos quosdam resuscitaverint, non virtute propria, sed virtute Christi, & sic particularis resurrectionis causa efficiens ministerialis seu minus principalis fuerint, universalis tamen mortuorum resurrectionis, in se spectatæ, de qua h. l. sermo est, nullo modo causa efficiens erunt.

Thes. XLVII.

Dei, ut est resurrectionis mortuorum causa efficiens, *causalitas* est resuscitatio mortuorum active spectata.

§. 1. Resuscitatio enim mortuorum, si active consideretur, est actio solius Dei, per quam ipse revera & actu universalis mortuorum resurrectionis causa efficiens erit.

§. 2. Illa ipsa resuscitatio vocatur alias actio aperiendi tumulos *Ezech.* XXXVII, 12. redemtio a morte *Hoseæ* XIII, 14. ζωοποίησις (vivificatio) 1. *Cor.* XV, 22. ἔγερσις (suscitatio) 2. *Cor.* I, 19.

Thes. XLVIII.

Causa impulsiva resurrectionis mortuorum (h. e. ea resurrectionis illius causa, quæ Deum, velut causam efficientem principalem, ad efficiendam mortuorum resurrectionem impellit) varia est, si resurrectio ratione diversorum resurgentium subjectorum consideretur. Nimirum resurrectionis, ut est piorum, causa impulsiva sunt justitia divina remuneratoria, & Meritum Christi finali fide apprehensum, resurrectionis vero, ut est impiorum, causa impulsiva sunt justitia divina vindicativa, & finalis impiorum impoenitentia.

§. 1. Justitiam divinam remuneratoriam, & Meritum Christi finali fide apprehensum movere Deum ad resuscitandos pios, probatur hoc argumento: *Quicquid Deum movet ad remunerandum bonum in altera vita, illud movet Deum ad*

ad resuscitandos pios (quia resuscitatio & resurrectio mortuorum piorum eo fine fit, ut, quæcunque bona fecerunt per corpus, reportent, seu, ut unicuique, quod egit in corpore, sive bonum sive malum, justo reddatur judicio, 2. *Cor.* V, 10.) *Atqui Justitia divina remuneratoria, & Meritum Christi finali fide apprehensum movent Deum ad remunerandum bonum in altera vita* (uti in Loco de æterna beatitudine ostensum est.) *Ergo* &c.

§. 2. Justitiam Dei vindicativam, & finalem impiorum impoenitentiam movere Deum ad resuscitandos eos, hocce evincimus argumento: *Quicquid Deum movet ad punienda peccata post hanc vitam, illud ipsum quoque commovet Deum ad resuscitandos mortuos impios*, (quia impiorum mortuorum resuscitatio ac resurrectio eum in finem fit, ut, quæcunque mala fecerunt per corpus, reportent, 2. *Cor.* V, 10.) *Atqui Justitia divina vindicativa & finalis impoenitentia movent Deum ad punienda peccata post hanc vitam* (uti in Loco *de æterna damnatione* probatum dedimus.) *Ergo* &c.

§. 3. Studio autem in thesi loquor de causa impulsiva resurrectionis, ratione diversorum resurgentium suppositorum spectatæ. Si enim resurrectio consideretur abstractive & secundum se, ejus causa impulsiva est sola divina Justitia: Hæc enim flagitat, ut e morte homines excitentur,

tur, &, prout bene vel male egerunt, ita convenienter ipsis retributio fiat.

Thes. XLIX.

Minime vero resurrectionis mortuorum impiorum causa impulsiva est Meritum Christi (h. e. impii virtute Meriti Christi non resurgent.)

§. 1. *Quicquid enim non habet rationem boni quoad homines impios & infideles, illud hominibus impiis & infidelibus non obtingit virtute Meriti Christi* (cum Christus nil nisi bonum hominibus promeruerit, & Christi Meritum dicatur causa meritoria tantum quoad bonum aliquod impetrandum). *Atqui resurrectio non habet rationem boni quoad homines impios & infideles* (cum ad æternam damnationem impiorum resurrectio ordinetur *Ioh. V. 28.*) *Ergo* &c.

§. 2. Erravit igitur *Heinricus Boethius*, Professor Helmstadiensis, qui in peculiari *de resurrectione impiorum* Tractatu statuit, impios quoque virtute Meriti Christi resurgere. Quem errorem amplexi jam olim sunt *Calvinus* Instit. Lib. III. c. 25. & *Bucanus* L. XXVII. Quæst. 9.

§. 3. Objecit potissimum *Boethius* illud Apostolicum 1. *Cor. XV. 22.* dictum: *Sicut in Adamo omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificantur.* Verum enim vero hic locus non loquitur de resurrectione universali piis & impiis communi, sed in particulari & indeterminate de re-

resurrectione piorum & fidelium. Agit enim de eorum resurrectione, qui *Christi sunt*, qui *in Christo obdormiunt quorum ἀπαρχὴ est Christus, & qui a Christo per spiritualem nativitatem descendunt.* Ast nulla argumentationi consequentia subest, si quis ita colligat: *omnes fideles ac pii virtute Meriti Christi resurgent; Ergo etiam omnes impii ac infideles propter idem illud Meritum suscitabuntur.*

Thes. L.

Subjectum QVOD resurrectionis universalis (h. e. supposita in resurrectione universali resurgentia) sunt omnes omnino homines mortui, qui nondum resurrexere cum Christo: non solum pii & fideles, sed & impii atque infideles.

§. 1. Omnes omnino homines resurrecturos esse, Christus *Ioh.* V, *28.* clarissime testatur, quando *omnes, qui in monumentis sunt, vocem Filii Dei audituros*, atque una hora *resurrecturos* esse pronunciat.

§. 2. Quod si omnes omnino homines resurgent, prodibunt etiam ex monumentis *monstra* illa, quæ non plane a specie humana degenerant; qualia sunt illi humani partus, qui defectu partis convenientis (e. g. unius manus, unius pedis &c.) aut defectu debitæ quantitatis (ut pygmæi,) aut abundantia partis (ut qui in una manu sex digitos habent,) aut inconcinno partium

tium corporis situ laborant: Istiusmodi enim monstra veri sunt homines. Quanquam hic occurrat insignis quædam diversitas. Ea enim monstra, quæ ad beatitudinem suscitabuntur, ab omni monstrositate & deformitate (nempe a membrorum defectu aut abundantia, a defectu debitæ quantitatis, ab inconcinno partium defectu) libera apparebunt, cum (1) beatitudo sit status hominis perfectissimus, hic vero omnem plane deformitatem excludat; (2) in resurrectione universali apud eos, qui ad beatitudinem resurgunt, imago divina in primis parentibus deprehensa, quæ etiam ad corpus pertinet, omnemque ibi deformitatem excludit, restauretur. Monstra vero, quæ ad æternam damnationem resurgent, monstrositatem ac deformitatem suam retinebunt, cum nulla adpareat ratio, cur illa caritura sint pristina deformitate.

§. 3. Sic & ex eo, quod omnes omnino homines resurrecturi sunt, evadit manifestum, non tantum fœtus, qui in uteris matrum fuere quidem animati, sed ibidem extincti, verum etiam abortivos foetus, qui animati fuerunt, resurrecturos esse: Nam omnes illi foetus homines fuere.

§. 4. Dixi autem singulari studio in nostra thesi, in resurrectione universali resurrecturos esse omnes homines, *qui mortui sunt*. Illi enim quos novissimus dies adhuc viventes deprehendet, non resurgent, sed, ut Apostolus *1. Cor.* XV,

XV, 51. loquitur ac docet, *immutabuntur in momento, in ictu oculi, in novissima tuba* (h. e. sine animæ a corpore separatione a statu mortalitatis ad statum immortalitatis transferentur in instanti, & eo quidem tempore, quo per sonum aliquem vehementissimum, angelorum ministerio per totum terrarum orbem diffusum, dies novissimus, huiusque mundi finis jam adesse nunciabitur, homineſque mortui ad vitam suscitati ad Christi tribunal convocabuntur eum fere in modum, quo olim clangore tubæ populus convocari solebat.) Eos ipsos autem homines aliquando reapse resurrecturos esse, ideo dici nequit, quod, testante ibidem Apostolo, non sint *obdormituri*, seu morituri, resurrectio mortuorum vero sit iterata statio eorum, qui per mortem antea ceciderunt.

§. 5. Quando porro in thesi nostra assero, in universali resurrectione resurrecturos esse omnes mortuos, *qui nondum resurrexere cum Christo*, tunc eos tantum mortuos, qui cum Christo resuscitati in cœlos ascenderunt, ab universali resurrectione excipio, atque adeo illos etiam, qui in V. T. a Prophetis, & in N. T. a Christo ante passionem suam, & ab Apostolis post ascensionem Christi ad vitam hanc naturalem e mortuis resuscitati fuerunt, in resurrectione ultima ad vitam immortalem resuscitatum iri statuo. Illos enim ipsos, quos Prophetæ, Christus, & Apostoli ex morte excitarunt, iterum mortuos esse do-

docemus, *Bajerum* noſtrum, qui in peculiari diſputatione περὶ *& ſtatum animarum ſeparatarum ad vitam naturalem rurſus ordinatarum* expendit, aſſectati.

§. 6. Dicimus tandem in theſi noſtra, omnes quoque *infideles & impios* reſurrecturos. Præterquam enim, quod Chriſtus *Joh. V, 28. omnes*, qui in monumentis ſunt, reſurrecturos eſſe, expreſſe aſſerat, atque Paulus *2. Cor. V, 10. omnes* coram tribunali Chriſti manifeſtandos eſſe perhibeat, hic ipſe Apoſtolus teſtatur ibidem, in noviſſimo judicio unumquemque reportare debere ea, quæ in hac vita patravit, ſive bona ſive mala. Illi ſane homines, qui in noviſſimo judicio mala, quæ in hac vita fecere, auferent, alii non erunt, quam impii & infideles.

§. 7. Graviſſime proinde errant Iudæi, de quibus *Buxtorffius in Synagoga Iudaica* Cap. I. refert, quod antiquam traditionem amplexi pios tantum reſurrecturos eſſe, impios vero prorſus expirare, æternisque tenebris obrui, ac nunquam in vitam redire ſtatuant. Quam opinionem Iudaicam antiquiores quidem *Sociniani* propugnarunt, recentiores autem rejiciunt. Quippe ex Socinianis recentioribus *Schlichtingius* in comment. ad cap. II. Rom. Tom. I. Opp. fol. 473. judicat, *eum, qui negat impiorum reſurrectionem, dimidium tantum fidei habere.*

Theſ.

Thes. LI.

Subjectum QVO resurrectionis mortuorum (h. e. illa hominis pars essentialis, secundum quam homo mortuus resurgere ac resuscitari dicitur) non est anima, sed corpus, & quidem idem numero quoad substantiam corpus, quod quisque in hac vita habuit.

§. 1. Secundum animam non resurget homo mortuus, quia anima, quippe quæ immortalis est, per mortem nunquam cecidit, quicquid vero per mortem non cecidit, illud a morte non resurgit, cum quævis resurrectio, utpote quæ est iterata rei prolapsæ statio, necessario præsupponat & prærequirat lapsum.

§. 2. Idem numero quoad substantiam corpus, quod quisque in hac vita habuit, resuscitatum iri, ac resurrecturum esse, Theologi multis variisque argumentis demonstratum eunt. Videlicet (1) resurrectio proprie & formaliter importat illius ipsius rei, quæ antea steterat & ceciderat, iteratam stationem, ut adeo, si non illud ipsum, quod ante cecidit, vicissim erigatur, sed ejus loco aliud quoddam detur, non sit vera resurrectio, sed novæ cujusdam rei productio, aut rei alterius in vicem prioris rei substitutio. Quod si igitur non idem numero quoad substantiam corpus, quod in hac vita habuimus, resurget, sed aliud dabitur, sane corpora nostra non

resurgent, sed nova producentur, atque alia in locum eorum substituentur. (II.) Argumentamur hunc in modum: *Quicunque post resurrectionem praemium aut poenam accipient eorum, quæ in corpore ante mortem gesserunt, illi post resurrectionem habebunt idem numero quoad substantiam corpus, quod habuerunt in hac vita. Atqui resuscitati omnes post resurrectionem accipient præmium aut poenam eorum, quæ in corpore ante mortem gesserunt. Ergo resuscitati omnes post resurrectionem habebunt idem numero quoad substantiam corpus, quod habuerunt in hac vita.* Major propositio per se evidens est. Si enim aliquis post resurrectionem non haberet idem numero quoad substantiam corpus, quod habuit in hac vita, sane non is, qui in corpore ante mortem bene aut male egit, præmium aut poenam acciperet, sed alius pro ipso sisteretur, poenamque aut præmium reportaret eorum, quæ non gessisset: Nam ad identitatem totius essentialis numericam identitas essentialis numerica partium substantialium requiritur. Minor liquet ex *2. Cor. V, 10.* ubi Apostolus ait: *Omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi, ut unicuique reddatur, quod egit in corpore, sive bonum, sive malum.* (III.) Theologi sic argumentantur: *Quicunque resurgent secundum illud ipsum corpus, secundum quod dormierunt in terra, illi habebunt illud ipsum corpus,* (seu idem numero quoad substantiam corpus,) *quod habuerunt in terris viven-*

viventes. Atqui homines ex mortuis resuscitati resurgent secundum illud ipsum corpus, secundum quod dormierunt in terra. Ergo homines ex mortuis resuscitati habebunt illud ipsum corpus, quod habuerunt in terris viventes. Major itidem per se evidens est. Constat enim omnibus naturaliter, illud ipsum corpus, quod jacet in terra, esse illud ipsum corpus, quod homines gestarunt, cum in terris viverent. Minor probatur ex *Dan.* XII, 2. ubi resurgentes dicuntur illi, qui hactenus dormierunt, nunc autem evigilant. Quemadmodum enim homines evigilantes evigilant secundum illud ipsum corpus, secundum quod dormivere, quia alias pars alia foret dormiens, alia pars expergefacta: ita homines resurgentes resurgent secundum illud ipsum corpus, secundum quod dormierunt in terra. (IV.) Concludimus hoc modo: *Quodcunque corpus est idipsum corpus, quod aliquandiu fuit cadaver hominis, illud est idem numero quoad substantiam corpus, quod homo in hac vita habuit. Atqui corpus hominis resuscitatum est id ipsum corpus, quod aliquandiu fuit cadaver hominis. Ergo corpus hominis resuscitatum est idem numero quoad substantiam corpus, quod homo in hac vita habuit.* Major ex terminis patet. Nec enim aliud corpus est cadaver hominis, quam illud ipsum corpus, quod homo in hac vita habuit. Minor comprobatur ex *Esa.* XXVI, 19. ubi Messias ipse de martyribus suis, seu fidelibus,

propter ipsum & confessionem ipsius occisis dicit: *Cadaver meum* (seu cadavera quæque mea) *resurgent.*

§. 3. Thesis nostra hucusque declarata, & demonstrata, in quantum corpora eadem quoad substantiam, quæ in hac vita habemus, resurrectura esse asserit, *Socinianis* & *Quakeris* opponitur. Contendunt enim *Sociniani*, in resurrectione fore corpora non numero tantum, sed & specie alia ab his, quæ in terris gesserimus. Diserte *Slichtingius* contr. Meisner. de Trinit. fol. 91. scribit: *Libenter concedimus, nos in resurrectione, conservatis nostris quibusdam reliquiis, sive, ut Scriptura loquitur, spiritibus, non numero tantum, sed & specie alia ab ipsis, quæ terræ mandantur, habituros esse corpora: Non secus ac granum in terra conditum, abolita prioris corporis forma, novo corpore longe pulchriore, & a priori specie diverso amictum exoritur.* Sic & ex *Quakerorum* turba *Barclajus* in Catechismo suo pag. 122. ita loquitur: Es scheinet / daß allhier (1. *Cor.* XV, 36. ad 45.) der Apostel fest stellet / daß nicht der natürliche Leib / welchen wir anjetzo haben / sondern ein geistlicher Leib auffersthen soll. Eoque trahit verba Apostolica 1. *Cor.* XV, 50. *Caro & Sanguis non possunt regnum Dei hæreditate consequi.*

Thes. LII.

FINIS resurrectionis mortuorum est, ut in judicio universali omnes simul coram Iudi-

Iudicis Christi tribunali sistantur, & juxta facta sua præmium aut pœnam accipiant. Vid. *2. Cor. V, 10. Matth.* XXV, *31. Act. XVII, 31.*

Thes. LIII.

Resurrectionem mortuorum proxime sequetur IVDICIVM EXTREMVM, ipso resurrectionis die, qui & tempori & rerum omnium vicissitudini imponet finem, habendum. Vid. *Matth. XXV, 31.*

Thes. LIV.

Distinctam autem temporis aut diei illius, quo publicum & universale judicium celebrabitur, notitiam, qua nempe annum ac mensem, & anni mensisque diem, quo judicium illud habebitur, determinate sciamus, habere non possumus. Vid. *Marc.* XIII, 32.

Thes. LV.

Signa judicii extremi (h. e. indicia in Scripturis a Deo constituta, quibus judicium extremum cognoscendum nobis exhibetur) dividuntur in *communia* (sive remota) & in *propria* (sive propinqua.)

§. 1. Signa judicii extremi *communia* sunt, quæ ex intentione Dei Christianos admonere de-

bent, judicium aliquod solenne esse expectandum, licet, quod immineat illud, non significare videantur, cum seculo non uno contingant, sed sæpe recurrant & continuentur. E. gr. ad signa extremi judicii communia spectant hæreses, quia, dum eas fideles spectant, simul meminisse debent judicii extremi, quo veritas de iis triumphatura sit.

§. 2. Signa illa dicuntur communia, quod non sint propria illi tempori, quo imminet judicium extremum, sed aliis etiam temporibus contigerint.

§. 3. Signa judicii extremi *propria* sunt, quæ propius demum accedente jam judicio extremo, non autem æque prioribus seculis conspicienda sunt, ac idcirco indicant, adventum judicis propinquiorem esse (seu non tantum sunt indicia ex intentione Dei nos admonentia, judicium aliquod solenne esse expectandum, sed &, cum non æque prioribus seculis conspicienda sint, significant, quod tempus judicii extremi propinquius sit, & immineat): E. gr. Revelatio Antichristi jam facta (de qua in loco de Ecclesia ex instituto disseruimus,) obscurationes siderum præternaturales, singulares stellarum casus in terram, & forte alia, ut Judæorum notabilis conversio, Vrbis septicollis eversio, Gogi & Magogi excidium.

Thes.

Thes. LVI.

Quando judicium extremum jam jam celebrabitur, peculiare eius signum apparebit, quod *Filii hominis Matth. XXIV, 30.* appellatur: De quo, quale futurum sit, cum valde disputetur, nos illud in majestate ac gloria judicis, cum qua ad judicium veniet, positum iri existimamus.

§. 1. *Thomas Waldensis* Tom. III. de Sacram. Tit. XX. cap. 158. & *Bessæus* Concion. IV. de extremo judicio, arbitrantur, signum illud fore eandem crucem ligneam, cui Christus affixus fuit, quæ etiamnum in minimas particulas toto orbe divisa, per miraculum restituenda sit, & in cœlo apparitura. *Thomas Aquinas* Opusc. II. opinatur, signum illud futurum esse crucem cum reliquis passionis instrumentis, quæ certo ordine ab angelis portanda esse quidam *Pontificii* contendunt. Alii putant, signum illud fore vibices & vulnera, Christo tempore passionis inflicta. At vero sententias hasce *Pontificiorum* nullo niti fundamento, vel inde liquet, quod crux Christi nullibi in Scripturis signum filii hominis vocetur. Nec vero in ullo Sacræ Scripturæ loco vibices & vulnera, Christo tempore passionis inflicta, signum Filii hominis adpellantur. Certe ita non dicuntur *Apocal. I, 7.* ubi Iohannes de Christo ait: *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, & qui compunxerunt*

eum, & plangent super eum omnes tribus terræ. Namque in isthoc loco significatur tantum, quod Christum visuri sint cum omnibus reliquis hominibus illi etiam, qui eum compunxerunt, minime vero indicatur, quod Filii hominis ad judicium adventantis signum, de quo ipse Iudex *Matth. XXIV, 30.* disserit, in vibicibus ac vulneribus consistat.

§. 2. Nostræ vero, quam Thesis enunciat, sententiæ veritas ex ipso statim contextu effulget. Verba enim mox subnexa: *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute & gloria magna*, perspicue docent, quidnam per *signum Filii hominis* (h. e. per notam, quæ potentiæ hominum cognoscitivæ Filium hominis cognoscendum exhibebit) intelligatur. Non igitur hic suffragamur *Brochmando*, qui L. de Iud. extr. censet, quod, *cum Scriptura, quid per signum illud intelligendum sit, non explicet, præstet* ἐπέχειν, *quam temere quicquam statuere.*

Thes. LVII.

Deus erit Iudicii extremi causa efficiens (h. e. Deus omnes homines in fine mundi judicabit.

Diserte enim *Act. XVII, 31. Deus* dicitur *judicare orbem.* Quo spectant loca *Rom. II, 2. 3. 5. 6. 16. Ebr. XII, 23.* ubi *Dei judicium*, ac *Deus universorum judex* commemoratur.

Thes.

Thes. LVIII.

Et quidem tota Sacro-Sancta Trinitas judex erit (seu omnes homines in fine mundi judicabit.)

Si enim Deus judicabit, judicabunt sane omnes tres Divinitatis personæ, cum actiones Dei ad extra sint indivisæ. Quo accedit, quod judiciariam, qua universus orbis judicabitur, potestatem & autoritatem, cum eadem numero sit in tribus Divinitatis personis, omnes illæ personæ exercituræ sint.

Thes. LIX.

Erit & Christus causa efficiens judicii extremi, & quidem tam secundum divinam, quam secundum humanam naturam.

§. 1. Christum secundum divinam naturam universum orbem judicaturum esse, adparet inde, quod Deus Trinunus judicaturus sit, quicquid vero Deo Trinuni competit, id etiam Christo secundum divinam naturam sit tribuendum.

§. 2. Christum judicaturum esse secundum humanam naturam, duobus probamus argumentis. Scilicet (1) Christus Iudex *Matth.* XXV. ut in assumta humanitate glorioſe appariturus, ac velut pro tribunali sedens, omnibusque conspicuus, & voce sensibili sententiam la-

turus, copiose describitur. (2) Christus ipse *Joh. V, 27.* testatur, Filio Dei (in tempore) datam esse judicandi potestatem, *in quantum Filius hominis est* h. e. secundum eam naturam, qua Filius hominis seu homo est.

Thes. LX.

Judicii extremi, abstractive & secundum se considerati, *causa impulsiva* est sola divina Justitia, (h. e. sola hæc justitia Deum ad instituendum judicium solenne ac universale permovet.) Vid. 2. *Thess.* I, 6. 7.

Thes. LXI.

Judicii autem extremi, si ratione diversorum hominum judicandorum consideretur, causa impulsiva varia est. Videlicet judicii extremi, ut circa pios versatur, causa impulsiva sunt Justitia divina remuneratoria (quæ ad bonitatem Dei spectat) & Meritum Christi finali fide apprehensum; illius vero Judicii, in quantum circa impios occupatur, causa impulsiva sunt Justitia divina vindicativa, & peccata, in primis finalis eorum incredulitas.

§. 1. Judicii extremi, ut circa pios versatur, causam impulsivam esse Justitiam divinam remuneratoriam, & Meritum Christi finali fide apprehensum, uno hoc evincimus argumento:

Quic-

Quicquid Deum movet ad beatitudinem ipsam actu conferendam, id quoque eum movet ad judicandos pios (quia pii eum in finem judicantur, ut operum bonorum præmia in corpore resuscitato reportent *2. Cor. V, 10.* imo ipsi per judicium, tanquam medium aliquod executivum, in beatitudinis plenam participationem immittuntur.) *Atqui Deum ad beatitudinem ipsam actu conferendam movent Justitia divina remuneratoria, & Meritum Christi finali fide apprehensum* (ut ex Loco de *Æterna beatitudine* patescit.) *Ergo* &c.

§. 2. Consimili pacto ad demonstrandam Judicii extremi, ut circa impios occupati, causam impulsivam ita argumentamur: *Quicquid Deum movet ad damnandos impios, id quoque eum movet ad impios judicandos*, (quia impii eum in finem judicantur, ut poenas & damnationem in judicio reportent, imo ipsi per judicium, tanquam per medium executivum in damnationis consummationem immittuntur.) *Atqui Justitia divina vindicativa, & finalis impiorum incredulitas movent Deum ad damnandos impios* (ut in Loco de *Æterna damnatione* probatum dedimus). *Ergo* &c. Argumentamur porro hunc in modum: *Quicquid maxime & inprimis est causa impulsiva damnationis, id maxime & inprimis est causa impulsiva judicii extremi, ut circa impios occupati. Atqui finalis impiorum incredulitas maxime & inprimis est causa impul-*

impulsiva damnationis. Ergo &c. Minorem propositionem jam in Loco de Damnatione Æterna comprobavimus. Major autem eadem ratione, qua argumenti proxime antecedentis propositio major demonstrata est, constabilitur.

Thes. LXII.

Causa efficiens judicii extremi erunt etiam *Angeli Boni*, non quidem judicii extremi *in se* & in sua substantia spectati, sed quoad *circumstantias* quasdam tunc eventuras considerati.

§. 1. Sensus theseos nostræ huc redit: Boni Angeli judicabunt mundum, non quod partes Judicis proprie sibi sint vendicaturi, facta piorum & impiorum in lucem protrahendo, & sententiam causæ discussæ conformiter ferendo; sed quod Judicis, quem comitantur, adventum ingenti excitato sono manifestaturi, homines judicandos ex omnibus mundi partibus collecturi, pios ab impiis segregaturi, damnatos denique in carcerem infernalem præcipites daturi sint.

§. 2. De circumstantiis istis evolvantur loca Scripturæ *Matth.* XIII, 41. 42. 49. 50. cap. XXIV, 31. cap. XXV, 31. 32. 1. *Thess.* IV, 15.

Thes. LXIII.

Sancti quoque Homines ad extremum judicium active concurrent, non quod mu-

munia Judicis exercituri sint: (Solus enim Christus constitutus est judex viventium & mortuorum, coram quo etiam Apostoli & Sancti omnes sistendi erunt;) sed quod assessores Judicis Christi futuri sint, sententiam ejus approbantes, & de aliorum operibus testificantes. Scilicet judicium illud, quo judicabunt sancti, non aliud erit, quam approbativum & judiciarium.

§. 1. In Scripturis expresse tribuitur Apostolis, quod judicaturi sint duodecim tribus Israelis *Matth.* XIX, 28. *Luc.* XXII, 30. & *Sanctis Hominibus*, quod judicaturi sint mundum, & angelos 1. *Cor. VI, 2. 3.*

§. 2. Quæ sacrarum literarum dicta ut plenius intelligantur, annotandum primo est, quod eo momento, quo homines omnes coram Christi tribunali sistentur, pii simul ab impiis segregandi, Christo a dextris constituendi, eique in occursum & in aera rapiendi sint, & sic in sublimi constituti, impios in inferiori loco positos adspecturi, atque adeo eminentiæ judiciariæ quodammodo participes facti, sententiam Judicis approbaturi, & de operibus aliorum testificaturi sint. Observandum hic est secundo, a dextera Christi Judicis proxime Apostolos, qui actionum ipsius, passionis & mortis, resurrectionis, itemque ascensionis ad cœlos testes fuerant, inde Patriarchas, Prophetas, martyres,

Docto-

Doctores, & deinceps cæteros fideles, quemque suo ordine & loco, constitutum iri.

Thes. LXIV.

Angeli autem, hominesque sancti non alia erunt judicii extremi causa, quam *ministerialis & minus principalis.* Ministrabunt enim Christo Iudici, nec auctoritatem Christi auctoritati parem, sed auctoritatem a Christo dependentem, & admodum limitatam obtinebunt.

Thes. LXV.

Objectum Iudicii extremi *materiale*, idque *personale* (h. e. personæ, quæ tunc judicabuntur) erunt angeli mali, omnesque homines cum boni, tum mali.

§. 1. Quod ad malos angelos attinet, illi sane in Epist. *Iudæ v. 6. ad judicium magni illius diei vinculis æternis sub caligine* detineri, & *2. Petr. II, 4. catenis noctis in Tartarum præcipitati servari in judicium* dicuntur. Quo pertinet, quod Paulus 1, *Cor. VI, 3. ait: An nescitis, quod angelos judicabimus?* Nimirum quamvis angeli mali, jam tum a facie Dei rejecti, poenas damni, ut vocant, & sensus percipiant, in complementum tamen pœnarum per publicam & solennem sententiæ judiciariæ pronunciationem immittentur, h. e. in carcerem infernalem

nalem ita detrudentur, ut nullus amplius ex eo exitus pateat.

§. 2. Omnes omnino homines, cum pios, tum impios, in judicio extremo judicatum iri, perspicuis clarissimisque verbis Apostolus docet 2. *Cor. V, 10.* ubi inquit: *omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi.* Confer. *Rom. XIV, 10. Matth.* XXV, 32.

Thes. LXVI.

Objectum judicii extremi materiale, idque *Reale* erunt omnia facta, cogitationes & dicta personarum judicandarum. Vid. *Eccles. XII, 14. Matth.* XII, 36. *Rom. II, 16.*

Thes. LXVII.

Iudicii extremi, ut erga homines exerendi Objectum FORMALE (h. e. ratio, sub qua homines judicabuntur) erit piorum fides, & impiorum incredulitas, ex operibus innotescens, illa quidem ex bonis, hæc ex malis. Vid. 2. *Cor. V, 10. Rom.* II, 6. seq. *Apoc.* XX, 12. 13.

§. 1. Opera quoque hominum, quatenus instar fructuum de fide & incredulitate hominum testantur, judicii extremi *objectum formale* dici possunt. Vid. *Matth.* XXV, 35. 36. 41. 43. Neque vero obstat, quod opera sint extremi judicii objectum *materiale* (reale.) Quemadmodum enim

enim una eademque res (uti Metaphysici docent) potest esse unius eiusdemque rei objectum materiale & formale: ita etiam opera erunt judicii extremi objectum materiale & formale pro diverso respectu; materiale quidem, quatenus ipsa judicabuntur, formale vero, quatenus erunt ratio, sub qua Christus judicabit personas.

§. 2. Pertinet huc doctrina de *norma* judiciaria, seu de illo *Verbo*, secundum quod sententia Iudicis feretur. Videlicet norma, secundum quam pii judicabuntur, erit Evangelium, quippe quod *Rom. VIII. 1.* pronunciat, *nullam esse condemnationem in his, qui sunt in Christo Iesu*: Norma vero, secundum quam judicabuntur impii, erit Lex, quippe quæ maledictionem & condemnationem omnibus peccatoribus denunciat. Cæterum huic nostræ doctrinæ minime adversatur, quod Apostolus *Rom. VIII. 2.* dicit: *In illo die, cum judicabit Dominus occulta hominum juxta Evangelium meum per Jesum Christum.* Ibi enim Evangelii vox non stricte & in oppositione ad legem, sed in significatu latiori pro tota doctrina Pauli legem etiam complectente, accipitur. Id quod ex ipsis Pontificiis *Salmero* in Commentar. ad hunc locum, atque ex *Reformatis Beza* in notis, & *Daniel Chamier* Tom. III. Panstr. Cathol. Lib. XV. cap. IV. observant.

Thes.

Thes. LXVIII.

Totius judicii extremi, quatenus in se spectatur, atque a præliminaribus & a sui executione distinguitur, FORMA importat duos actus, nempe operum in lucem protractionem, & sententiæ judiciariæ pronunciationem.

§. 1. Prior actus appellari consuevit *judicium discussionis*, non quod plane omniq; ex parte conveniat cum judicio discussionis humano, in quo partes litigantes audiuntur, testes examinantur, merita causæ solicite expenduntur: (Hæc enim in novissimo judicio non contingent, nec necessaria erunt, cum Christo, Judici καρδιογνώστῃ, omnia jam pateant & perspectissima sint;) sed vocatur judicium discussionis propter aliquam analogiam & similitudinem, quam habet cum humano discussionis judicio, utpote in quo etiam producuntur facta, & in lucem protrahuntur.

§. 2. Alter actus judicialis, quem totum judicium extremum formaliter includit, vocatur *judicium retributionis*, quod iterum in judicium *absolutionis* (quod est pronunciatio illius sententiæ, per quam fideles ad plenam beatitudinem ablegabuntur,) & in *judicium condemnationis* (quod est pronunciatio sententiæ, per quam infideles in miseriæ & damnationis consummationem immittuntur) distinguitur.

Thes. LXIX.

Venient autem in judicium discussionis non tantum illi, de quorum sive fide sive incredulitate dubitari poterat, verum etiam reliqui, quorum sive fides sive incredulitas ex publicis testimoniis innotuit.

Apostolus enim *Rom. XIV, 12.* universaliter asserit, *unumquemque Deo pro se rationem redditurum esse.*

Thes. LXX.

Impiorum opera in judicio discussionis ita producentur, ut non solum ipsis impiis in memoriam redeant, sed & aliis ad impiorum pudorem, & ut constet, eos juste puniri, manifestentur.

Christus enim *Matth.* XXV, 41. seqq. in judicio novissimo, quod ibi describitur, mala impiorum opera manifesto ac publice recenset.

Thes. LXXI.

Minime vero in judicio discussionis promulgabuntur, aliisque manifestabuntur piorum peccata sive ex infirmitate, sive ante conversionem ex malitia commissa.

Nam (1) Christus *Matth.* XXV. in judicio discussionis publicat quidem impiorum mala,

mala, & piorum bona opera, peccatorum vero a piis perpetratorum nullam plane mentionem facit. (z) Deus pœnitentibus clementissime promittit, se prævaricationes ipsorum esse deleturum, & peccatorum haud esse recordaturum, *Esa.* XLIII, 25. seque peccata eorum in profundum mare projecturum, *Mich.* VII, 19. Conferatur *Gerhardus* in L. de Jud. Extr. §. 63. 64. 65. ubi rationes pro & contra memorat, tandem vero thesin nostram tuetur, argumentis, quæ pro contraria sententia allegantur, solide confutatis.

Thes. LXXII.

Existimant tamen nonnulli, peccata piis in memoriam reditura esse, non quidem ut pudefiant, sed ut indignitatem suam agnoscentes gratiæ divinæ erga se magnitudinem magis celebrent. Vid. B. *Bajerus* Theol. Pos. Part. I. cap. X. §. XV. not. (d)

Referunt huc scriptores illi, quod *Dan.* VII, 10. *Apoc.* XX, 12. in judicio extremo *libri aperiendi* dicantur. Putant quippe, quod, quia numerus *pluralis* ponitur, significetur ibi, non solum librum vitæ, librum Scripturæ, librum Omniscientiæ divinæ, sed & librum conscientiæ humanæ apertum iri, ut (ceu *Augustinus*

Libr. XX. de Civ. Dei cap. XIV. loquitur) *cuique opera sua cuncta, vel bona vel mala, in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur.*

Thes. LXXIII.

Certum autem est, piorum bona opera publicatum ac manifestatum iri.

Nam *Matth.* XXV, 35. seqq. ubi judicium discussionis describitur, Christus bona piorum opera publice deprædicat.

Thes. LXXIV.

Quod ad judicium retributionis attinet, sententiæ judiciariæ pronunciatio ac promulgatio *voce exteriori & sensibili*, quæ ab omnibus exauditur, peragetur.

Sane promulgatio illa non saltem interior erit, qua absque externo verborum sono cuilibet conscientia dictitet, quis eius in æternum futurus sit status (uti jam olim *Remigius* ad *Matth.* cap. XXV. statuit. Namque non tantum nulla adparet urgens ratio, cur a verborum Christi, quæ proprie vocem sensibilem & externum quendam sonum important, significatione propria recedendum sit, sed &, cum Christus etiam ut homo judicaturus sit, convenientius est in verborum propria significatione persistere.

Thes.

Thes. LXXV.

Extremi judicii, quatenus respectu piorum & impiorum judicandorum consideratur, FINIS est divinæ Sapientiæ, Potentiæ, & Justitiæ remuneratoriæ ac vindicativæ Gloria.

Thes. LXXVI.

Postquam sententia a Judice Christo fuerit lata, & piis vita, impiis damnatio æterna adjudicata, sequetur statim *Consummatio Mundi*, qua coelum & terra cum cæteris elementis & corporibus interitura & conflagratura sunt, de qua *Psalm.* CII, 27. *Luc.* XXI, 33. 2. *Petr.* III, 7. 10. 12. *Ebr.* I, 10. 11. agitur.

Thes. LXXVII.

Quamvis vero non desint, qui coelum terramque & cætera simplicia corpora non secundum *substantiam* interitura, sed quoad *qualitates* saltem immutanda dicunt, loca Scripturæ adducta tamen, mundum totum destructum iri, & elementa penitus peritura, verbis perspicuis docent.

Nam *Psalm.* CII, 27. dicitur expresse, *quod peritura sint cœlum & terra:* Ac *Luc.* XXI, 33. *cœlum & terra transitura* perhibentur: Nec non 2. *Petr.* III, 33. dicitur, *quod cœlum & terra serventur igni*, & v. 10. quod coeli procellæ in morem transituri, elementa vero æstuantia solvenda, & terra, &, quæ sunt in ea opera exurenda sint.

SOLI DEO GLORIA.



INDEX I.

LOCORVM THEOLOGICORVM IN HAC TERTIA PARTE PERTRACTATORVM.

LOCVS I. de Gratia Dei. pag. 1
LOCVS II. De Christo. 27
Sectio I. de persona Christi. 28
Sectio II. de duplici Christi statu, exinanitionis videlicet & exaltationis. 312
Sectio III. de officio Christi. 394
LOCVS III. De fide justificante & salvifica. 439
LOCVS IV. De Regeneratione. 540
LOCVS V. De Conversione. 753
LOCVS VI. De Iustificatione. 1026
LOCVS VII. De Renovatione. 1309
LOCVS VIII. De Bonis Operibus. 1392
LOCVS IX. De Verbo Legis & Evangelii. 1419
LOCVS X. De Sacramentis in genere. 1569
LOCVS XI. De Sacramentis Veteris Testamenti
Sectio I. de circumcisione. 1665
Sectio II. de agno Paschali. 1688
LOCVS XII. De Baptismo 1719
LOCVS XIII. De Sacra Cœnâ. 1798
LOCXS XIV. De Prædestinatione & Reprobatione. 1947
LOCVS XV. De Ecclesia. 2055

LOCVS XVI. De Ministerio Ecclesiastico. 3203
LOCVS XVII. De Magistratu Politico. 3236
LOCVS XIIX. De statu Domestico. 3338
LOCVS XIX. De Novissimis. 3378

INDEX II.
AVTORVM CITATORVM, LAVDATORVM, NOTATORVM.

A.

ACta concilii Ephesini. 70
Ado, *Viennæ ad Rhodianum in Allobrogibus episcopus.* 3089
Aepinus (*Iohannes*) 379. 386.
Affelmannus 1759
Agricola (*Iohannes,*) *Islebius, Antinomorum princeps.* 930
Alberti (*Valentinus*) 3039
Albertinus (*Edmundus*). *Reformatus* 110
Alexander Alensis. *Pontificius.* 1636
Alexander ab Alexandro. 507
Alexander (*Natalis*) *Doctor Sorbonicus.* 351 3182
Altenburgense colloquium. 965
Altingius (*Henricus*) 267
Alvarez (*Didacus*) Iesuita Hispanus. 2004.
Alphonsus a Castro. *Pont.* 870. 876.
Ambrosius. 40. 548. 1158. 2017. &c.
Amesius (*Guilielmus*) *Ref.* 539. 738. 1780.
Amyraldus. *Ref.* 8

Andreæ (*Iacobus*) 68. 142. 1582.
Andreæ (*Samuel*) *Theol. in Marpurgensi Acad. Professor Reformatus.* 1990. 1993. 2009. 2031.
Angelus del Pas. *Pont.* 385
Apologia Aug. Confess. 548. 600. 621. 267. 737. 838. 871. &c.
Aquilejensis (*Paulus.*) 71
Aqvinas (*Thomas*) *Pont.* 48. 608
Aristoteles. 131. 166. 224. 799. 3005. 3277.
Arndtius (*Iosuæ*) 1497
Arnoldus (*Nicolaus*) *Ref.* 503. 1780
Arriaga (*Roder.*) *Scholasticus.* 609
Athanasius. 29. 257. 1158.
Athenæus. 3388
Augustana Confessio. 539. 600. 627. 845. 847. 869. &c.
Augustinus. 4, 40. 100. 546. 552. 644. 663. 961. 1773. &c.

B.

Baierus (*Ioh. Gvilielmus*) 13. 40. 48. 58. 83. 84. 110. 135. 139. 171. 173. &c.
Bailius (*Gvilielmus*) *Pont.* 3030
Balduinus (*Frid.*) 268. 323. 341. 379. 582. 1470.
Balsamon. 3087
Barclajus (*Robertus*) *Quakerorum antesignanus* 44. 46. 54. 63. 444. 483. &c.
Baronius (*Cæs.*) 2080. 2088. 3125.

Basilius. 1754
Bebelius. 1889.
Becanus (*Martinus*) 237. 454. 610. 874. 1170. 1615.
Bechmannus (*Fridemannus*) 13. 57. 67. 116. 171. 173. 202. 210. 215. &c.
Bellarminus (*Rob.*) 68. 237. 322. 344. 369. 384. 415. 444. 508. 967.
Bergius (*Iohannes*) *Ref.* 110. 238. 260. 1900.
Berneggerus. 3181
Beveregius. 351
Beza (*Theodorus*) *Ref.* 7. 14. 79. 115. 162. 227. 259. &c.
Biel (*Gabriel*) *Scholasticorum compilator.* 507. 877, 1124.
Blondellus (*David*) 3183. 3216.
Bochartus (*Samuel*) 385. 1697. 1705.
Boethius (*Heinricus.*) 3442
Bonaventura. 887
Bossnet (*Iacobus*) *episcopus Condomensis.* 2080
Brentius (*Iohannes*) 142. 187. 365. 385.
Brochmandus 38. 48. 62. 81. 103. 191.
Brücknerus (*Hieronymus*) 3321
Bücherus. 484
Buddeus (*Ioh. Franciscus*) 1478.
Burgo (*Augustinus Gibbon de*) *Monachus Augustinensis, Doctor & Prof. Erffurtensis* 3187
Buxtorffius (*Iohannes*) 3446

C.

Cajetanus. 879. 887.
Calixtus (*Georgius*) 193. 210. 322. 324. 385. 903.
Calovius (*Abraham*) 68. 90. 116. 126. 133. 149. 199. 203.
Calvinus (*Iohannes*) 332. 345. 378. 3255.
Camerarius. 332
Canus (*Melchior*) P. 450. 1652. 2062. 3092.
Caraffa (*Carolus*) P. 3184
Carolstadius. 1573. 1641
Carpzovius (*Ioh. Benedictus*) 359. 366. 395. 403. 805. 967
Casaubonus (*Isaacus*) 1468. 1836.
Cassianus (*Iohannes*) *Semipelagianorum seu Massilienſium anteſignanus.* 960. 963
Catechiſmus Racovienſis. 62. 337.
Catechiſmus Romanus ex decreto *Concilii Tridentini* editus, & Pii V. Papæ juſſu promulgatus. 856. 862. 885. 2062. 3319.
Catharinus (*Ambroſius*) 1948
Catton (*William*) *Quak.* 53. 63. 444. 3234.
Cedrenus (*Georgius*) 66. 71. 3064. 3084.
Chalcedonenſis Synodi Patres. 2084
Chamier (*Daniel*) *Ref.* 1917. 2087. 3462
Chemnitius (*Martinus*) 74. 134. 142 546. 640. &c.
Chryſologus (*Petrus*) 382
Chryſoſtomus. 280. 868

Ci-

Cicero. 3420
Clemangis (*Nicolaus de*) P. 3040
Clemens Alexandrinus. 1158. 1799
Clotzius (*Stephanus*) 52
Coccejus. 50
Cochlæus (*Iohannes*) P. 990. 1161
Cocus (*Robertus*) 3183
Coeleſtinus (*Georgius*) 1162. 2093. 3250
Combachius (*Iohannes*) R. 136
Coninck. P. 609
Conſtitutio *unigenitus* Clementis X. Papæ Romani. 3129
Contzenius (*Adam*) 3038
Corpus Iuris Canon. 1921. 3176. 3216
Cramerus (*Daniel*) 378. 1538
Crellius (*Fortunatus*) R. 110
Crellius (*Iohannes*) 63. 1978
Crellius (*Paulus*) 930
Crocius (*Ludovicus*) R. 168. 185. 1987
Cruciger (*Caſpar*) Crypto Calvinianus. 930
Cunæus. R. 502
Cundiſius. 679. 1953
Curcellæus (*Stephanus*) R. 2087. 3091
Cuſanus (*Nicolaus*) *Cardinalis*. 386. 1926
Cyprianus. 767. 1610. 1922
Cyprianus (*Erneſtus Salomo*) 3201
Cyrillus. 71. 73. 75. 99. 165. 180. 279

D.

Dallæus (*Iohannes*) R. 8. 1889. 3183

Da-

Damascenus. 96. 99. 125. 150. 180. 204. 280.
Danæus (*Lambertus*) R. 102. 113. 162 168. 259
Dannhauerus (*Ioh. Conradus*) 39. 96. 99. 125. 139. 157. 182. 202. 347. 358. &c.
Daventria (*Iohannes a*) P. 990. 2022. 2061
Dedekennus. 725. 1785
Defensio pupillæ Saxonicæ. 3323
Diest (*Henricus a*) R. 114
Dionysius Areopagita. 281
Dodwellus (*Henricus*) 1816
De Dominis (*Marcus Antonius*) 3422
Dordraceni Patres. 7. 421. 2020
Dorscheus (*Ioh. Georg.*) 356
Dreierus (*Christianus*) 385. 2078
Dresdensium Theologorum Scriptum Bremensibus concionatoribus anno 1584. oppositum. 116
Driedo (*Iohannes*) P. 2062
Drusius (*Ioh.*) 1680
Durrius (*Ioh. Conr.*) 3335

E

Eccius. P. 1162
Edzard. 8
Embdanum colloquium. 3269
Enjedinus (*Geor.*) *Socinianus.* 92. 337. 431
Epiphanius. 1764
Episcopius (*Simon*) *Arminianus.* 355. 1166. 1914

Eraſmus. 786. 872. 880
Erbermannus (*Vitus*) P. 1092. 3027. 3118
Eſtius (*Gvilielmus*) P. 344. 671. 677. 878. 1612.
Euripides. 3352
Euſebius. 31. 204. 1158. 2088. 2059.
Evagrius. 73. 166. 3060.

F.

Faber (*Antonius*) 3321
Faber (*Iacobus*) 386
Fechtius (*Iohannes*) 52. 385
Felgenhauerus (*Paulus*) *Scriptor Enthuſiaſticus.* 46
Feurbornius (*Juſtus*) 39. 355. 369. 373
Fiſcherus (*Iohannes*) *Roſſenſis epiſcopus.* 3434
Flacius (*Matthias*) 379. 764. 766. 778. 1029. 1036.
Forbeſius (*Gvilielmus*) R. 1871
Forerus (*Laurentius*) P. 237. 992. 3036. 3189.
Formula Concordiæ. 131. 135. 139. 147. 154. 157. 161. 181. 186. 201. 203. 205. 214. 543. 572. &c.
Förſterus (*Ioh.*) 1759
Francius (*Wolffgangus*) 1497
Franciſcus Ferrarienſis. P. 1638
Franckenthalenſe colloquium. 3269. 3275. 3383
Franckius (*Auguſtus Hermannus*) 848

Fri-

Frickius (*Iohannes*) 3129
Fulgentius. 1951. 2017

G.

Geierus (*Martinus*) 52
Gentilettus (*Innocentius*) 3063
Georgius (*David*) 574. 681
Gerhardus (*Iohannes*) 40. 60. 69. 89. 95. 99. 103. 105. 107. 116. 149. 157. 192. 197. 201. 209. &c.
Glassius (*Salomon*) 22. 346. 487. 1692
Glossatores Vinarienses. 709
Goclenius. R. 114
Gomarus (*Franciscus*) R. 1985. 1989. 2019
Gonet (*Ioh. Baptista*) P. 2036
Goodwinus (*Thomas*) 1691. 1698. 1705. 1723.
Gothana confessio. 1013
Gothofredus. 1913
Gratianus. 3098.
Grauerus (*Albertus*] 116. 384. 3037. 3227
Gregorius. 40
Gretserus (*Iacobus*) P. 238
Grotius (*Hugo*) 410. 1469. 1494. 1500. 3344

H.

Hackspanius (*Theodoricus*) 1030

Hæschelius (*David*) 3089
Haffenrefferus (*Matth.*) 318
Hagerus (*Michael*) 3166
Halloixius (*Petrus*) 3113
Hamburgensium Theologorum Qväcker Greuel. 444. 3293
Hamelmannus. 1159
Harduinus (*Iohannes*) *Iesuita*. 3129
Harlemense colloquium. 3264
Harmenopulus. 71
Hassiaci siue Cassellani Theologi. 2046
Heideggerus (*Ioh. Henricus*) 3063
Heilbrunnerus (*Iac.*) 3051. 3168.
Heinius (*Iohannes*) Marpurgensis Theologus Reformatus. 15. 1958.
Henniges (*Henricus*) 3361
Hermias (*Ammonius.*) 1855
Heshusius (*Tilemannus*) 270
Hieronymus. 651. 1754. 1922. 2017
Hildebrandus (*Ioachimus*) 3297
Himmelius (*Iohannes*) 365. 2018
Hohburgius (*Christianus*) 1794. 3233 3259. 3270.
Hoornbekius (*Iohannes*) R. 431. 503
Hoepfnerus (*Henricus*) 901. 1204. 3041
Hornejus. 84. 85. 325. 332. 982.
Hornius (*Ioh. Frid.*) 3361
Hosius. P. 2062
Hospinianus 1702
Hottingerus (*Ioh. Henricus*) 1702. 1914

Hu-

Huberus (*Samuel*) *Helvetius.* 2037
Hulsemannus (*Iohannes*) 846. 1586. 3050
Hunnius (*Aegidius*) 50. 400. 426. 553
640. 750. 1059.
Hunnius (*Nicolaus*) 3041
Hutterus (*Leonhardus*) 61. 86. 149.
171. 178. 195. 210. 395.

I.

Iægerus (*Ioh. Wolfgangus*) Cancellarius Tubingenſ. 3179
Ianſenius (*Cornelius*) Epiſcopus Gandavenſis. 467. 1663
Ienenſium Theologorum Ausführliche Erklärung. 602. 607.
Inſtrumentum pacis Weſtphalicæ. 3327
Ioſephus (*Flav.*) 3419.
Irenæus. 31. 1764. 1772. 2081.
Iunius (*Franciſcus*) 166
Ius Canonicum. 1160
Iuſtinus Martyr. 1158. 1700
Iurius (*Petrus*) 8. 17. 20.
Iuſtellus (*Chriſtophorus*) 3086. 3095. 3287

K.

Keckermannus (*Barth.*) R. 48. 1952
Keddius (*Iodocus*) P. 3032. 3227.
Keſlerus (*Andreas*) 603
Kimchi (*R. David*) 1703
Kochius (*Cornelius Dietericus*) 3129
Königius (*Georgius*) 1749. 1758 1785.
1897. 3227.

Kraus (*Iohannes*) *Iesuita Pragensis.* 3202
Kromayerus (*Hieronymus*) 641. 643. 1002
Kunadus (*Andreas*) 603

L.

Lactantius. 1022. 3419.
Lancellottus. 3095
a Lapide (*Cornelius*) 322. 331
Lawson (*Thomas*) *Quak.* 1793. 3234
Laymannus (*Paulus*) P. 885
Leigh (*Eduardus*) 1689
Leo. 74. 137. 364
Leontius. 71
Liberatus. 73. 74. 3060
Lightfootus (*Iohannes*) 1530
a Limborch (*Philippus*) 409. 2089. 2095
Lobechius (*David*) 1759.
Lombardus (*Petrus*) *Scholasticus* 415
Lorinus (*Iohannes*) 879
Lubeccense Ministerium. 1816
Ludwig (*Albertus Christianus*) 3355
Lutherus (*Martinus*) 160. 165. 167. 169. 215. 229. 378. 452. 524. &c.
Lütkemannus (*Ioachimus*) 358
Lynckerus (*Nic. Christophorus*) 3325. 3328
Lysius (*Henricus*) 752. 916. 939. 943.

M.

Maccouius (*Iohannes*) R. 7. 1994
Magdeburgenses Centuriatores 1834
Maimonides. (*R. Mose*) 1697
Major (*Iohannes*) 635

Mal-

Maldonatus (*Ioh.*) P. 350. 861. 870
Maresius (*Samuel*) R. 9. 238. 419. 1917
Martini (*Iacobus*) 198
Mastricht (*Gerhardus von*) 3098
Medina (*Mich.*) P. 609
Meierus (*Gebhardus Theodorus*) 3287
Meisnerus (*Balthasar*) 1029. 1175. 2019
Meisnerus (*Iohannes*) 117. 120. 135. 149. 603. 642. 772
Melanchton (*Philippus*) 138. 930
Menckenius (*Lüderus*) 3355
Menno, *Anabaptisticæ sectæ coryphæus* 43. 1792
Menzerus (*Balth.*) 96. 122. 170. 183. 1897. 3352
Meyerus. 1724
Molina (*Lud.*) P 609
Molinæus (*Petrus*) R. 1993
Mompelgart. Colloquium. 168
Mornæus (*Philippus*) 2078
Moscorovius (*Hieronymus*) *Soc.* 498. 504. 1640. 1743
Müllerus (*Henricus*) 3367
Mulmannus (*Hieronymus*) P. 856. 875
Musæus (*Iohannes*) 19. 57. 67. 123. 158 171. 174. 188. 219. 323. 446. 610. &c.
Mylius (*Georgius*) 125. 137. 143. 231

N.

Nazianzenus. 2082

Neostadiensis admonitio, *Scriptum Reformatorum Publicum.* 162. 168, 238. 260
Nicænum concilium. 2082
Nicephorus. 73. 166. 1742. 2082
Nicetas. 3066
Nigrinus (*Georgius*) 3227
Nilus (*Thessalonicensis episcopus*) 2089
Noallius (*Ludovicus Antonius*) *Cardinalis & archiepiscopus Parisiensis.* 3130. 3134. 3139. 3186

O.

Occamus. 116
Oecumenius. 269. 539
Olearius (*Iohannes*) 178. 685. 691
Olearius (*Adamus*) 1782
Origenes 1773
Osiander (*Andreas*) *Professor Regiomontanus.* 414. 1046
Ostorodus (*Christophorus*) Soc. 62. 92. 93. 403. 1113. 3353.

P.

Pacificatio Religiosa Augustana. 3320. 3322. 3326
Panvinius (*Onuphrius*) P. 2079
Pareus (*David*) R. 345. 1838. 3141
Pererius (*Benedictus*) P. 525. 1034. 1222
Pfeifferus (*Augustus*) 1724
Photius. 71. 75. 311. 3060
Pictetus (*Benedictus*) 3155

Pi-

Picus (*Johannes*) *Mirandulæ comes.* 384
Pineda (*Joh. de*) P. 1028
Piscator (*Johannes*) R. 17. 114. 164. 320. 321 344. 031
Plautus. 3352
Plinius. 542. 1832. 1838
Polanus (*Amand.*) R. 48. 332. 342. 345. 991
Pontificale Romanum 3062
Pufendorffius (*Samuel*) 19. 3101. 3352

Q.

Quedlinburgenses collocutores 212. 275
Quesnellus (*Paschasius*) 3128. 3186

R.

Racovienſis Catechismus. 1779. 1935. 3233
Rappoltus (*Fridericus*) 571. 1294
Ratramus Corbejenſis. 351
Rhenanus (*Beatus*) 872
Rigaltius (*Nicolaus*) 52
Rinthelenſes Theologi. 193
Rittershusius (*Conradus*) 3069. 3078
Robertus *Sarisburienſis episcopus.* R. 738
Rungius (*David*) 658. 1758

S.

Sadeel. R. 260. 332
Sagittarius (*Caspar*) 3089
Salianus (*Jacobus*) 1698
Salmero (*Alf.*) P. 331. 1148

Sarisburiensis (*Joh.*) 275
Sasbouthus (*Adamus*) P. 1160
Scaliger. 1698
Scheckius (*Jacobus*) 117
Schelwigius (*Samuel*) 484. 744. 849. 913. 934 1012. 1060. 1177
Scherzerus (*Joh. Adam*) 39. 48. 84. 96. 98. 137 138. 146. 172. 178. &c.
Schewem (*Willian*) *Quack.* 1559
Schickardus (*Wilh.*) 1724
Schilterus (*Zachar.*) 1785
Schlüsselburgius (*Conradus*) 43. 416. 3264
Schmidius (*Sebastian*) 2080
Schützius (*Gvilielmus Ignatius*) 3322
Schwederus (*Gabriel*) 3327
Schwenckfeldius (*Caspar*) 43. 64. 79. 681. 1272. 1793. &c.
Scotus (*Marian.*) 888
Scultetus (*Daniel Severinus*) 13
Seckendorffius (*Vit. Lud.*) 1159. 1168. 1497. 2094
Selneccerus (*Nicolaus*) 274
Serravius (*Claudius*) 52
Seruetus (*Michael*) 1779
Simonis (*Ioh*) *Prof. Theol. Ref. Franc.* III. 2030
Sirmondus (*Iacobus*) 3088
Sixtus Senensis. 3434
Slevogtius (*Paulus*) 208
Schlichtingius (*Ionas*) *Soc.* 343. 438. 482. 504. 1003

Smal-

Smalcius (*Valentinus*) *Soc.* 62. 93. 316. 343. 357. 378. 401. 482. 666. 903. &c.
Socinus (*Fauſt.*) 62. 92. 316. 345. 405. 482. 504. &c.
Socrates. 32. 72. 868. 872. 3076
Sohnius (*Georg.*) *R.* 226. 342. 378.
Sontagius (*Chriſtophorus*) 1177. 1187.
Soto (*Petrus a*) P. 2062.
Sozomenus 768. 868. 880. 3076
Spanhemius (*Fridericus*) *R.* 7
Spenerus (*Philip. Iacobus*) 571. 711. 717. 743. 749. 912. 934. 942. 1013. 1177. 1509. 1893.
Spencerus (*Ioh.*) 1693. 1700
Stahlius (*Daniel*) 1999
Stancarus (*Franciſcus*) 140. 414
Stapletonus (*Thomas*) P. 1033. 1048. 1098. 1222. 2078
Statliche Ausführung der Urſach, warum Chur-Fürſten und Stände der Augſpurgiſchen Confeſſion das Concilium zu Trient nicht beſuchen können. 3056. 3062.
Stegmannus (*Ioſua*) 1472.
Steinius (*Wolfgangus*) *concionator Vinarienſis.* 1498
Stifelius (*Eſaias*) 1641. 1876
Strabo (*Walafriedus*) *Abbas Augienſis.* 3088
Strauſſius (*Iacobus*) 1498
Strigelius (*Victorinus*) 99. 672. 922. 1219.
Strimeſius (*Samuel*) *R.* 1900.
Struuius *ICtus.* 3255

Suarezius (*Franc.*) *Scholasticus.* 468. 507. 617
Suicerus (*Ioh. Casparus*) 3089
Sutliuius (*Matth.*) 3433
Symbolum Apostolicum. 153. 379

T.

Tannerus (*Adamus*) P. 2061
Tapperus. 423
Tarnovius (*Johannes*) 1836
Tertullianus. 31. 329. 898. 1572. 2082
Tetzelius (*Johannes*) P. 1663
Theodoretus. 365. 1823. 2082. 3053
Theologorum Lubeccensium, Hamburgensium & Luneb. ausführlicher Bericht. 46
Theophylactus. 99. 129
Thomas. 415. 423. 507. 731. 1910
Thomasius (*Christianus*) 1500
Thomasius (*Jacobus*) 3350
Thuanus (*Jacobus Augustus*) 3434
Thummius (*Theod.*) 338. 355. 3383
Thurmius. 335
Toletus (*Franciscus*) P. 1745
Tomi Conciliorum. 3580
Transsylvanorum Anabaptistarum Antitheses Christi veri & falsi. 3334. 3335
Tridentinum concilium. 501. 862. 873. 886. 966
Tubingenses Theologi. 338. 354
Turrecremata (*Johannes de*) P. 2061. 3092
Twissus (*Gvilielmus*) R. 11. 18. 418. 2004

V. Va-

V.

Valentia (*Gregorius de*) P. 238. 350. 450. 870. 966
Valerianus. *Monachus.* 635
Valesius (*Henricus*) P. 3055 3111
Valla (*Laurentius*) 786
Vavassor (*Franciscus.*) 51
Vazquezius (*Gabriel*) *Scholasticus.* 50. 452. 466 513. 825. 1141. 1622
Vega (*Andreas*) P. 966. 1048
Velthemius (*Valentinus*) 67. 84. 98. 173. 217 295. 327. 757
Vergilius (*Polydorus*) 873
Vigilius. 71
Vinarienses Glossatores. 1198. 1210
Vockerodius (*Godofredus*) 1065
Voetius (*Gisbertus*) R. 242. 1160 3184
Volckelius (*Johannes*) *Soc.* 62. 93 357 401. 438 1283
Vorstius. 212
Vossius (*Gerhardus Johannes*) 961. 964. 1773
Ursinus. R. 1895
Usserius (*Jacobus*) 3183

W.

Waldensis (*Thomas*) 3453
Walenburch (*Petrus de*) 3118
Waltherus (*Michael*) 1759
Weigelius (*Valentinus*) 43. 378 574. 681. 1047. 3258. 3264

Wendelinus (*Marcus Fridericus*) R. 7. 13. 110. 260. 332. 342. 378. &c.
Wigandus (*Johannes*) 1054. 3264
Wittebergensium Theologorum epicrisis ad Colloquium Cassellanum. 193.
Baro a Wolzogen. (*Joh. Lud.*) *Soc.* 338. 355. 504. 1734. 3335

Z.

Zanchius (*Hieronymus*) R. 14. 48. 332. 344. 1894. 1985.
Zeæmannus (*Georg.*) 3051
Zepperus (*Gvilielmus*) 1497. 2078
Zieglerus (*Casparus*) 1470. 3089. 3099. 3298.
Zimmermannus (*Wilhelmus*) 275
Zonaras (*Iohannes*) 352
Zwinglius (*Huldericus*) 167. 1783

INDEX III.

LOCORVM SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HAC PARTE CITANTVR ET ENODANTVR.

Cap.	*Vers.*	*Pag.*
	GENESIS.	
II.	17.	3391. 3394.
-	18.	3359.
-	21.	582.
-	24.	3359.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	1. seq.	3391.
-	15.	294. 1567.
VI.	5.	681.
-	17.	582.
VIII.	17.	582.
-	21.	681.
IX.	4.	582.
-	6.	3263.
X.	8.	3248.
XVII.	1.	1665.
-	7. 8.	1460. 1635.
-	10.	1674.
-	13.	1687.
XXII.	18.	1567.
XXVII.	34.	765.
-	38.	765.
XXXII.	13.	3359.
XLIX.	10.	1567.
	EXODVS.	
III.	10.	3244.
IV.	26.	1606.
X.	17.	3382.
XII.	-,	1636. 1695.
-	5.	1691.
-	13.	1706.
-	48.	1680. 1713. 1714.
XX.	3.	1537.
XXII.	16. 17.	3345.
-	28.	3333.

Cap.	Vers.	Pag.
XXIV.	8.	1751.
XXXII.	32. 33.	2037.
XXXIV.	7.	407.
	LEVITICVS.	
V.	5.	769.
XXII.	6.	582.
	NVMERI.	
IX.	7.	1712.
-	10.	1714.
-	14.	1714.
XV.	16.	1691.
XX.	11. 12.	511.
XXVI.	18.	3244.
XXIIX.	3. 4.	1906.
	DEVTERONOM.	
I.	17.	3244. 3333.
III.	28.	3244.
IV.	2.	3279.
-	30.	775.
V.	22.	3279.
VI.	1.	1439.
-	3.	3345.
-	13.	3274.
X.	16.	790. 1671.
XII.	8.	1394.
-	32.	1394. 3279.
XVI.	5. 6.	1704.
-	18.	3244.

Cap.	Vers.	Pag.
XVII.	18.	3280.
XVIII.	15. & 18.	1567.
	IOSVA.	
I.	7.	3280.
II.	1.	770.
V.	3.	1672.
-	5.	1686.
VII.	19.	876.
XIV.	9.	3274.
	1. SAMVELIS.	
VIII.	7.	3246.
IX.	15. seq.	3244.
XVI.	18.	3244.
XXX.	3. seq.	3359.
	2. SAMVELIS.	
II.	30.	770.
XII.	5.	744.
-	7.	744.
-	14.	901.
	1. REGVM.	
VIII.	33.	835.
-	46.	835.
XV.	4.	1027.
XVII.	21.	3384.
	2. REGVM.	
II.	2.	3402.
XI.	12.	3282.
XXIII.	25.	666.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1011
DFG

2. PARALIP.

XXIII.	11.	3282.
XXX.	16.	1706.
XXXV.	10. 11.	1706.
-	13.	1695.

IOBVS.

I.	22.	1410.

PSALMI.

II.	6.	294. 430
IV.	5.	1409.
V.	5.	3394.
VI.	3. 4.	843.
VII.	9.	1409.
VIII.	7.	249.
XIV.	1.	555.
XVI.	10.	355.
XIX.	8.	1526.
-	13.	864.
XXVI.	1.	666
XXXIIX.	9.	843.
XL.	8.	394.
XLV.	3.	51.
-	7.	437.
LI.	12.	569. 646.
LIII.	3. 4.	595.
LXIX.	29.	2037.
LXXVIII.	22.	465.
XC.	3.	3394. 3397.
-	7.	3394.

Cap.	Vers.	Pag.
CIII.	21.	729.
CX.	1.	391.
-	2.	433.
CXIX.	105.	717. 1358.
CXXXVI.	25.	582.
CXXXIX.	23.	666.
CXLV.	21.	582.

PROVERBIA.

VIII.	15.	3244.
XVII.	15.	1028.
XXXI.	10. seq.	3360.

ECCLESIASTES.

XII.	7.	3388. 3417.
-	14.	3461.

JESAIAS.

IX.	4.	352.
XI.	2.	183.
-	10.	364.
XXVI.	19.	3449.
XXXI.	3.	583.
-	6. 7.	794.
XXXVIII.	17.	898.
XL.	5.	582.
XLIII.	23.	230.
LIII.	2.	346.
-	4. 5.	407. 409.
-	11.	1043.
-	12.	429.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1013
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
LXIII.	3.	413.
-	8.	3424.
LXIV.	6.	1042. 1408.
LXV.	16.	3274.
	JEREMIAS.	
IV.	4.	790. 795. 1671.
VIII.	6.	769.
XVIII.	11.	775.
XXIII.	5.	433.
-	6.	294.
-	29.	919.
XXXI.	18.	774.
XXXIII.	16.	294. 433.
	EZECHIEL.	
IX.	9.	433.
XVIII.	21.	769. 795.
-	31.	646.
XXXIII.	11. seq.	1001.
XXXVII.	12.	3437.
XLIV.	2.	350.
	DANIEL.	
II.	21.	3244.
VII.	4.	433.
IX.	20.	871.
XII.	1.	1977.
-	2.	3449.
-	12.	1029. 1043. 1124.
	HOSEAS.	
VIII.	4.	3247.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1014
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
XIII.	14.	3437.
	JOEL.	
II.	12. 13.	816.
-	14.	796.
	JONAS.	
III.	10.	796.
	MICHA.	
V.	19.	898.
VII.	19.	1271.
	HABACVC.	
II.	4.	499.
	MALACHIAS.	
I.	11	1905.
III.	4.	1410.
	SAPIENT.	
I.	7.	268.
-	13.	3394.
II.	23.	3394.
-	24.	3397.
	MATTHÆVS.	
I.	18.	37.
-	20.	37. 560.
III.	6.	841. 878.
-	8.	768. 770. 833. 847.
-	11.	770.
-	16.	1748.
IV.	10.	1165.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	12.	1527.
-	16.	1410.
-	34.	3276.
VI.	22.	1411.
VII.	8.	1660.
-	22.	510. 511.
-	29.	293. 400.
VIII.	28.	337.
IX.	37. seq.	399.
X.	28.	3418.
XI.	5.	1546.
XII.	36. 37.	227. 3461.
XV.	19.	681.
XVI.	6.	397.
-	13.	105.
XVII.	27.	3338.
XVIII.	6.	497.
-	18.	3222.
-	20.	271.
XIX.	5. 6.	3350. 3368.
-	8.	1494.
-	9.	3372.
-	28.	3459.
XX.	23.	1721.
XXI.	29.	770.
-	30.	729.
-	32.	776.
XXII.	16.	105.
-	17.	583.

Cap.	Vers.	Pag.
XXII.	37. seq.	1536.
-	42.	171.
XXIII.	2. 3.	1609.
XXIV.	13.	531.
-	30.	3453.
XXV.	31.	392.
-	32.	3461.
-	34.	433.
-	35.	227.
-	42.	227.
XXVI.	27.	1799. 1927.
-	38.	30.
-	39.	310.
-	52.	3263.
-	64.	392.
-	72.	744.
XXVII.	3.	777.
-	50.	30. 354. 3383.
XXVIII.	2.	382.
-	18.	229.
-	19.	399. 1590. 1726. sq.
-	20.	271.
	MARCVS.	
I.	1.	1541.
-	4.	768.
-	5.	841.
-	14. 15.	397.
-	15.	769.
II.	17.	768.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	30.	252.
VI.	20.	603.
VII.	4.	1720.
VIII.	24. 25.	685.
IX.	24.	742.
-	42.	497.
X.	14.	497. 1771.
XV.	37.	354.
XVI.	15.	399. 1541. 2079.
-	16.	509. 1726. seq.
-	17.	509.

LVCAS.

I.	6.	1505.
-	16.	757.
-	33.	437.
-	35.	32. 35. 38. 106.
-	42.	43.
II.	1.	3084.
-	7.	350.
-	23.	351.
-	51.	353.
III.	14.	3207.
VI.	19.	252.
VII.	16.	293. 400.
-	29.	1275.
VIII.	13.	538.
-	46.	253.
IX.	56.	294.

Cap.	Vers.	Pag.
X.	1. seq.	399.
XI.	38.	1720.
XIIX.	13.	871.
-	16.	497.
XX.	36.	730.
XXII.	29. 30.	433. 3459.
-	32.	756.
XXIII.	13.	3418.
-	24.	425.
-	34.	429.
-	43.	3429.
-	46.	30. 354.
XXIV.	25.	606.
-	46.	1081.
-	47.	854.

JOHANNES.

I.	3.	540.
-	11. 12.	474. seq. 1129.
-	13.	560. 661.
-	14.	66. 105.
-	17.	1098.
-	29.	407. 464. 1693.
-	33.	1726.
II.	17. 18.	382.
III.	3.	558. 734.
-	5.	545. 551. 734. 1789.
-	13.	153.

Cap.	Verf.	Pag.
III.	14.	364.
-	16.	21. 397. 420. 552.
-	17. 18.	420.
-	31.	558.
-	36.	439. 463.
IV.	2.	1729. 1732.
V.	17. 18.	634.
-	23.	373.
-	27.	141. 226.
VI.	14.	400.
-	28.	310.
-	50.	1934.
-	51.	140.
-	53.	1607.
-	54. 55.	237.
-	59.	230.
-	61.	153.
-	62.	140.
-	65.	594.
VIII.	28.	364.
-	44.	3390.
-	56.	171.
IX.	39.	590.
X.	17.	383.
-	18.	3401.
-	28.	735.
XII.	32.	364.
-	39.	607.

Cap.	Vers.	Pag.
XII.	40.	607.
XIV.	15.	1518.
-	21.	1518.
XV.	10.	1518.
XVI.	14. 15.	400.
-	23.	457.
-	24.	3274.
XVII.	1.	373.
XVIII.	37.	294. 430.
XIX.	1.	558.
-	30.	3383.
XX.	19.	682.
-	21.	874.
-	26.	682.
-	31.	440.

ACTA APOSTOLORVM.

I.	9.	389.
-	10. 11.	389. 390.
II.	5.	177.
-	16.	227.
-	31.	355.
-	38.	830. 854. 871. 1765.
III.	15.	380.
-	19.	756. 770. 830. 854.
IV.	12.	28.
-	20.	1949.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	31.	854.
VI.	5.	3224.
-	6.	3212.
VIII.	12.	1770.
-	37.	439.
-	38.	1774.
X.	12.13.14.15.	1462.
-	29.	369.
-	42.	227.
XI.	21.	852.
XIII.	38.39.	1036.
XIV.	15.	793.835.
-	23.	3221.
XV.	10.	352.
-	11.	1278.
XVI.	5.	3019.
-	14.	607.
XVII.	32.	603.
XIX.	3.5.	1733.1735.
-	4.	855.
-	18.	878.
XX.	21.	769.835.853.
-	24.	1540.1541.
-	28.	150.153.294. 356.
XXIV.	10.	3257.
XXV.	10.11.	3257.3338.
XXVI.	18.	794.920.

Cap.	Vers.	Pag.
	AD ROMANOS.	
I.	3.	66. 150. 154.
-	4.	1364.
-	14.	443.
-	16.	669. 1543.
-	28.	640. 791.
-	29.	791.
II.	5.	710.
III.	3.	440.
-	20.	919.
-	24.	408. 460. 824. 854. 1086.
-	25.	441. 460. 464. 823.
-	28.	481. 503. 824. 1164.
-	30.	528.
IV.	5.	1197. 462. 1118.
-	6.	476. 1244.
-	11.	1635. 1684.
-	13.	823.
-	21.	534.
V.	1.	1285.
-	2.	853. 3381.
-	10.	153. 454.
VI.	4.	732. 1230. 1644.
-	5.	1230.
-	16.	651.
-	17. seq.	652.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	19.	723.
-	22.	1331.
VII.	14.	584. 742.
-	24.	3409.
VIII.	1.	582. 647. 824. 3462.
-	3.	55. 411.
-	4.	582. 1346.
-	7.	687.
-	26.	1364.
-	32.	150. 153.
-	34.	426. 1039.
IX.	3.	2039.
-	5.	154. 177.
-	31. 32.	602.
X.	2. 3.	602.
-	10.	607.
-	14.	1128.
-	17.	487. 677.
XI.	8.	640.
-	20. seq.	2063.
-	32.	22.
XII.	1.	726.
XIII.	1. 2.	3243.
-	4.	3257. 3260. 3332.
-	10.	481.
XIV.	1.	3149.
-	10.	227.
XV.	1.	3149.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1024
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
	I. CORINTH.	
I.	17.	1728.
-	18.	1543.
-	21.	681.
-	30.	1251.
II.	4.	672.
-	8.	380.
-	14.	608.614.620.681.
-	15.	620. 648.
III.	2.	584.
-	5. seq.	674.
-	8.	664.
-	16.	1364.
IV.	5.	227.
-	15.	541. 663. 682.
V.	7.	1693.
VI.	2. 3.	3459. 3460.
-	10. 11.	562. 563. 1587.
VII.	3. seq.	3345. 3351.
-	15.	3373.
-	16.	678.
IX.	1.	664.
-	22.	3149.
X.	9.	171.
-	16.	1847. 1866. 1878.
-	21.	1799.
XI.	8.	153.
-	20.	1798.
-	26.	1799. 1895. 1924.

Cap.	Vers.	Pag.
XI.	27.	1866.
-	28.	1847. 1910.
-	29.	1868.
XII.	28.	2058. 2069.
XIII.	10.	445.
XV.	3.	141. 292. 294.
-	22.	3401.
-	25.	391.
-	27.	249.
-	44.	729.
-	45.	662.
-	47.	105.
-	50.	92.
-	51.	3403. 3445.
	2. CORINTH.	
I.	20.	457.
II.	16.	1566.
-	17.	555.
-	23.	3274.
III.	6.	920.
IV.	4.	596.
-	7.	590.
-	16.	547. 581. 659. 1346.
V.	10.	227.
-	14.	406.
-	15.	484. 521.
-	19.	454.
-	21.	1251.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	14.	1097.
VII.	8.	765. 777.
VIII.	9.	347.
XII.	21.	696.

GALAT.

I.	1.	3209.
-	2.	2060.
-	4.	294.
-	8.	680.
-	9.	3279.
II.	16.	441. 481. 1147.
-	20.	150. 424. 441. 455.
III.	11.	528.
-	12.	1503.
-	21.	1566.
-	23.	440.
-	24.	1565.
-	25.	440.
IV.	4.	43. 150. 153.
-	5.	1113.
-	8.	3426.
V.	2.	293.
-	6.	482. 525. 528.
-	16.	647.
-	17.	582. 647. 1346.
-	18.	1511.
-	24.	582.
-	25.	647.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	1.	648.
-	2.	1527.
-	15.	555.

EPHES.

I.	3.	457.494.682.733.
-	4. 5.	1976.1984.1987.
-	6.	733.
-	17.	589.596.
-	20. 21.	249.433.
-	22.	251. 2065.
-	23.	267.
II.	1. 2. 3.	577. 669.
-	5.	3382.
-	5. 6.	657.
-	6.	558.584.
-	7.	1094.
-	8. 9.	481. 528.
-	10.	682. 683.
-	11.	794.
-	13.	2063.
III.	12.	853.
-	16.	659.
IV.	10.	268. 389.
-	12. seq.	2070.
-	15. 16.	2065. 2073.
-	18.	608.794.
-	19.	651.
-	22.	580. 1342.

Cap.	Vers.	Pag.
IV.	24.	1316. 1354.
V.	2.	401. 404. 411.
-	8.	562. 589. 593. 1098.
-	23.	2065.
-	25.	2056.
-	26.	1579. 1586. 1730.
-	29.	3359.
VI.	5.	583.
-	12.	794.
-	25.	2056.
	PHILIPP.	
I.	3.	486.
-	5.	486.
-	6.	1362.
-	11.	208.
-	18.	1609.
-	23.	3387. 3420.
-	29.	493.
II.	6. 7. 8.	317. 320. seq.
-	9.	239. 317. 369. sq.
III.	9.	1202.
-	21.	381.
	COLOSS.	
I.	3. 4.	486.
-	9.	268.
-	12.	486. 558.
-	16.	2065.

Cap.	Vers.	Pag.
II.	9.	99. 193. 225.
-	11.	791.
-	12.	1748.
-	13.	556. 669.
-	16.	1719.
-	18.	680.
-	19.	2065.
III.	9.	572. 580. 1342.
-	10.	580. 1316. 1354.
-	14.	1374.
-	16.	678.
IV.	15.	2058.
	1. THESSAL.	
I.	5.	669.
-	9.	793. 837.
II.	13.	671.
IV.	15. seq.	227.
V.	19.	646.
	2. THESSAL.	
II.	3.	3159.
-	4.	3158. 3159.
-	7.	3162.
I.	9. 10.	3160. 3163.
-	11.	3042.
III.	6.	3153.
	1. TIMOTH.	
I.	9.	1406. 1548.
-	10.	1548.

Cap.	Vers.	Pag.
I.	19. 20.	536.
II.	1. 2. 3. 4.	9. 422.
-	4.	1959.
-	5.	28. 422. 464.
-	6.	422. 464. 484. 521. 2009.
III.	2.	3210. 3212.
-	15.	3043.
-	16.	85.
IV.	1.	3159.
-	15.	3212.
-	16.	3151.
V.	6.	3382.
-	22.	3212.
VI.	3. seq.	3153.

II. TIMOTH.

I.	9.	1086. 1977.
-	13.	3151.
II.	12.	437.
IV.	6.	3387.

TITVM.

I.	6.	3210.
-	8.	3211.
-	9.	3152.
-	11.	3152.
-	13.	3152.
III.	3. 4.	562.

Cap.	Vers.	Pag.
III.	5.	489.540.662.732. 1228.1585.1730.
-	7.	732. 1228.

PHILEMON.

-	14.	689.

I. PETRI.

I.	2.	1580. 1751.
-	3.	683.
-	4.	661.
-	5.	230.
-	11.	363.
-	18.	355.
-	19.	1693.
-	23.	541. 663. 707.
II.	5.	1815.3234.
-	13.	3245.
-	24.	407.
III.	18.	389.
-	19.	383.
-	21.	1658. 1751.
IV.	1.	177.297.
V.	2.	2079.
-	10.	230.

II. PETRI.

I.	4.	570.
-	14.	3383.
-	19.	596. 717. 1358.
II.	4.	3460.

Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1032
DFG

Cap.	Vers.	Pag.
II.	20. seq.	708.
III.	9.	19.
	1. JOHANN.	
I.	1. 2.	150.
-	7.	245. 247. 424. 465.
II.	2. 3.	423. 521.
-	4.	1518.
-	9.	589. 697.
III.	8.	141. 294.
-	9.	750. 1416. 1505.
IV.	7.	661.
-	19. 20.	622.
V.	1.	541. 559. 661. 703.
-	4. 5.	541. 661.
-	6.	1588.
-	13. seq.	465.
	EBRÆOS.	
I.	3.	392. 1463.
-	28.	249.
II.	9.	346.
-	14.	30. 91. 93. 414. 3390.
-	15.	304. 414.
IV.	14.	293.
V.	6.	293.
-	7.	401. 425.
VI.	4.	589. 697.

Cap.	Vers.	Pag.
VI.	20.	293.
VII.	15.	425. 426.
-	17.	293.
-	21.	293. 777.
IX.	10.	1720.
-	12.	404.
-	14.	427.
-	24.	427.
-	25. 26.	1904.
X.	1.	1719.
-	29.	326.
-	38.	528.
XI.	1.	534.
-	5.	3402.
-	6.	620. 1127.
XII.	2.	353.
-	17.	764. 781.

JACOBI.

I.	11.	558.
-	14. 15.	744.
-	17.	590. 661.
-	18.	541. 555. 560. 682.
-	23.	596. 841.
II.	17.	1179.
-	19.	450. 512.
-	20.	525.
-	24.	1149.
III.	2.	1412.

Cap.	Vers.	Pag.
V.	16.	860.
-	19. 20.	678.
	JVDÆ.	
-	6.	3460.
-	9.	688.
-	19.	584. 594.
	APOCALYPSIS.	
I.	5.	1580.
-	7.	3453.
II.	10.	531.
-	21. 22.	789.
III.	5.	2037.
-	11.	531.
VII.	17.	438.
IX.	21.	789.
XI.	15.	437.
XII.	11.	1045.
XIII.	8.	1974.
-	18.	1977.
XIV.	4.	438.
-	13.	3430.
XVII.	12. seq.	3163.
XVIII.	2. seq.	3169.
XIX.	16.	438.
XXI.	27.	1974.
XXII.	5.	437.
-	11.	1030. 1051. 1224.

INDEX IV.
RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM.

A.

Abrogatio legis ceremonialis & forensis cur facta sit? 1494
Absolutio an vere dici possit Sacramentum? 1660
Absolutum decretum Calvinianorum notatur & refellitur. 2029
Accidentalis mutatio seu variatio quot modis fiat? 565
Actiones Dei internæ stricte dictæ, & actiones Dei *ad intra* probe sunt distinguendæ. 1081
Actiones voluntariæ & *invitæ* quæ dicantur? 799
Actus hominis naturales quotuplices? 984. seq.
Actus pædagogici qui dicantur? 641. duplicis sunt generis. 645
Actus spirituales & *animales* qui? 613. seq. 978
Acquiescentia in Christo. 1173
Adoptatio in filios Dei quid sit. 1225. 1292
Adorabilitas an humanæ Christi naturæ recte tribuatur? 239
Ἀγάπη cur vocata S. Coena? 1800
Agnitio peccatorum ad contritionem prærequiritur. 838. est cum *speculativa*, tum *practica.* 839
Agnus paschalis Christum præfigurabat. 1692 1700. actus

1700. actus manducandi agnum paschalem quomodo exerc. 1694. 1702. agni paschalis comestio manducationem corporis Christi cum spiritualem, tum sacramentalem adumbrabat. 1699. actus plures circa paschalem agnum occupati. 1702

Alius & alius, aliud atque aliud ἐφεστάμενον in Christo non est. 70

Amissibilitas est affectio fidei in Christum. 535

Amor Dei quid connoret? 5

Amor complacentiæ & benevolentiæ. 532. 1378

Anabaptistæ unde dicti? 1778

Anabaptistarum errores. 505. 539. 1610. 1778. 3233. 3245. 3258. 3264. 3269. 3275. 3333. 3337.

Anima quid sit juxta Aristotelem. 224

Animae humanæ immortalitas probatur partim ex principiis naturæ 3414. partim ex sacris literis 3417. anima post mortem superstes certas exercet operationes. 3420. animæ fidelium statim postquam ex corporibus sunt egressæ, ad τὸ beatorum transferuntur, infidelium vero detruduntur in infernum. 3429.

Anti Christus qui dicatur? 3052. Anti-Christi χαρακτῆρες & notae. 3155. eaeque partim *interiores*. 3156. partim *exteriores* 3161. notæ illæ conveniunt Pontifici Romano. 3171. An Protestantes, Papam Antichristum adpellitantes, criminis læsæ majestatis Cæsareæ accu-

sandi sint? 3189. vel pacem religiosam violent? 3198
Antinomorum errrores. 930. 1559
Ἀνάθεμα quid denotet 558
Ἀπειθείας vox quid significet? 23
Apollinaristarum errores circa doctrinam de humanitate Christi. 32
Apologiæ Form. Conc. Autores. 274
Aporelesma & idioma in loco de Christo quomodo differant? 280
Apprehensio & *applicatio* meriti Christi in quo consistat? 471. inter applicationem, qua homo peccator meritum Christi sibi applicat, & inter applicationem, qua Deus meritum Christi ad hominem peccatorem applicat, maximum est discrimen. 473
Apprehensio credendorum simplex quid denotet? 629. seq.
Aqua in baptismo adhibenda debet esse vera & naturalis. 1740. nequaquam factitia, artificialis, medicata. 1742
Arminianorum errores. 1143. 1484. 1526. 1901. 3265.
Ascensio in cœlum ad statum exaltationis Christi pertinet. 379. quid importet? 398.
Ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως duas Christi naturas unitas esse, docuerunt patres Chalcedonenses. 71. quid hisce adverbiis significare voluerint? 76

Atha-

Athanasius puer adhuc ludentes pueros in nomine trinitatis baptizavit. 1629
Attributa Dei ἐνεργητικὰ & ἀνενέργητα 189. an humanæ Christi naturæ competant? *Ibid.* & 234
Azymi panes agno paschali cur adiuncti? 1696 1701.

B.

Bajerus notatus. 178. 328. 617. 624. 703. 758. 776. 798. 800. 812. 814. 815. 833. 1084. 1334. 1438. 1708. 1711. 1761. 1814. 1929. 3086. 3164. 3256. 3387. 3388. 3398.
Bajerus defensus. 1487
Baptismus est sacramentum initiationis. 1719. nominis baptismi significatus varii. 1719 Baptismus *sanguinis*, *flaminis* & *luminis*. 1722. baptismus an in V. T. apud Iudæos iam in usu fuerit? 1723. baptismi *causa efficiens*. 1726. *tempus* institutionis. 1729. *causa impulsiva*. 1730. *causa efficiens minus principalis* 1731. an in casu necessitatis a Laicis vel fœminis peragi possit? 1738. *materia ex qua* & *circa quam*. 1740. actus abluendi in baptismo licite vel *immergendo* vel *aspergendo* fieri potest. 1747. nil refert, utrum immersio vel aspersio semel, aut tribus vicibus fiat. 1754. baptismi *materia cœlestis* proprie dicta asseri non potest. 1757. *forma* 1760. *subjectum* 1768. *effectus* varii & *finis* 1786.

Baptismus an fidei in Christum causa efficiens sit? 488. an causa efficiens regenerationis. 665. est causa efficiens renouationis. 1367. quis sit verborum Baptismi sensus? 1589

Baptismus a Christo nunquam fuit administratus. 1732. baptismus Iohannis an idem specie fuerit cum baptismo Apostolorum. 1732. Apostoli an in nomine SS. Trinitatis baptizauerint? 1765

Bardesanistæ hæretici. 995.

Basilides hæreticus non Christum, sed Simonem Cyrenæum ipsius loco a Iudaeis crucifixum fuisse, docuit. 32

Bechmannus notatus. 57. 59. 387. 510. 522. 1151. 1513. 1831

Bellum gerere an liceat Christianis? 3266. seq.

Benignitas Dei quid sit? 5

Bona Opera sive de congruo sive de condigno iustificationem non promerentur. 1153. bona opera & fides connexa sunt inseparabiliter. 1171. non tamen sunt necessaria ad justificationem. 1213. sunt effectus renovationis 1392. Bona Opera quæ dicantur? *Ibid.* & 1397. ad opus vere bonum requiritur vt sit a Deo mandatum. 1394. B. O. *causa efficiens.* 1401. *forma.* 1402. *causæ finales* 1404. *affectiones* 1405. B. O. sunt imperfecta. 1407. sunt necessaria. 1413

Bona Opera ab æterno prævisa an prædestinationis causa impulsiva dici possint? 2022

Bona spiritualia quæ dicantur? 599. bonis naturalibus contradistinguuntur. 600
Brentius non satis caute loquitur. 188
Brochmandus adversus Scherzerum defenditur. 296
Buddeus notatus. 1478. seq. 1487

C.

Cadaver an factum sit corpus Christi? 355
Calixtus Pontificiis & Reformatis adstipulatur. 322. 325. 332. 905
Calovius notatus. 339
Campanæ an sint baptizandæ. 1632
Caput ecclesiæ est Christus, 2065. similitudinis, quam Christus in ordine ad ecclesiam cum capite corporis humani habet, ratio triplex est. 2066. præter Christum aliud visibile caput necessitas & natura Ecclesiæ non requirit. 2076
Carnifices a S. Coenæ communione excludi non debent. 1913
Carnis vocabulum varios in Scriptura S. significatus obtinet. 582
Caro Christi an sit omnipræsens. 213
Certitudo hominis Christiani de justificatione sua in quo consistat. 1285. seq.
Chalcedonense concilium quis indixerit? 3055. *materia ex qua* hujus concilii. 3060. *præsides*. 3071. *objectum*. 3081

Chalcedonenſis Synodi decretum de duarum Chriſti naturarum unione. 72. 75.
Charitas an fidei juſtificantis forma nominari poſſit? 525. an ad fidei hujus formalem rationem pertineat? 481. eſt fidei in Chriſtum conſequens neceſſarium. 531
Chemnitius explicatus. 737
Chriſtianus an alterum in jus vocare poſſit? 3258
Chriſtus eſt patri ὁμοούσιος. 29. eſt verus homo. 29 ſeq. quod negatur a variis hæreticis. 30. Vna eſt perſona in duabus naturis 32. in Chriſto una eſt ὑπόστασις ſeu ſubſiſtentia 33. uni & eidem Chriſto generatio duplex, æterna & temporalis, competit. 34. ex qua duplici generatione tamen duo in Chriſto filii haud emergunt. *ibid.* humanam naturam produxit Spiritus S. 37. quæ tamen productio eſt actio Dei ad extra, ideoque indiviſa, toti trinitati communis. 41. *materia ex qua* productæ humanæ Chriſti naturæ eſt ſemen virgineum. 42 quod negant Schwenckfeldius, Anabaptiſtæ, Weigeliani, Sociniani, Quakeri. 43. Chriſti corpus non eſt duplex. 44. Chriſtus an patribus V. T. ſub ſpecie quadam corporali apparuerit? 45. humana ejus natura quomodo fuerit producta. 47. productio iſta erat miraculoſa. 49. aliquam cum naturali noſtri productione convenientiam & diſconuenientiam habet. 52. in Chriſto alius & alius non eſt. 70. duæ eæque ſubſtantialiter diverſæ in eo ſunt

sunt voluntates. 310. *Status* duplex, exinanitionis nempe & exaltationis. 312. *officium* triplex. 394. *seq.* quamvis Hutterus duo tantum ponat officia. 395

Christus an morbis fuerit subjectus? 50. pulcher an deformis? 51. 52. an secundum diuinam naturam passus sit? 164. *seq.* an secundum humanam naturam sit filius Dei? 197. seq. an eo tempore, quo cruci suffigebatur, Romæ, Athenis, aut ubivis locorum secundum carnem fuerit? 274. plenario usu attributorum divinorum libere sese abdicavit. 312. seq. an exinanitione sua exaltationem sibi promeruerit? 343. an aperto, an vero clauso utero matris in hanc lucem sit editus? 350. in morte & post mortem mansit Deus & homo. 356. an in exinanitionis statu etiam ad dextram patris consederit? 367. in resurrectione accepit idem numero corpus, quod antea habuit. 381. semet ipsum sacrificavit. 404. pro nobis nostrisque peccatis satisfecit. 405. seq. & quidem secundum utramque naturam. 413. satisfecit pro omnibus hominibus. 417. neutiquam pro angelis. *ibid.* intercessit ac intercedit pro hominibus. 425. alio respectu quatenus Deus, alio quatenus homo nos regenerat. 682

Christus non fuit novus legislator. 1525. cur usus sit quibusdam sacramentis? 1631. 1685.

an

an hodie sacrificetur? 1942. est caput Ecclesiæ. 2065

Circumcidere præputium cordis quid sit? 790.

Circumcisionis sacramentum quando cœperit? 1665. ejus *causa efficiens principalis*. 1666. causa *impulsiva*. 1668. causa efficiens *minus principalis*. 1669. materia *ex qua* & *circa quam*. 1670. *materiale* 1671. *materia cœlestis* circumcisionis tuto asseri nequit. 1673. *forma* 1674. *subjectum*. 1675. *fines*. 1681. seq. *duratio*. 1687

Clementis XI. Papæ hodie Romani sævitia in Clerum Gallicanum. 3127

Clerici an subditi sint magistratus Politici? 3338 an licitum sit Clericis inire coniugium? 3366

S. Cœna est nostræ renouationis causa. 1370. an per Laicum vel fœminam administrari possit? 1607. 1811. multis nominibus aliis venit. 1798 recte vocatur sacramentum. 1803. an sit sacrificium? 1802. 1902. causa efficiens *principalis* S. Cœnæ. 1806. causa *impulsiva*. 1808. causa efficiens *minus principalis*. 1810. *materia ex qua* non datur. 1826. *materia circa quam*. 1826. materia *cœlestis* & *terrestris*. 1827. 1892. in S. Cœna corpus & sanguis Christi vere ac realiter dispensantur, & a communicantibus oraliter accipiuntur. 1856. per oralem corporis Christi manducationem quid intelligatur? 1860. extra usum corpus Christi præsens non est. 1877. *materiale* S. Cœnæ.

næ. 1894. *forma.* 1898. *finis.* 1908. *objectum.* 1915. omnibus convivis utraque ſpecies diſpenſanda eſt. 1915. *effectus* S. Cœnæ. 1930

Cœna Quakerorum duplex, *nocturna & interna.* 1901

Communicatio duarum Chriſti naturarum ſtricte dicta in quo conſiſtat? 89. communicationis vocabulum quid deſignet? 134

Concilia ſuo modo recte vocantur eccleſia repræſentativa. 4049. 3092. conciliorum *cauſa efficiens.* 3052. *materia ex qua.* 3057. *forma.* 3061. *præſes* duplex, *politicus & eccleſiaſticus.* 3063. poteſtas in conciliis generalibus præſidendi ſoli Pontifici Romano non convenit. 3073. *objectum* conciliorum. 3075 concilia *œcumenica* unde ſuam habeant appellationem? 3083. vocantur etiam *univerſalia.* 3089. contradiſtinguuntur particularibus ſeu localibus. 3093. Concilia particularia ſubdividuntur in *nationalia*, *provincialia*, & *diœceſana.* 3094

Concreta naturæ, concreta *perſonæ*, & abſtracta naturæ in articulo de Chriſto diſtinguuntur. 104

Confeſſio publica & privata. 859. privata eſt quadruplex. 859. an ſit pars pœnitentiæ? 859. ſq. 865. quando & a quo ſit inſtituta. 869. 876. confeſſio ſecreta ſingulorum peccatorum an ſit neceſſaria? 863. 873

Con-

Confirmatio baptizatorum an Sacramentum. 1592
Conjugia jure divino prohibita, alia dissolvenda, alia toleranda sunt. 3356
Conjugia senum non in universum damnanda. 3354
Conjugium unde dicatur? 3339. conjugii *causæ efficientes*. 3339. 3340. *materia*. 3349. *forma*. 3357. *finis cujus*. 3365. *finis cui*. 3366. *affectio*. 3367
Conjugium verum ne mutuo quidem conjugum dissensu solvi potest. 3368. quæ tamen indissolubilitas intelligenda est non absolute, sed secundum quid. 3371. conjugium absque parentum consensu initum dirimi jure potest. 3343. conjugium inire Clericis licitum. 3366
Conjugum officia alia sunt utrisque communia, alia alterutri propria. 3359
Consecratio in Sacra Cœna quid includat? 1817. quantam habeat virtutem. 1820
Consensus conjugum mutuus necessario requiritur ad contrahendum matrimonium. 3342. errant tamen, qui consensum formam & causam sine qua non conjugii esse asseverant. 3343 consensui huic quid obstet? 3344
Constantini M. amor erga sacerdotes 3064
Constantinopolitanum I. concilium a quo convocatum? 3054. præses hujus concilii. 3067. *objectum*. 3077
Contritio altera pars pœnitentiæ 837. quid ad eam requiratur? 838. fidem antecedit. 844. est

est pars pœnitentiæ *essentialis*. 851. nunquam absque proposito non peccandi reperitur. 906 unde oriatur? 924. contritio legalis & Evangelica. 932. contritio num passio sit, num actio, an libera, an coacta? 966.

Conversio quoad rem est quædam regeneratio. 753 inter regenerationem tamen & conversionem notabile discrimen intercedit. 754. spiritualis conversio cum transitive, tum intransitive accipitur. 756. conversio *transitiva* quæ dicatur? 757. quæ *intransitiva?* 757. transitiva & intransitiva invicem distinguuntur. 758. intransitiva vocatur μεταμέλεια. 775. item μετάνοια, 780. conversio intransitiva quid sit. 786. terminus *a quo* duplex. 787. *seq.* terminus *ad quem*. 828. 835.

Copulatio sacerdotalis an ad matrimonium contrahendum sit necessaria? 3341. quare instituta? *ibid.*

Corpus & sangvis Christi in S. Cœna an ore corporis accipiantur? 1868. an etiam indigni hospites corpus & sanguinem Christi manducent & bibant? *ibid.* extra usum corpus Christi sacramentaliter præsens non est. 1877

Corpus Christi an sit duplex, alterum mortale, alterum divinum? 44. corpus Christi organicum an successive formatum, an uno velut momento absolutum sit? 48.

Credere in Christum quid importet? 465. seq.

Cultus religiosus vereque divinus an debeatur humanæ Christi naturæ? 201. 239. seq.

Culpæ vox quot modis sumatur? 801. culpa qua ratione tollatur in conversione? 805. culpa theologica consideratur vel ex parte peccati vel ex parte peccatoris. 1066. culpa ex parte ipsius peccati spectata per justificationem non tollitur. 1068. ex parte vero peccatoris considerata, aboletur. 1069. certo tamen respectu. 1070.

D.

Danhauerus notatus. 360.

Decalogus an formaliter sit tota lex moralis naturalis? 1533. est legis hujus summa & epitome. 1534.

Decretales epistolæ quæ olim dictæ? 3098.

Decretum prædestinationis *absolutum* an detur. 2029.

Defectibilitas est affectio regenerationis. 736.

Descensus ad inferos ad statum exaltationis Christi pertinet. 378. quid designet? 383.

Desertio malitiosa quæ dicatur? 3372.

Detestatio peccatorum ad contritionem prærequisita in quo posita sit. 841.

Deus nec potuit nec voluit aliter, nisi per Christi satisfactionem justificare. 1113. an omnium hominum salutem velit? 1959.

Διὰ particula, quid significet. 346. 528.

Διακριτικαὶ particulæ vel reduplicative, vel specificative sumuntur. 155. earum usus. 298.

Di-

Didacticus legis usus qui vocetur? 1522.
Διὸ, particula quid denotet? 346. 369.
Dioeceseos vocabulum varias obtinet significationes. 3094. dioecesana concilia quæ dicantur. 3095.
Dispensatio, quam minister Ecclesiæ in S. Cœnæ administratione obit, quomodo recte peragenda. 1822.
Divinitas Christi an sit passa? 169.
Divortium quid sit? 3374. ad divortium tres conditiones requiruntur. *ibid.* duabus tantum de causis contingit. 3376.
Dolor de peccatis admissis quid comprehendat. 842.
Donatistarum errores. 1610. 1910.

E.

Ecclesiæ nomen varie sumitur. 2055. Ecclesiæ in *militantem* & *triumphantem* distinctio. 2057. ecclesia *militans* habet aliquod caput, nempe Christum. 2065. caput illud habet in membra corporis mystici influxum duplicem. 2067. præter Christum an aliud visibile caput necessitas & ecclesiæ natura requirat? 2076. ecclesiæ *causa efficiens physica* 2097. *moralis*. 2099. *causæ impulsivæ*. 3000. *materia*. 3000. *forma*. 3001. *finis* & *effectus*. 3002 *attributa* quatuor. 3003. est *una*. 3004. *sancta*. 3012. *catholica*. 3013. *Apostolica*. 3016.

Ecclesia distinguitur in *particularem* & *universalem*. 3017. Ecclesia particularis quomodo subdividatur. 3020. distingvitur porro inter ecclesiam *veram* & *falsam*, *visibilem* & *invisibilem*. 3022. 3043. notæ ecclesiæ veræ 3029. an fieri possit, vt ecclesia puta prorsus deficiat? 3042. ecclesia repræsentativa quæ dicatur? 3049. ecclesia vera quomodo sub regno Antichristiano fuerit conservata? 3169.

Ecclesia Lutherana probatur esse vera. 3034. seq. *Romana* hodierna falsa. *ibid.*

Ecclesia, quando vocat ministrum, tres exercet actus, electionem, ordinationem, & vocationem. 3210.

Ecclesiæ suburbicariæ quæ olim dictæ? 2891.

Ἐκ, particula quid significet? 37. 560.

Enthusiastarum errores. 505. 680. 1493. 1639.

Encyclicæ literæ quæ olim dictæ? 3097

Ephesini concilii præsides. 3070. objectum. 3079.

Ephesini discipuli a Iohanne baptizati, an fuerint rebaptizati. Act. XIX. 1734. seq.

Ἐπιφάνεια Mariæ, festivitas, natalem Christi proxime consecuta. 351.

Ἐπισκιάζειν verbi significatio. 38. 39.

Episcopalia jura quomodo exerceant status Protestantes. 3330.

Episcopus an Presbytero sit superior? 3216. minister Ecclesiæ an necessario ab episcopo sit ordinandus? 3215. an ab episcopo Pontificio? 3219. epi-

3219. episcopi Pontificii nullam amplius in Protestantium terris potestatem ecclesiasticam possident. 3321.

Evangelium discerni omnino debet a lege. 1538. *Evangelii* vocabulum duobus modis usurpatur. 1539. Evangelium & lex variis modis differunt. 1544. 1546. 1549. 1553. officia Evangelii. 1553. 1559. 1561. Evangelium & lex compluribus modis inter se conveniunt. 1464.

Eunuchi an admittendi ad matrimonium? 3353.

Eutychis hæresiarchæ impius error de duarum Christi naturarum vnione. 75. a patribus Chalcedonensibus damnatus. *ibid.*

Exaltationis vocabulum de Christo usurpatum, in Script. S. tribus modis sumitur. 364.

Exaltatio Christi est actio Dei ad extra, toti trinitati communis. 370. quid importet? 374. exaltationis hujus *causa efficiens* est Deus trinunus. 375. *finis* est gloria Dei. 375. *subjectum quod* est filius Dei non ἄσαρκος sed ἔνσαρκος. 376. *subjectum quo* est humana Christi natura. *ibid.*

Exinanitio Christi accipitur vel improprie & ecclesiastice, vel proprie & biblice. 319. exinanitionis *forma* in quo constiterit? 334. *subjectum quod* est filius Dei non ἄσαρκος sed ἔνσαρκος. 341. *subjectum quo* est humana natura. 341. *finis*. 343. quando inceperit, & quousque duraverit? 348. exinanitionis *gradus* 349. seq.

Exorcismus in baptismo recte adhibetur. 1797.
Extrema unctio an sacramentum? 1593. quid sit Pontificiis? *ibid.*

F.

Fides justificans quid denotet? 439. 821. partes hujus fidei sunt justificatione priores. 455. fides *qua* creditur & *quæ* creditur. 440. ad fidem hanc requiritur α) notitia. 442. β) assensus. 448. 450. γ.) fiducia. 457. neutiquam vero obedientia & charitas ad fidei hujus formalem rationem pertinent. 481. fundamentum hujus fidei quid complectatur? 484. ejusdem *causæ efficientes* 486. seq. *subjectum*. 495. subjectum *quod* & *quo* 505. *objectum* materiale & formale. 507. diversæ de fidei justificantis objecto loquendi formulæ. 512. *forma* 514. 524. *finis*. 527. *effectus*. 528. *consequentia* necessaria, & *fructus* individui. 531. *affectiones* sunt certitudo & amissibilitas. 533.

Fides justificans per regenerationem efficienter producitur. 540. per fidem in Christum peccatorum offensa, culpa & reatus tolluntur. 821. & quidem per *solam* fidem. 814. fides in Christum est poenitentiæ pars essentialis & præcipua, ejusque quasi anima. 852. 855. fides in Christum Socinianis quid sit? 1105. fides in Christum *actualis* est justificationis nostræ causa impulsiva 1116. causa externa minus principalis. 1132. fides *habitualis*. 1119. seq.

seq. fides an per modum dispositionis justificet? 1126. præter fidem nihil plane aliud a nostra parte ad nostri justificationem quicquam confert. 1138. Fides sola justificat. 1153. *seqq.* fides vera nunquam est sine bonis operibus. 1171. *seq.* probatur hoc contra adversarios. 1177. *seq.* fides itaque operosa certo sensu justificat. 1208. fides *quæ*, non *qua* per charitatem operatur, justificat. 1211. fides requiritur ad salutarem sacramentorum perceptionem. 1647. an sit prædestinationis causa impulsiva? 2027. seq.

Fides implicita an sufficiat ad salutem. 449

Fides miraculorum quid sit, & an cum fide justificante realiter sit eadem? 509.

Fides informis & formata. 526.

Fiducia, quam vera fides includit, quæ? 1172.

Flacius notatus. 766.

Flagellantes non aqua, sed proprio sanguine baptizabant. 1744.

Fœdus a sui parte, an Deus semper servet? 710. an præstet fœderi Dei insertum aliquando fuisse, quam nunquam fuisse? 709.

Fœmina an administrare possit Sacramenta? 1606

Fœtibus in utero matris adhuc constitutis Sacramenta applicari non debent. 1631.

Fractio panis in S. Cœna an sit necessaria? 1896

Franckius contra Schelgvigium defenditur. 848.

Fratrum roseæ crucis error in loco de regeneratione. 569.

G.

Generatio duplex Christo competit, æterna & temporalis. 34. temporalis quid involvat? 35
Geniculatio communicantium non est improbanda. 1928.
Gerhardus notatus. 192. 197. 350.
Gratiæ vox quot modis sumatur? 3. seq.
Gratia Dei metonymice accepta distinguitur in operantem & cooperantem. 4. quæ sint ejus synonyma? 5. ejus *objectum* sunt homines in statu peccati constituti, & quidem omnes. 5 Gratia hæc cur dicatur *universalis*. 5. veritas Gratiæ universalis demonstratur. 9. seq. Gratiæ divinæ sunt quinque actus formales. 24. 25. 26. Gratia Dei est justificationis nostræ causa impulsiva. 1101.
Gratis. Vox hæc quid denotet? 1093.
Grotius notatus. 1469. 1526. 1678. 1816. 3353.

H.

Habitualis peccati nomine quid indigitetur? 816
Hermaphrodito an interdicendum conjugium? 3353.
Homo carnalis qui dicatur? 583.
Hornejus immerito a Scherzero erroris accusatur. 84.
Huberus (*Samuel*, Helvetius) peculiarem de absoluto electionis decreto sententiam olim propugnavit. 2037.
Hülsemannus notatus. 1586.

Humanitas Christi demonstratur. 29. *seq.* impugnatur a variis hæreticis. 30.
Humana Christi natura est opus Dei ad extra. 41. humana Christi natura an sit persona, nec ne? 67. humanitas Christi an tantum sit passa? 169 an humanæ naturæ debeatur cultus religiosus vereque divinus. 202. humanæ naturæ abstractive conceptæ omnes proprietates divinæ essentiales revera insunt. 223.

I.

Idiomatum utriusque Christi naturæ communicatio est unione personali posterior. 86. ex duarum Christi naturarum communicatione proxime ac immediate fluit. 129. *idiomatis* vox quid denotet? 130. communicationis idiomatum tria genera constitui solent. 134. genus *primum* & *secundum*. 137. 148. 179. horum discrimen. 219. genus *tertium*. 279. quomodo differat a primo & secundo? 298.
Ienensium Theologorum quilibet peculiarem olim tradebat dicti Paulini Phil. II. v. 6. 7. 8. explicationem. 326.
Illuminatio quid sit? 595. articulus de illuminatione non est tractatus a loco de regeneratione adæquate distinctus, sed sub eo comprehenditur. 695. antiquioribus Doctoribus Lutheranis per calumniam a novis reformatoribus affingitur, quasi doctrinam de illuminatione ægre tulerint. 696. illuminatio certo sensu præ-

cedit fidem, alio non præcedit. 698. non est prior regeneratione. 699.
Illuminatus quis dicatur? 590. 716.
Immersio ad baptismi naturam necessaria non est, 1752.
Immortalitas animæ humanæ probatur. 3414.
Immunitas a peccatis in quo consistat? 1076.
Imperfectio bonorum operum. 1407.
Imperium quale competat marito? 3360. 3364.
Implere legem quo sensu dicantur regeniti? 1506
Impletionis vox quid innuat? 1506. an termino hoc sit abstinendum. 1519.
Imputabilitas peccati in quo posita sit? 802.
Imputatio peccati in quo consistat? 1217.
Imputatio justitiæ Christi. 1234. ad justificationis rationem formalem haud pertinet. *ibid.*
Incarnari vi vocis quid sit? 57.
Incarnatio & humanæ Christi naturæ assumtio quomodo differant? 56. seq.
Incredulitas finalis est reprobationis causa impulsiva. 2043. seq.
Infantes qui baptizantur, an habeant fidem in Christum. 497. in quo fides ista consistat? 499. variis modis a fide adultorum differt 500 infantes quomodo regenerentur? 686. regeneratio illa absolute loquendo non est conversio. 755.
Infantes sunt baptizandi. 1770. mature & tempestive baptismus iis conferendus est. 1773. ad S. Cœnam an admittendi? 1911.

Infirmitates naturæ humanæ vel communes sunt, vel personales. 49.
Influxus, quem Christus velut caput in membra mystici sui corporis præbet, duplex est, *moralis* & *physicus*. 2067.
Inhabitatio Spiritus S. quid importet? 1299.
Inscriptio in librum vitæ quid denotet? 1970.
Inscriptio in librum gratiæ, & inscriptio in *librum gloriæ* a nonnullis distinguuntur. 1972.
Institutio & lex quomodo differant? 1481.
Intellectus hominis illuminatus esse non potest, nisi prius emendata fuerit voluntas. 701.
Intentio conferendi fructum Sacramenti in administratione Sacram. an sit necessaria Sacrorum ministro? 1610.
Invocatio Sanctorum inutilis est & idololatrica. 3424.
Iubilæa festivitas recte a Lutheranis instituitur. 3199.
Iudicium discussionis & retributionis duo actus judicii extremi. 3463.
Iudicium extremum resurrectionem mortuorum proxime sequitur. 3451. signa judicii extremi vel *communia* sunt, vel *propria*. 3451 *causa efficiens* judicii extremi. 3454. *causa impulsiva*. 3456. *objectum*. 3460. *forma*. 3463. *finis*. 3467.
Iuramenti species variæ. 3272. an magistratus a subdito postulare possit juramentum, & subditus

tus dare? *ibid.* juramentum an pugnet cum lege divina. 3274.

τὸ *justificari* quid significet? 1036. 1052.

Justificans fides unde denominationem habeat? 440.

Justificatio est fidei in Christum effectus. 528.

Justificationis vox quot significationes obtineat? 1026. *seq.* an in Scriptura S. physicum quandoque habeat significatum? 1029. an forensem? 1029. *seq.* probatur quod obtineat signif. forensem. 1036. ad justificationem in sensu forensi sic dictam quid requiratur? 1037. per inhærentem justitiam an homo coram Deo justificetur? 1042. justificatio a Pontificiis perperam in primam & secundam distinguitur. 1048. distinguitur porro in justificationem prout *actum* & prout *statum* arguit. 1058. est quædam hominis mutatio. 1062. terminus *a quo* proprius. 1065. *seq.* terminus *ad quem*. 1075. *causa efficiens* physica & moralis. 1078. *causa impulsiva*. 1086. seq. *forma* seu ratio formalis. 1216. *materia ex qua* non datur. 1273. *subjectum*. 1274. *objectum*. 1281. *finis*. 1284.

Justitia inhærente an homo justificetur coram Dei judicio? 1261. seq.

Justitia Christi imputata hominis coram Deo justi forma seu ratio formalis est. 1246.

Jus vocandi ministros Ecclesiæ penes quem residеat? 3220.

K.

Κατὰ particulæ hujus usus alius est in primo, alius in tertio communicationis idiomatum genere. 155. 157.
Κένωσις vocabuli in doctrina de Christi exinanitione usus. 339.

L.

Laicus an administrare possit sacramenta? 1606. 1738. an publice docere? 3232.
Lapsus qui dicatur? 1024.
Lex divina variis modis in Scriptura S. accipitur. 1421. lex divina *naturalis* quid sit? 1424. est absolute immutabilis. 1426. universalis 1426. ejus notitia homini connascitur. 1428. lex divina *positiva* quæ? 1434. differt a lege divina naturali, *ibid.* itemque a lege positiva morali. 1437.
Lex divina positiva distinguitur in moralem, ceremonialem & forensem. 1439. lex divina positiva *moralis* quæ dicatur? 1440. est indispensabilis. 1455. 1457. lex divina positiva *ceremonialis* quæ? 1458. lex divina ceremonialis *antiqua*. 1459. finis hujus legis est Messiæ repræsentatio. 1462. solam nationem Iudaicam obligabat. 1463. exhibito autem Messia statim abrogata fuit. 1458. leges divinæ ceremoniales *novæ* quæ? 1470. leges ceremoniales *Novi Testamenti* an admittendæ? 1478. inter legem & institutionem an discrimen inter-

tercedat? 1479. Lex divina positiva *forensis* quæ nominetur? 1489. soli populo Hebræo lata fuit. *ibid.* dissipata politia Iudaica statim abrogata fuit. 1493. licet tamen principi Christiano leges ferre ejus sensus, cujus sunt leges forenses Mosaicæ 1496.

Legis divinæ moralis *Finis* 1502. post lapsum nemo in persona propria perfecte eam implere potest. 1504. potest tamen homo implere impletione imperfecta. 1505. an phrasi: *legem servare credentes*, omnino abstinendum sit? 1519. ex lege nemo salvatur. 1521.

Lex divina moralis triplicem vsum exerit, *pædagogicum* nempe, *politicum* & *didacticum*. 1521. lex divina moralis in Veteri æque ac in Novo Testamento traditur. 1524. nec tamen Christus legem auxit, aut præcepta moralia plane nova dedit. 1524.

Legis & Evangelii discrimen multiplex. 1538. *seq.* officia legis quæ? 1553. 1559. 1561. Lex & Evangelium compluribus modis inter se conveniunt. 1564. lex moralis ad finem vsque mundi duratura est. 1568.

Liber vitæ qui dicatur. 1971

Libertas a necessitate describitur. 971.

Libertas Christiana habet suos gradus. 1407.

Libertas regenitorum a servitute peccati quid importet? 650.

Libertas religionis Evangelicis statibus anno 1555. per pacem religiosam fuit concessa non per solam

lam tolerantiam & indultum, sed per legem fundamentalem & sanctionem pragmaticam. 3323.

Liberum hominis arbitrium varie accipitur. 971. an ad liberum hominis arbitrium pertineat intellectus? 974. homo, qualis est per naturam, circa spirituales actus liberum arbitrium non habet. 980. seq.

Limbus patrum & limbus infantum ex mente Pontificiorum loci sunt inter cœlum & infernum intermedii. 3432.

Lutherana ecclesia probatur esse vera. 3034.

Lutheri ad reformationem & ministerium ecclesiasticum vocatio an fuerit legitima & divina? 3227.

M.

Mactatio agni paschalis quomodo facta? 1704.

Magistratus in *Politicum*, *domesticum* & *paganum* distinguitur. 3237. magistratus *Politici* vocabulum quid denotet? 3238. 3240. magistratus civilis vel *summus* est, vel *subordinatus*. 3241. a Deo est vel *immediate* vel *mediate*. 3251. officium accipit vel per electionem, vel per sortitionem, vel per occupationem. *ibid.* magistratus politici *causa efficiens*. 3242. *forma*. 3253. *materia circa quam* seu *objectum*. 3253 *subjectum*. 3331. *finis cujus*. 3336. *finis cui*. 3337.

Magistratus summus an legibus solutus sit? 3253.

pollet potestate sextuplici: α) νομοθετικῇ s. legislatoria. 3254. β) δικαστικῇ sive judiciaria. 3256. γ) vindicativa. 3260. δ) gerendi bellum. 3266. ε) postulandi juramentum a subditis. 3272. ζ) aliqua circa Sacra potestate. 3276. quæ potestas competit speciatim Protestantium principibus jure & divino & humano. 3294.

Magistratum politicum an homo Christianus illæsa conscientia gerere possit? 3331.

Majestatis communicatio secundus communicationis idiomatum gradus. 145. quomodo humana Christi natura communicationis hujus facta fuerit particeps. 179. *seq.* in quo consistat? 195.

Malitiosa desertio quæ dicatur? 3272.

Mandatum affirmativum quid importet? 11. 18

Manducatio Sacramentalis corporis Christi contradistinguitur *spirituali.* 1857. manducatio oralis & Capernaitica multis modis inter se differunt. 1860.

Marcionis hæretici patria, parentes, mores, & errores. 31.

Maria an in cœlo conceperit? 43. non χριστοτόκος tantum, sed & Θεοτόκος jure vocatur. 72. quod Nestorius negavit. *ibid.*

Marito competit imperium in uxorem. 3360. maritale imperium quid includat? 3362.

Materia cœlestis an ad Sacramenti requisita pertineat? 1577.

Materia ex qua productæ humanæ Christi naturæ. 42.
Matrimonium an sit sacramentum? 1591. 1661. vnde dicatur? 3339. vid. *conjugium.*
Mediator qui dicatur? 402.
Melanchton notatus. 930.
Menniſtarum in articulo de baptismo error. 1792.
Meritum Christi apprehendere quid sit? 471. meritum Christi movet Deum ad accendendam & confirmandam fidem? 493. est justificationis nostræ causa impulsiva. 1103. eaque externa principalis. 1132.
Μεταμέλεια vocatur conversio intransitiva. 776.
Μεταμέλεσθαι verbi significatio. 775. seq.
Μετάνοια dicitur conversio hominis intransitiva. 780. Μετανοίας nominis & μετανοεῖν verbi significatus. 781.
Militans ecclesia quæ dicatur. 2057. 2059. ecclesia hæc habet aliquod caput. 2065. inter ecclesiam militantem *universalem* & *particularem* distingui solet. 3017.
Minister ecclesiæ an necessario ab episcopo sit ordinandus? 3215. 3219. a quibus vocandus? 3220. vocationis publicæ necessitas. 3231. Ministri Ecclesiarum Lutheranarum an legitime vocentur? 3226.
Ministerii Ecclesiastici causa efficiens. 3204.
Ministri Ecclesiæ sunt causa efficiens regenerationis. 660. 674. itemque causa efficiens pœnitentiæ. 920.

Miraculum quod dicatur? 638.
Misericordia Dei quid importet? 5. est justificationis nostræ causa impulsiva *interna* 1132.
Missa cur vocata olim S. Cœna? 1800. Missæ vox quid denotet? 1937. 1940.
Missa Pontificiorum damnatur. 1941. *seq.*
Monstra an aliquando resurrectura sint? 3443.
Monstrosi fœtus an baptizandi? 1784.
Moralis Christi in ecclesiam ejusque membra influxus. 2068.
Mors est novissimorum primum. 3381. mortis vocabulum varie accipitur. 3381. mors temporalis interdum denotat actum moriendi, interdum statum. 3382. vt *actum* notat, in quo consistat? 3383. pro *statu* sumta quid sit? 3384. mortis pro statu consideratæ *causæ efficientes morales*. 3389. *seqq.* causæ impulsivæ, 3396. *finis* duplex. 3399. *subjectum*. 3401. penes quos pœnæ rationem habeat? 3410.
Mors peccati quid sit? 577. *seq.* 580. *seq.*
Mors piorum temporalis an sit pœna? 901. 3410.
Mortificatio an sit pars pœnitentiæ? 903.
Μορφὴ. 324.
Moscovitæ invitos & reluctantes baptizant. 1782.
Motus boni & pii in homine qui dicantur? 691. requiruntur omnino ex parte hominis justificandi. 1168.
Mundus Ioh. III, 16. quid denotet? 22. 420.
Musæus notatus. 509. 522. 610. 691. 758. 760. 1151. 1169. 1327.

Mutatio omnis duos intra terminos constituitur *a quo & ad quem.* 1061.
Mysticum corpus an Christo recte tribuatur? 45.

N.

τὸ *Nasci* quid sit? 42.
Naturæ in Christo sunt duæ. 35. quis humanam produxerit? 37. productio hujus naturæ, & ejus cum divina unitio, licet quoad rem sint una actio, differunt tamen formaliter. 35. 36. non satis tuto dicitur, naturam divinam esse incarnatam, sed potius: λόγον esse incarnatum. 57. natura Christi humana an sit persona, nec ne? 67. an sit intra Trinitatem & in ipsa Trinitate? 79. an operationes Deitati propriας participet? 135. omnes creaturas gubernat. 266.
Necessitas Bonorum Operum in quo sita sit? 1413.
Nestorius hæreticus. 69. 72. 77. 79. 166.
Nicænum I. concilium quis convocaverit? 3053. quinam ipsi interfuerint? 3058. quis *præses* hujus concilii? 3064. quod *objectum*? 3075.
Nomen super omne nomen Christo datum quid denotet? 371.
Non-imputatio peccati in quo consistat? 1219. 1238.
Notæ veræ falsæque Ecclesiæ 3014. *seqq.*
Nova obedientia, pœnitentiæ consequens necessarium. 1016. *seq.* est vel externa vel interna. 1017.

Novissima quæ nominentur? 3378.
Novus homo qui dicatur? 657. 1316.
Nuptiarum in gradibus jure divino prohibitis initarum aliæ dissolvendæ, aliæ tolerandæ sunt. 3386.

O.

Obedientia nova an sit pars pœnitentiæ? 903.
Obumbrasse quo sensu dicatur Spiritus S. Mariam? 38.
Oecumenica concilia, unde suam habeant appellationem? 3083. quot sint concilia œcumenica? 3087. vocantur etiam universalia. 3089. contradistinguuntur particularibus seu localibus. 3093.
Officium Christi triplex: *propheticum* 396. *sacerdotale*. 401. *Regium*. 419.
τὸ *Omnes* quomodo in Scripturis sumatur? 23.
Omnipotentia an communicata humanæ Christi naturæ? 226.
Omnipræsentia an humanæ Christi naturæ competat? 207. *seq.* 263.
Omniscientia humanæ Christi naturæ tribuitur. 226.
Ὁμοούσιος quo sensu patri cœlesti & nobis Christus dicatur? 29.
Operationum communicatio tertium communicationis idiomatum genus. 145.
Operationes divinæ naturæ humanæ Christi naturæ alia ratione in exinanitionis, alia in exal-

altationis ſtatu competunt. 205. operationes vere divinas humana Chriſti natura perficit. 261.

Ordinatio Miniſtri Eccleſiæ an ſit neceſſaria? 3215. a quonam peragenda? 3216. 3219.

Ordo an Sacramentum? 1592. per ordinem Pontificii quid intelligant? *Ibid.*

Oſiandri in loco de juſtificatione error confutatur. 1271.

Oτι. particulæ hujus vſus varius eſt in loco de Chriſto. 155. 157.

P.

Pædagogicus legis uſus qui dicatur? 1522.

Pædobaptiſmus in primitiva eccleſia receptus. 1772.

Panis ad Sacram Cœnam qualis adhibendus? 1832. panis per conſecrationem an transſubſtantietur? 1846. an frangendus? 1896

Papæ Romano an concedendus primatus? 2081. an poteſtas in univerſam Eccleſiam ipſi competat? 2090. *ſeq.* an ſit Anti-Chriſtus a Paulo prædictus? 2093. poteſtas in conciliis generalibus præſidendi ſoli Pontifici Rom. non competit. 3073. conveniunt ipſi notæ *Antichriſti.* 3171. Proteſtantes hoc nomine ipſum compellantes criminis læſæ majeſtatis Cæſareæ accuſandi non ſunt. 3189.

Particulariſtarum in oppugnando dicto 1. Tim. II. 1. 2. 3. 4. hallucinationes. 10. *ſeq.*

Pascha alterum V. T. sacramentum. 1688. unde nomen hoc obtinuerit? *ibid.* eius *causa efficiens principalis.* 1689. causa efficiens *minus principalis.* 1690. *materia ex qua & circa quam.* 1691. *materiale.* 1694. 1709. *materia coelestis* proprie sic dicta statui nequit. 1709. *forma.* 1710. *subjectum.* 1712. *finis.* 1715. *locus.* 1718. *duratio.* 1718.

Passio Christi quomodo ad justificationem concurrat? 1161.

Patriarchæ qui olim dicti? 2084.

Pax Conscientiæ cum Deo in quo consistat? 1285.

Peccata tam *actualia* præterita, quam *habitualia* præsentia sunt intransitivæ conversionis terminus A Quo 796. per conversionem illam abolentur. *ibid.* non physice, sed moraliter tolluntur. 797. *seq.* tolluntur quoad offensam, culpam & reatum. 822. 898. & quidem per solam fidem. 824. peccata omnia an sacerdoti necessario sint enumeranda? 861. peccatum habituale originale quomodo per renouationem tollatur? 1347.

Pelagiani & Semipelagiani seu Massilienses, unde nomen hoc suum sint adepti? 959. 964. eorum errores. 960. 988.

Perfectio sanctitatis an renatis deneganda? 516.

Περιχώρησις duarum Christi naturarum quid sit? 94 qua similitudine illustrari soleat? 95. quis primus vocem hanc usurpaverit? 96.

פֶּסַח nomen, quinque significationes obtinet. 1689.

Petrus an universalis Ecclesiæ monarcha fuerit, & peculiarem in cæteros Ecclesiæ ministros potestatem habuerit? 2077. seq. an Romæ fuerit per XXV. annos? 2086.

Physicus Christi in ecclesiam *influxus* est duplex. 2068.

Placentulæ orbiculares in S. Cœna usurpari solitæ, an verus panis sint? 1837. an abolendæ? 1840.

Πλήρωμα & πληρῶν quid denotent? 268. 270.

Pœna quæ proprie dicatur? 898. 902.

Pœnitentia est conversio intransitiva. 763. sumitur vel generaliter vel specialiter. 764. variæ nominis pœnitentiæ acceptiones. 767. *seq.* quot partibus constet? 837. 846. pœnitentiæ *causæ efficientes*. 917. plures sunt quam duæ. 922. an & quomodo homo conversionis suæ causa efficiens dici possit? 950. pœnitentiæ *causæ impulsivæ* tum ex parte Dei, tum ex parte hominis. 996. *finis*. 998. *effectus*. 999. *forma*. 1004. *materia ex qua*. 1006. materia *circa quam*. 1008. *subjectum* 1008. seq.

Pœnitentia stantium & lapsorum. 1010. vel *prima* vel *iterata*. 1023. pœnitentia sera interdum est vera. 1001.

Politicus legis usus qui nominetur? 1522.

Polygamia simultanea lege divina positiva morali interdicta. 1455. 3350. dissuadetur a recta ratione. 3352.

Pontificiorum errores varii. 236. 322. 344. 384. 414. 423 444. 449. 456. 466. 477. 501. 525. 785. 825. 856. 873. *seq.* 888. seq. 901. 965. 988. 1005. 1032. 1048. 1086. 1088. 1115. 1122. 1125. 1140. 1222. 1254 1395. 1409. 1526 1615. 1632. 1639. 1648. 1737. 1777. 1804. 1845. 1846. 1878. 1882. 1899. 1916. 1941 2022. 2061. 2086. 2090. 3030. 3048. 3219. 3225 3293. 3346. 3367. 3431.

Potestas ecclesiastica distinguitur in potestatem *ordinis & jurisdictionis* 3297.

Potestas magistratus majestate pollentis sextuplex est. α) νομοθετικὴ seu legislatoria. 3254. β) δικαστικὴ s. judiciaria. 3256. γ) vindicativa. 3260. δ) gerendi bellum. 3266. ε) postulandi juramentum a subditis. 3272. ζ) aliqua circa Sacra potestas. 3276.

Præcepta in Decalogo comprehensa reduci possunt ad duo. 1536. Præceptum sculptilium & imaginum cultum prohibens non est a primo præcepto adæquate distinctum. 1537.

Prædestinatio vi vocis quid denotet? 1947. seq. modo in bonam, modo in malam partem adhibetur. 1950. a Lutheranis vel late vel strictius accipitur. 1953. prædestinatio septem divinæ voluntatis internos actus includit. 1955. prædestinatio vocatur etiam electio. 1967. item inscriptio in librum vitæ. 1969. prædestinatio certorum nominatim hominum facta ab æterno. 1976. prædestinationis *causa efficiens physica*. 1979. causa efficiens *moralis*. 1983.

causæ impulsivæ. 1999. 2013. 2022. 2025. 2028 *objectum.* 2031. *forma* 2033. *finis.* 2033. tres *affectiones.* 2034. prædestinationis *certitudo.* 2034. *particularitas.* 2036. *immutabilitas.* 2037.

Prædestinatio an sit actio Dei ad extra vel ad intra. 1981. non *propter* fidem sed *per* fidem sumus prædestinati. 2027. prædestinationis decretum absolutum non est. 2029.

Prædicationes ad primum genus communicationis idiomatum pertinentes quæ? 252. 158. quæ ad secundum? 216.

Præputium cordis quod nominetur? 791.

Præsentia corporis & sanguinis Christi in S. Cœna probatur. 1870.

Præses conciliorum duplex, Politicus & ecclesiasticus. 3063.

Presbyteri qui olim dicti? 3216. inter presbyterum & episcopum an discrimen aliquod intercedat? *ibid.*

Primatus aliquis an competat Pontifici Romano? 2081.

Processiones Pontificiorum, quæ quotannis in festo corporis Christi fiunt, rejiciuntur. 1885.

Productio humanæ Christi naturæ est actio ad extra 41. ejusdem productionis *materia ex qua.* 42. *forma.* 47. *affectiones* 49. 52.

Προσφάτως verbum, quomodo usurpetur? 1950. 1953.

Prophetici officii opera, quæ Christus peregit, in quo constiterint? 304. *seq.* 396. *seq.* quam diu officio isto functus sit? 398.

Propositionum personalium in naturarum Christi communicatione immediate fundatarum, *descriptio*. 103 *fundamentum*. 107. propositiones istæ sunt α) inusitatæ, β) reales, γ) propriæ, δ) non accidentales. 108. *seq.*

Propositum non peccandi habituale & actuale. 905 an in ipsa contritione ejusque natura includatur? 908. motiva ex quibus propositum illud proficiscitur. 911. propositum fugiendi peccatum an proposito faciendi bonum contradistinguatur? 914.

Proselyti justitiæ quinam olim dicti? 1467. 1680. ad initiandum proselytum foederis tria olim requirebantur. 1714.

τὸ *Punire* quid sit? 3260.

Purgatorium est impium factionis Pontificiæ commentum. 897. purgatorium quid sit Pontificiis. 3432. ejus existentia probari nequit. 3433.

Q.

Quakerorum commentum de duplici Christi corpore 44. de existentia humanæ naturæ, antequam in utero virginis conciperetur. 45. de assumtione humanæ nostræ naturæ non totali, sed ex parte tantum. 53.

Qua-

Quakerorum errores alii. 444. 482. 1047. 1542. 1565. 1639. 1780. 1793. 3234. 3259. 3270. 3274. 3293. 3334.
Quesnelli, oratorii Berulliani Presbyteri Parisini, fata, 3128.

R.

Ratihabitio peccatorum in quo posita sit? 798.
Reatus culpæ & pœnæ in justificatione aboletur. 1065. vel ex parte peccati vel ex parte peccatoris consideratur. 1066. ex parte peccatoris est vel potentialis vel actualis *ibid.* reatus ex parte peccati spectatus per justificationem non aboletur. 1068.
Reatus per conversionem intransitivam aboletur. 807.
Recentiorum Doctorum errores. 484. 696.
Reconciliatio hominis peccatoris cum Deo quando fiat? 815.
Reformatorum in Particularistas & Universalistas seu hypotheticos distinctio. 7. 8. item in *Antelapsarios* & *Postlapsarios*. 1966. 2048.
Reformatorum & cumprimis *Particularistarum* error circa doctrinam de gratiæ divinæ universalitate. 7.
Reformatorum errores alii. *161. 238. 242. 259. 322. 342. 344. 378. 389. 419. 438. 485. 502. 539. 737. 1537. 1739. 1794. 1839. 1868. 1895. 1900. 1951. 1966. 1989 seq. 2015. 2019. 2029. 2032. 2045. 2049. 2052.*

Rege-

Regeneratio fidem in Christum efficienter producit. 540. regenerationis vox quomodo accipiatur. 542. dicitur regeneratio in respectu ad naturalem generationem, cum qua aliquam habet analogiam. 689. 554. vocatur *creatio nova. 555. vivificatio. 556. resuscitatio 558. generatio nova. 558 generatio ex Deo. 559. generatio ex spiritu & aqua. 559. generatio per Evangelium & per sermonem veritatis.* 560. regeneratio hæc est intrinseca & realis hominis mutatio. 561. non tamen substantialis, sed accidentalis. *ibid.* in V. T. jam locum habuit. 666.

Regenerationis terminus a QVO. 576. ad QVEM. 585. *seq.* 659. causæ efficientes. 660. *seq.* causæ impulsivæ. 683. forma. 683. alia ratione in infantibus, alia in adultis perficitur regeneratio. 686. adulti regenerantur successive. *ibid.* & p. 689. regenerationis *subjectum QVOD.* 705. *subjectum QVO* est anima humana. 721. certo respectu etiam corpus humanum. 723. regenerationis *finis.* 732. *affectiones* quinque 734. regenerationi certo sensu imperfectio, certo sensu perfectio adscribitur. 741. 745.

Regii officii, quod Christo competit, actus. 307. 429.

Regnum Christi triplex: potentiæ, gratiæ & gloriæ. 433. subditi in regno gratiæ. 711.

Regulæ Decalogi explicatrices. 1535.

Remit-

Remittere peccata Deus quomodo dicatur? 898.
Renati ad peccatum actuale perpetuo vitandum sunt inidonei. 743. & sic periculo spiritum in regeneratione acceptum amittendi sunt subjecti. 744.
Renovationis vox varie sumitur. 1309. renovatio regenerationi, conversioni & justificationi quandoque contradistinguitur. 1311. in prima statim conversione initium suum habet. 1324. renovationis vocabulum strictius acceptum quid denotet? 1328. renovatio dicitur etiam sanctificatio. *ibid.*
Renovatio vel transitive vel intransitive accipitur. 1331. renovatio transitiva & intransitiva distinguuntur. 1334. renovatio *intransitiva* quid sit? 1336. renovationis *terminus a quo* duplex. 1341. terminus *ad quem* formalis. 1353. terminus ad quem *objectivus*. 1360. *causæ efficientes*. 1362. 1365. 1367. 1372. subjectum *quod*. 1378. subjectum *quo*. 1379. *forma*. 1385 *finis*. 1386. *Affectiones* seu adjuncta. 1388.
Reprobatio prædestinationi opponitur. 2041. in quo consistat? *ibid.* reprobationis *causa efficiens physica*. 2041. *causa impulsiva*. 2042. *objectum*. 2050. *forma*. 2052. *finis*. 2053. *affectiones duæ, particularitas* nempe & *immutabilitas*. 2053.
Resurrectio mortuorum secundum in novissimis locum obtinet. 3434. ejus *veritas* demonstratur.

tur. 3435. *forma.* 3436. *causa efficiens.* 3437. causa *impulsiva.* 3440. subjectum QVOD. 3443. subjectum QVO. 3447. *finis.* 3450.

Resurrectio Christi ex mortuis ad statum exaltationis pertinet. 378. resurrectionis hujus subjectum QVOD est Christus Θεάνθρωπος, subjectum QVO humana Christi natura. 380. causa efficiens 382.

Romana ecclesia hodierna probatur esse falsa. 3034. *seq.* defecit ab antiqua Apostolica vereque Christiana puritate. 3040.

Romanus episcopus inter reliquos olim erat præcipuus. 2083.

S.

Sacerdotale Christi *officium.* 401.

Sacerdotalis benedictio an ad matrimonium contrahendum necessario requiratur? 3341.

Sacramentalis mandacatio & bibitio quæ dicatur. 1856.

Sacramentum. Variæ hujus vocis significationes animadvertuntur. 1570. 1571. vox sacramenti unde trahat originem? 1572. ad sacramentum quid requiratur? 1574. quot & quæ sint Sacramenta? 1591. Sacramentorum *causa efficiens principalis.* 1599. *causa impulsiva.* 1601. *causa efficiens minus principalis.* 1603. an ad sacramenti valorem requiratur ministri probitas? 1608. vel intentio. 1610. *materia* sacramentorum *ex qua* non datur. 1618. materia

ria *circa quam*. 1619. *forma*. 1626. *subjectum*. 1630. *effectus reales* seu finis. 1633. sacramenta vocari possunt *signa*, non tamen signa *nuda*, sed etiam signa *exhibitiva*. 1642. an ex opere operato justificent? 1648. *efficacia* sacramentorum. 1651.

Sacramenta Veteris Testamenti quot? 1656. Veteris & Novi Testamenti Sacramenta quomodo inter se conveniant? 1661. quomodo differant? 1664.

Sacramentorum institutio a Christo facta, lex est. 1474. 1476. Sacramenta Novi Test. an leges sint an instituta? 1479. an administrari possint per Laicum vel fœminam? 1606.

Sacramentum Cœnæ an sit causa efficiens fidei? 490.

Sacrificii vocabulum quomodo sumatur? 1902. sacrificium quod Christus sacrificabat, erat ipse Christus. 404.

Salvari an sit idem, ac sui officii admoneri? 15.

Sanctificationis vocabulum est renovationis synonymum. 1328.

Sanctorum invocatio inutilis est & idololatrica. 3424.

Σαρκικὸς seu carnalis, qui dicatur? 742.

Satisfactio Christi pro peccatis hominum probatur. 406. hujus *forma*. 411. *causa efficiens*. 412. *subjectum*. 416. *objectum personale*. 417. *objectum reale*. 423. *causæ impulsivæ*. 424. *causæ finalis*. 425.

Sa-

Satisfactio an sit pars pœnitentiæ? 880. 883. 889. satisfactiones quæ in veteri Ecclesia viguerunt, in quo constiterint? 880. quales sint illæ, quas postulant Pontificii? 883.
Schelgvigius notatus. 936. 1060. 1065. 1177. *sq.* 1212. 1215. 1296.
Scherzerus notatus. 84. 146. 199. 361. 393. 1240. 1243. 1582. 1622. 1747. 1757.
Schisma repugnat ecclesiæ unitati. 3051. quid per schisma intelligi soleat? 3052. gravissimam rationem Deo reddituri sunt, qui causam schismati præbent. 3096. cumprimis insignis est eorum reatus, penes quos culpa residet schismatis, quo Pontificii & Aug. Confessionem amplexi invicem divelluntur, 3101. *schisma* quibus imputandum vel non imputandum. 3101. *seq.* 3108. *seq.* 3117. causa hodiernæ contentionis inter Romanam curiam, & magnam Cleri Gallicani partem. 3127.
Sedere ad dextram Dei quid sit? 367.
Servatio legis perfecta & imperfecta. 1514. an phrasi: *legem servare credentes* omnino abstinendum sit? 1518.
Servus & *servitus peccati*. 650.
Sessio Christi ad dextram patris ad statum exaltationis pertinet. 378. sessionis hujus descriptio. 391. *subjectum Quo*. 393. *forma*. 393.
Signa judicii extremi vel communia sunt, vel propria. 3451. peculiare signum erit *signum filii hominis*. 3453.

Societates simplices sunt tres: nuptialis, herilis & paterna. 3338.

Socinianorum errores varii. *62. 92 93. 164. 316. 337. 344. 348. 357. 390. 405. 408. 482. 504. 903. 1003. 1104 seq. 1130. 1183. 1484. 1524. 1639. 1727. 1733. 1738. 1753. 1804. 1815. 1831. 1874. 1895. 1900. 1928. 1935. 3233. 3235.*

Sola fides an justificet? 1153. *seq.* quæstio hæc non est inanis. 1166. quis sit propositionis hujus sensus? 1174. Distinguendum probe est inter hæc: Sola fides justificat, & justificat fides quæ est sola. 1176. seq.

Σωματικῶς quid Col. II. denotet? 99.

Sontagius notatus. *1177. 1193. 1197. 1200. 1204.*

Spanhemius gratiam Dei universalem *autoritative* & *ratiocinative* se destructurum esse jactitat. 7.

Spencerus notatus. *1693. 1700.*

Spenerus notatus. *1519. 1725. 1814.*

Spenerus defensus. *1179. 1725. 1752.*

Spes firma consequendæ vitæ æternæ est fidei in Christum consequens necessarium. 531.

Spiritualis manducatio & bibitio corporis & sanguinis Christi quæ dicatur? 1856.

Spirituales quo sensu dicantur regeniti. 648.

Spiritus in regeneratione concessus an nova eaque divina natura appellari possit? 575. 750.

Spiritus S. an in S. Cœna porrigatur. 1893.

Sponsalia quæ & unde dicantur? 3347. distingui solent in sponsalia *de præsenti*, & in sponsalia de *futuro*. 3347.

Spontaneitas bonorum operum in quo consistat? 1405.
Stancari errores in articulo de Christo. 140. *seq.* 414.
Status Christi duplex, exinanitionis & exaltationis. 312. neutiquam vero quadruplex, ut Sociniani statuunt. 316. triplex status constituitur a B. Hafenreffero. 318.
Strigelii errores. 672. 922.
Supervenisse Spiritus S. super Mariam quo sensu dicatur? 37. 48.
Supplicia capitalia an inferenda facinorosis? 3261.
Σχῆμα stylo Scripturæ quid significet? 333.
Syncretismus unitati ecclesiæ repugnat. 3140. vocis origo & primæva significatio. 3140. an admittendus? 3150. syncretismus conservativus & temperativus. 3154.
Synergistarum error. 965.

T.

Τιμωρίαι, opera laboriosa peccatoribus olim imposita? 881. 890.
Transsubstantiatio panis & vini absurda. 1846.
Tridentinum concilium neutiquam habendum pro legitimo. 3063.
Trina mersio vel *aspersio* in baptismo an sit necessaria. 1754.
Triumphans ecclesia quæ nominetur. 2057.

V.

Valentinus hæreticus humanam Christi naturam impugnavit. 30. quare errores disseminare cœperit? *ibid.*
To Velle Dei ut quis salvus fiat, quid importet? 16.
Velthemius notatus. 218. 1169. 1617.
Verbum Dei quid in se comprehendat? 1421.
Verbum legis an fidem in Christum producat? 487.
Vespera. To fieri inter duas vesperas quid sit. 1703.
Vetus homo. 1312. per regenerationem penitus ac totaliter in conversis & justificatis non tollitur & expellitur. 1345.
Victor papa, schismatis Sec. II. inter Romanam & Asiaticas ecclesias exorti, causa fuit. 3109.
Vinum in S. Cœna quale adhibendum? 1841. vinum an per consecrationem transsubstantietur? 1846.
Vires spirituales quid importent? 684.
Virtus Altissimi Luc. 1, 35. Mariam obumbratura, num Spiritum S. an ipsum Dei filium, an omnipotentiam tribus divinitatis personis communem, indicet? 38. 39. 40.
Vita spiritualis quæ dicatur? 684. vita spirituali carere qui homines dicantur? 705.
Unio humanæ Christi naturæ cum divina cur vocetur *personalis*? 59. ejus descriptio. 60. unionis hujus *veritas* demonstratur. 61. *seq.* terminus *qui*. 64. unio personalis *pro statu* accepta quid? 65. vocatur itidem personalis 72. quot modis differat a Dei cum hominibus fide-

libus conjunctione. 79. differt & plurimum a naturali unione. 80. itemque ab accidentali. 82. unionis personalis *subjectum*. 84. *consecutiva*. 86.

Unio naturalis & supernaturalis quotuplex? 80.

τὸ *Universale* quot modis sumatur. 6. 417.

Universalistæ licet jactitent, se universalem Dei gratiam affirmare, eorum tamen assertum histrionicum est, & hominibus illudit. 8.

Universalitas gratiæ divinæ demonstratur. 9. *seq.*

Vockerodius defensus. 1065.

Voluntas Dei de nostra salute, quam peragere debebat Christus, erat triplex. 394.

Voluntas signi & voluntas beneplaciti. 20.

Voluntates an in Christo sint duæ, eæque substantialiter diversæ? 310.

Utraque species in S. Cœna communicantibus danda. 1915.

W.

Weigelianorum errores. 43. 378. 574. 681. 1047. 3258. 3264. 1493.

Y.

Υπερψῦ verbi emphasis. 370.

Errata præcipua sic corrigantur.

P. 3. lin. 18. *non pro gratiosítate, uti alias*, p. 6. lin. penult. *esse*, p. 9. lin. 9. *Doctores* p. 18. lin. 16. *Juriæa* p. 32. lin. ult. *Luc. I.* p. 50. l. 21. *Archiepiscopo* p. 51. l. 12. *crasique* p. 71. l. penult. *plerique* p. 83. l. 5. *coadunantur,*) *tum* lin. 26. *quæ* (*uti* l. 27. *loquitur,*) p. 86. l. 19. pro *posterius* lege: *prius*. p. 95. l. 7. κοινωνίαι *ac* συνδύασις p. 101. l. 5. *filii Dei Deitas* p. 116. l. 12. παρωνίμως p. 147. l. 6. *idiomatum* p. 168. l. 10. *enuncia-tionem*, p. 215. l. 28. *eum Ecclesiæ* p. 221. l. 26. τῷ λόγῳ p. 232. l. 13. *Joh. VI*, p. 246. l. 22. *vi-deant*, p. 261. l. 27. *causa* p. 337. lin. 24. & 25. *humanas*, *quas* p. 391. lin. 24. *1. Cor. XV, 25.* p. 412. l. 11. *passiva* p. 419. lin. ult. ἀναμαρτησίας p. 444. l. 18. *quæstione* p. 446. lin. 4. *assensus*, p. 448. l. 30. *Scriptura* p. 465. l. 26. pro 24. lege 22. p. 472. l. 28. pro *metum* lege *meum* p. 474. l. 24. *in individuo* p. 486. l. 12. *justificans* p. 497. lin. ult. *sequitur* p. 512. l. 9. *Jacob. II, 19.* p. 532. l. 6. *proficiscitur.* p. 537. l. 13. *fidem* p. 548. l. ult. *nondum* p. 551. l. 4. *statuit*, p. 560. lin. 16. ἐξ ὕδατος p. 576. l. 25. *voluntatis* p. 579. l. 23. *pro-prie* p. 581. lin. 6. *congenitam* p. 583. l. 26. *mo-vetur* p. 600. l. 20. *tradi* p. 604. l. 13. pro: *curæ* lege *cum* p. 611. l. 26. *regenerationem* p. 619. l. 11. *cognoscitur*, l. 18. *divinæ* p. 624. l. 2. *pa-teat*, p. 626. l. 30 *obsignari*, p. 628. l. 15. CAR-

NIS, l. 16. *efficit* p. 638. l. 17. *noſtris* p. 654. l. 5. *callum* p. 662. l. 8. *æternitatis* p. 667. l. 2. *exeruit* p. 673. l. 10. *voluntatem* p. 674. lin. 27. lege: *1. Cor. III.* p. 678. l. 17. *ecquid* p. 680. l. ult. *Gal. I, 8.* p. 683. l. 13. *Miſericordiam* p. 701. l. 1. *regeneratione* p. 722. l. 28. *formaliter* p. 724. l. 18. *nequit*, p. 729. l. 24. *Matth. XXII.* p. 730. l. 8. *Matth. XXII.* p. 734. l. 1. *etiam* p. 736. lin. 19. *iterabilitas* l. 30. *reiterari* p. 741. lin. 21. *immediate* p. 748. l. 16. *ſumtam* l. 27. *inordinatam* p. 755. l. 15. *deteſtationis* p. 760. lin. 17. *de illis* p. 764. l. 9. *noſtroque* p. 774. l. 28. *agnoſcam & deteſter*, p. 775. l. 10. *Jerem. XVIII, 11.* l. 19. *Porro* p. 776. l. 20 *ſynecdochice totam* p. 777. l. 3. *totam* p. 783. l. 2. *veniam* p. 789. lin. 14. *ſeu* p. 790. l. 25. *Deuter. X, 16.* p. 796. l. 13. על רעה p. 814. l. 26. *antecedit*, p. 817. l. 2. *Atque* p. 848. l. 6. *DEINDE* p. 915. l. 20. *Evangelio* p. 921. l. 28. *perhibetur*. p. 926. l. 1. *inſtitutam* p. 930. l. 2. *laxins* p. 931. l. 23. pro *&* lege *quod*. p. 933. l. 13. *ſide* p. 977. l. 25. pro *non* lege *nos* p. 987. lin. 19. *hucusque* p. 996. l. ult. *æternam* p. 1011. lin. 23. *caveant*, p. 1014. l. 21. *diverſo* p. 1017. l. 5. *externos* l. 7. *externos* l. 25. *Nova obedientia* p. 1020. l. 14. *adverſantur*, l. 17. *conformia* p. 1030. l. 6. *Apoc. XXII.* p. 1043. l. 4. *varia* p. 1049. l. ult. *meritum*, *largiuntur* p. 1072. l. 24. *aboletur* p. 1117. l. 4. *generalem* p. 1122. lin. 14. *explicantes*. p. 1143. l. 17. *juſtificationem* p. 1152. l. 3. *congrua* p. 1228. l. 14. lege: *ex eo manifeſta eſt*,

est, *QVOD* p. *1248*. l. ult. *movet*, p. *1253*. lin. 10. *forent*. p. *1267*. l. 7. *prædicat*, p. *1275*. l. 13. *Lucas c. VII*. p. *1285*. l. 18. *certus* l. 19. *revelationi* p. *1323*. l. 22. *pro quavis mutatione spirituali, quæ* p. *1338*. l. 24. *asseras*, lin. penult. *spectati* p. *1366*. l. 2. *detestationem*, p. *1378*. lin. 1. *placeat* p. *1388*. lin. 7. δόξαν p. *1416*. l. 4. *commisso*, p. *1475*. l. 17. pro *quo* lege *pro* p. *1478*. l. 28. pro *ex* lege & p. *1493*. l. 14. *omnino leges forenses* l. 26. *lapidatione* p. *1519*. l. 4. *Apologiæ* p. *1537*. l. 2. *serie* p. *1541*. l. 12. *Apostolos* l. 15. pro & lege *ex* p. *1546*. l. 9. *virtutum* p. *1547*. l. 12. *certa* p. *1574*. l. 16. pro *se* leg. *sed* p. *1595*. l. 13. pro *fiunt* lege *sinunt*, p. *1672*. l. 18. post: *cannæ*, adde: *circumcisionem peractam fuisse*. p. *1691*. lin. 15. *ille* l. 23. מִן־הַכְּבָשִׂים וּמִן־הָעִזִּים p. *1695*. l. 23. lege: *2. Paralipom*. p. *1709*. l. 15. *senties*, p. *1716*. l. penult. *finem*, p. *1771*. lin. 9. *membrum* p. *1796*. lin. 22. *nostrates* p. *1822*. lin. 6. dele: *non competat* p. 1863. l. 16. lege: *proprius huc redit*: p. *1904*. l. 21. pro *sarpe* lege *sæpe* p. *1977*. l. 17. *Non enim* p. *2017*. l. 1. προέγνω, p. *2033*. l. ult. *nos elegisse* p. 2059. l. 2. *Augustana* p. *3027*. l. 9. pro *super* lege *semper* p. *3062*. l. 7. *variis editis scriptis* p. *3072*. l. 24. ἀσυγχύτως (*h. e. unitas, non mutatas* p. *3073*. l. 2. οἱ ἄρχοντες p. *3088*. l. 6. *plura* p. *3089*. l. 18. pro *Johannes Henricus* lege: *Johannes Casparus* p. *3161*. l. 12. *figura adumbrat*, p. 3164. l. 9. *abolendum*, lin. 15. lege: *2. Thess. II*. lin. 16. ὁ ἄνομος p. *3167*. l. 2. *obsistere* l. 4. *intelligendum* p. *3171*. l. 5. *regnum* l. 6. *cupidine* lin. 7. *addictus*

lin. 12.

lin. 12. κατ' ἐξοχὴν l. 14. *Pontificum* p. *3193*. l. 29. lege: *PER pacificationem* p. *3199*. l. 22. *deliguntſ*, *ET ad* p. *3203*. l. 12. & 13. lege: *in præſenti moneo ſaltem*, p. *3204*. l. 3. *juxta* l. 9. *conſervatur*, l. 10. dele: *per* p. *3213*. l. 5. *generaliori* l. 18. *Hic enim* p. 3214. l. 3. *ad officium* p. *3220*. l. 22. pro *ut* lege *ex* p *3241*. l. 23. lege: *irriti REDDI queant*: p. *3332*. l. 24. *Rom. XIII*, *4*, *6*. p *3366*. l. *18*. pro *Chetici* lege *Clerici* l. 19. *licet hi in ſacro*. p. *3403*. l. 3. lege: *1. Cor. XV*. p. *3411*. l. 20. lege: *pœnæ rationem NON habere*, p. *3438*. l. 2. *Joh. V*, *27*.

FINIS.





Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1090
DFG

indendi contra-
ıſa absque con-
ui mulieri eſt u-
ıodis conſuluit,
ı repudiandi &
ndendi uxorem
ıro, aiia, quam
adjungit, ſuper

li Theologia pleni-

ppoſuimus *Hornio*
tum duriores uxo-
t, ſed & ipſum jus
extra remp. con-
rum in *Morali The-*

olute ſic dictus,
d; cujus afficien-
initur matrimo-
io intenditur ab
cietatem nuptia-
ia, voluptates,
Deo & natura.

& natura ratio-
na-

the scale towards document
Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.
Patch Reference numbers on UTT
Universitäts Bibliothek Rostock
https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1817789325/phys_1091
DFG